This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



NT. Can
G1

518
Schultkess

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

# SYMBOLAE

AD

# INTERNAM CRITICEN

## LIBRORUM CANONICORUM

AC

## VETUSTISSIMORUM QUAE SUPERSUNT MONUMENTORUM

## CHRISTIANI NOMINIS

PARATAE

AB

JOANNE SCHULTHESS D. THEOL.

VOLUMEN PRIMUM

---

EX OFFICINA SCHULTHESSIANA
TURICI MDCCCXXXIII
(F. SCHULTHESS UND S. HÖHR)

# HEGESIPPUS

## PRINCEPS AUCTOR

RERUM CHRISTIANARUM

PRIMI ET SECUNDI SECULI

NUNC PRIMUM SEORSIM

QUANTUM EX RELIQUIIS FIERI POTEST

PENITUS RECOGNITUS

ET SECUNDUM CRITICEN HISTORICAM

EXPLORATUS

DIVINITY SCHOOL LIBRARY HARVARD UNIVERSITY

CURA

JOANNIS SCHULTHESSII

DR. ET PROF. S. THEOL. IN CAROLINO TURICENSI

---

TURICI. EX OFFICINA SCHULTHESSIANA

(FR. SCHULTHESS UND S. HÖHR)

1833

JOANNES SCHULTHESSIUS

JO. CASPARO AURELIO

COLLEGAE CONJUNCTISSIMO

SALUTEM DICIT PLURIMAM

Duo si faciunt idem, non est idem. Nuper Tuo suasu, vir amicissime! senatus noster academicus scholas decrevit adolescentibus Theologiae studiosis, per quas ecclesiae patrum litteratura imbuerentur, singulares. Alius si suasisset, locum fortasse suspicioni dedissem, id consilium subesse rogationi, ut juvenes succum sanguinemque imbibant eorum quos Zuinglius dicit multum et saepe vitricos ecclesiae non patres egisse, utque in religionibus certe, quod prisci decreverint, non quod ipsi sua mente et intelligentia pro veris ac divinis cognita habeant, credenda ducant, profitenda, colenda. Nos enim profecto pariter ambo censemus etiam atque etiam vitandum immodicum studium duorum illorum extremorum, vetustatis ac novitatis. „Qua in re, ut

Baco Verulamius de augmentis Scientiae Libro. I. ait, Temporis filiae male patrissant. Ut enim Tempus prolem devorat, sic haec se invicem; dum vetustas novis invideat augmentis, et novitas non sit contenta recentia adjicere, nisi vetera prorsus eliminet et rejiciat. Certe consilium Prophetae vera in hac re norma est: State super vias veteres et videte quaenam sit via recta et bona, et ambulate in ea! Vetustas eam meretur reverentiam, ut homines aliquamdiu gradum sistere et supra eam stare debeant, atque undequaque circumspicere quae sit via optima; quum autem de via bene constiterit, tum vero non restitandum, sed alacriter progrediendum. Sane, ut verum dicamus, antiquitas seculi juventus mundi. Nostra profecto sunt antiqua secula quum mundus jam senuerit; non ea quae computantur ordine retrogrado, initium sumendo a seculo nostro." Haec quidem philosophus Anglus. Eo igitur ipso quod nostra tempora, si verum quaerimus, antiqua sunt, felicibus nobis facultatem oblatam habemus consistendi supra veteres vias, itaque ex alto quasi prospiciendi, quonam veteres tulerint nostros majores, ad *δικαιοσύνην, εὐσέβειαν, πίστιν, ἀγάπην, ὑπομονὴν, πραότητα,*

ad bene beateque vivendum, an secus. Neque enim propheta omnes vias, dummodo veteres, per sese rectas et bonas esse censebat, sed unam rectam et bonam alias pravas et perversas; quas quidem historia magistra ex eventu nobis certo dignoscere licebit. Optimam igitur veterum viarum ingrediamur eamque ultra quam majores pro virili parte persequamur!

In quo tamen vulgaris maxime error vitandus quam maxime erit, ut ne veterum viarum eam, quae spatiosissima tritissimaque videtur, pro vera continuo putemus. Quod contra quum sapientes omnes, tum unus ille sapientissimus docuit, *ὅτι στενὴ ἡ πύλη καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν.* Et Zuinglius: Paucissimis semper cognita erat veritas rerum.

Tantum ergo abest, ut illos Patres, quos ecclesia Catholica praeter ceteros adamavit, celebravit, sanctificavit, latissimae ac frequentissimae viae duces, unice sequamur ut potius in usu eorum nos maxime cautos et circumspectos gerere oporteat.

Permagnum profecto Patrum volumina versantibus incommodum accidit nobis ex eo, quod eccle-

sia Catholica scriptores tantummodo suis rationibus gratificantes prodidit posteris, adversarios aut parum serviles vel totos vel maximam partem interemit. Nam si Caji Presbyteri Romani ac Theodoti scripta, qui repugnaverunt Chiliastis et Cataphrygibus, superessent; si Dionysii Magni; si Diodori Tarsensis ac Theodori Mopsvesteni ad nos devenissent; si non Clementis Alexandrini atque Origenis ut parum Orthodoxorum tum mutilata vel intercepta, tum adulterata essent; si Valentini, Marcionis aliorumque Gnosticorum libri extarent, ut eorum sententias, non quales adversarii, sed quales ipsi protulerunt, cognoscere daretur; si evangelia illa apocrypha, canone antiquiora, secundum Hebraeos, Aegyptios etc. vel ejus editionis, qua singula Joannis, Marci, Lucae singulis Christiani nominis partibus domestica et propria fuerant, inspicere et cum canonicis conferre liceret: tum vero justa copia esset hoc in genere doctrinae supra vias veteres consistendi. Nunc autem quoniam Catholica ecclesia ceteris viis dirutis eam solam reliquam fecit, quae ad ipsam unam deferret: nimis magnum

periculum est, ne nos acatholici per Patrum Catholicis unice probatorum litteraturam decipiamur.

Quid quod vetera Catholicorum habemus, antiqua non item. Nam Eusebius quidem historicus auctores laudat uno duobusque seculis ipso priores, ἀρχαίους, Papiam, Hegesippum; quorum scripta utinam superessent, ut eorum non paucula frusta modo pernoscere possemus. Tum enim, quo fundamento fides historica rerum Christianarum inde ab initio per duo prima secula constet, exploratu facile esset. Suppetunt nobis omnino illa N. T. monimenta, nescio quo delectu quove arbitrio sub finem seculi secundi certarum ecclesiarum in usum comportata, quarum foedus exclusis aliis catholicae ecclesiae seminarium evasit; atque in quantum ea per sese probabilia internae criticae satis faciunt, nihil amplius requirimus. In quantum autem testimoniorum externorum indigent, sciscitemur necesse est, num Papias, Hegesippus, Justinus, Polycarpus, quorum nominibus Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Epiphanius confisi sunt, idonei rerum auctores fuerint. Etenim, si quos hi laudant, homines leves, futiles, sordidi; si quae tradita tradunt, ve-

racibus illis, quas Lucianus derisit atque traduxit, historiis, ut ovum ovo, similia sunt: quid existimandum de probabilitate eorum, qui fabulatorum vanorum ineptorumque vestigiis ingrediuntur? quam fidem merentur etiam iis in rebus, quae, dum auctores aut reticuerunt aut nescierunt, ad coecam redeunt famam, ex. c. martyria Petri, Pauli, Joannis? Sic testimonia illa *περὶ τῆς γνησιότητος καὶ εἰλικρινείας* litterarum sacrarum tenues fugiunt ceu fumus in auras, nisi forte, ut aliqua certe habeamus, hominibus manifesto vel vanis vel credulis fidem tribuere juvet. At nobis quidem consultius videtur, parum quam nimis credulum esse quum in omnibus rebus, tum vero in maximis et gravissimis, in sacris atque divinis, atque in iis praecipue etiam atque etiam cavendum arbitramur, ne incerta pro certis habeamus falsa pro veris, persuasum habentes cum Zuinglio, quidquid divinum, idem verum esse, ac suae veritatis argumenta secum afferre, etiamsi deficiant externa testimonia, ita ut homines veri sensu, amore, studio praediti non approbare et amplecti non possint, sive apostolus Paulus ex. c. epistolam ad Hebraeos conscripserit, sive quispiam alius; falsa

contra et inania, in medio quamvis germani apostoli libro, ipsa sua veri dissimilitudine coargui sagacibus ac necessario rejici, quisquis tandem ea intermiscuerit. Nam etiamsi Petrus quid scripserit vel angelus de coelo, si per se falsum sit, pro vero divinoque credere fas non est παντὶ τῷ ὄντι ἐκ τῆς ἀληθείας. Si quae autem sunt ejusmodi, ut externis testimoniis stent cadantve tota, mere historica, sensumque veri non tangant: ea certe ad almam religionem pietatemque sinceram nequaquam pertinent ac nullo periculo vel addubitantur vel negliguntur.

Nihilo minus dudum operae pretium existimabam, primordia illa penitus explorare ipsosque supremos auctores, quorum fide Eusebius patresque deinceps ecclesiasticam historiam substruxerunt, excutere diligentius, et quantum in me est, quae Scaliger, Semlerus, Strothius, J. G. Rosenmullerus tum inchoaverunt, tum magis minusve profligarunt, conficere ita, ut omnem, quam ea quaestio excitavit contentionem ac disceptationem homines eruditi diremtam peremtamque cernerent.

Hanc operam mihi et pertinax studium, quo historiae antiquae a teneris usque deditus eram, et

scholae tui meique excellentissimi magistri, J. Jacobi Hottingeri, criticen historicam adolescentulis nobis professi, egregie sublevabant. Illas autem scholas, si non theoreticas, practicas tamen et applicatas, ut dicunt, ad historiam ecclesiasticam in votis est renovari academiae patriae. Causam et materiem dabunt si modo velimus, horae patristicae litteraturae et selectis capitibus ecclesiasticae historiae accuratius exponendis designatae. Hoc igitur opusculo nunc ego jamjam rude donandus collegis meis et academiae nostrae civibus praesentibus, futuris, propono, quam hujus disciplinae notionem in animo informaverim, quibusque a principiis hae disciplinae profectae, mea quidem sententia, felicissime possint percoli.

Periculum esse non ignoro, ne multi me dicant ineptum, qui in Hegesippo et Papia tantum olei et operae consumserim ac me Strothium audire jubeant, ad Eusebii H. E. 2: 23. haec animadvertentem: „Inutiliter chartam perderem, omnem notaturus absurditatem, qua haec fabula de martyrio Jacobi scatet. Epiphanius pariter insulsus et mendax istam narrationem duobus locis recoxit, in haeresi 29 et

78, posteriorique loco de virili parte exornavit, quo in genere fuit versatissimus. In omnibus enim traditionibus ejus vix quarta pars historica; cetera tum ipsius commenta, tum fabulae sunt conquisitae." Haud inepte tamen Scaliger in animadversionibus ad Chron. Eusebii p. 178. laborem eruditum hanc in fabulam impendit. Quumque tot viri, celeberrimis doctrinae laudibus insignes, refellere Scaligerum fidemque Hegesippi defendere moliti fuerint, Catholici et Acatholici, adeoque Salmasius memoriaque nostra nostras J. J. Hessius in historia quam composuit Apostolorum meditatissime huic fabulae speciem veritatis quandam affuderit: elaborandum esse in eo putabam, ut aliquando res ista perduceretur ad liquidum, nihilque reliquum fieret, quod in posterum ambigerent ac disceptarent litterati quamvis volentes. Nam probe senserunt Hegesippi patroni, quantum stet ipsis cadatve cum Hegesippi et sociorum auctoritate, quippe qui rerum Christianarum habeantur principes auctores primo seculo secundoque gestarum. Clemens enim Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Eusebius, Epiphanius, alii, ea quae tradunt ex apostolico proximoque aevo, his

fere talibus auctoribus accepta referunt. Eusebius ipse secundo libro H. E. extremo fatetur, hunc librum e scriptis Clementis, Tertulliani, Philonis, Josephi congestum esse. Quae sunt Philonis recte se habent, itemque Josephi praeter testimonia de Jesu et Jacobo supposita apud Euseb. 2: 23. 1: 10. Quae vero Clemens ac Tertullianus commodarunt posteris, ipsi ab Hegesippo similibusque ejus didicerant. Jam si sole clarius apparet, hos scriptorum ecclesiasticae historiae primos auctores mortalium fabulosissimos fuisse, negare non licebit, quod Frider. Spanhemius, filius, et Antonius Godelius, episcopus Vinciensis, dudum judicarunt, historia veri nominis carere ecclesiam Christianam usque in medium seculi secundi; supra meras fabulas esse.

Interim ex fabulis quoque opinionumque commentis et illis fraudibus piis permulta emolumenta theologia percipit historica. Inde enim pervident sapientes, quibus rationibus, consiliis, studiis ducti fabulatores illi et impostores; quibus rebus turbae eorum delectatae fuerint; quibus opinionibus imbutae; quibus artibus a veritate pura deflexae. Unde plurimum luminis ad cognoscendam ecclesiae cujusque

temporis conditionem, cultumque vel deformitatem religionis perspiciendam redundat.

Quantum denique valeant consequentia hujus notitiae in Critica Novi Testamenti, haud opus erit monere. Nam quidquid de origine, de auctoribus, de fatis eorum librorum, de canone, ab hujusmodi auctoribus traditum est atque ex istius modi traditionibus conjectatum, omni fere probabilitate, nedum certa consummataque fide destitutum videmus.

Quumque homines a veri sensu cultuque alieni, tum fallaces, tum creduli essent, quorum per manus succedentes tradita ineunte tertio seculo demum in canonem aliquem coeperunt coalescere: externa critice suis auxiliis eniti quidem potest ad eam fortasse conditionem librorum sacrorum, qua seculo quarto vel tertio ad summum fuerunt. Sed quid de integritate et sinceritate horum librorum factum sit superioribus seculis, vehementer dubium est; ac nisi probabilitas interna subveniat: parum tutum videtur externis tantum testimoniis confidere in rebus ad sanctam fidem pertinentibus, in summis et sentiendi et vivendi praeceptis.

Haud vero ignoramus, exortos esse nostra memoria multos viros eosque ingenio et doctrina eximios, qui esotericam quandam et exotericam religionem sacris voluminibus velint contineri, ac diversos τρόπους παιδείας, vel qui statuant, apostolos, quamvis Christum habuerint magistrum, Judaeorum tamen theologumena juxta cum ejus praeceptione mente sua fovisse opinionibusque Pharisaicis et Rabbinicis adeo indulsisse. Quod si ego audirem, tum ad meum alienumve arbitrium quidlibet vel esotericorum vel exotericorum loco numerare aut Christi doctrinae adscribere aut inter Judaeorum referre deberem superstitiones. At vero haec ambiguitas ipsa et licentia mihi taedium odiumque crearet, veritatem ibi non videnti, ubi nulla constantia, nulla via certa. Quare sicubi non ratione hermeneutica certo perspicere possum, Christum vel Apostolum pro sua docendi prudentia et humanitate κατ' ἄνθρωπον aliquid locutum esse, narravisse, disseruisse idque veritatis gratia, quam per ejusmodi συγκαταβάσεις et accommodationes nonnisi populo suo persuadere poterat; si vel singulas voces offendo vel longiores locos, per quae sibi dissimiles toti ac re-

pugnantes, δίψυχοι appareant, ea pro νόθοις existimare nullus dubitaverim. Nam Christum ejusque discipulos germanos eos fuisse, mihi certo certius est, qui simpliciter consentanea suique similia docerent; nec vero desunt, a quibus evangelistarum et apostolorum scripta interpolata et adulterata esse merito suspicemur.

Illorum vero salubria munera esse, horum venenat, cogitemus, necesse est. Μή τι γὰρ ἡ πηγὴ ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρόν; Fac, mi Aureli! codicem ex intimo angulo bibliothecae vetustae erutum ac Tibi oblatum maxima ex parte ejus et sermonis et argumenti esse, ut Ciceronem auctorem facile agnosccas; interjecta autem passim breviora, longiora, quae in principem Romanae eloquentiae minime cadant, fatua, inepta, a consilio ac tenore libri aliena! Tu certe pro summa tua cum Cicerone familiaritate non cessares haec obelo notare. Vel si codices omnes Josephi quod Eusebius et Origenes laudant testimonium de justitia Jacobi, fratris Domini, atque excidio Hierosolymae propter piaculum ejus nece contractum consonantes ad ver-

bum haberent: nihilominus interna critice νοθείας haec dicta suo jure convinceret.

Hanc igitur rem singularibus commentationibus altius aliquanto, subtilius et liberius investigatam, quam adhuc factum est, cum erudito orbe communicare paro, antequam indies ingravesens mihi senectus extorserit stilum. Nunc vero praesentem lucubrationem me tibi, Vir amicissime, etiam hoc scientiae et doctrinae genere inter nostrates excellens, comprobatam cupere non est quod dissimulem, sic tamen, ut quae rectiora melioraque nosti, candidus in medium conferas. Nam hebetem delirumque senectus tristis me reddere poterit, non poterit κενόδοξον καὶ φυσιούμενον. Etiam atque etiam vale!

Turici, 31. Dec. 1833.

# PRAEFATIO.

Continui motus non modo res patriae civiles, sed etiam ecclesiam scholamque usque miscebant, ex quo praesentem *librum* edituri hanc dedicationis loco scripsimus epistolam tam grate acceptam quam candide datam. Verum tamen non ita poenitet facti, ut opus per injurias temporis retardatum pertaesi jacere nunc et intercidere sinamus. Etenim ut omnes ceterae nobis conditiones ac necessitudines dissolvantur: ea certe societas, quam semel communis bonarum artium et litterarum amor atque scientiae caritas junxit, aliquantisper quidem laxari potest, ad diuturnitatem perimi non potest; neque nos unquam, credo, tantum dejiciemur de statu, ut non animose pergamus nostra cum orbe litterato communicare, dum eruditissimi cujusque approbatione oblectemur.

Jam dudum hac in mente et sententia stamus, ut nec hermeneutica nec vero historica theologia rectis talis ultra procedere possit, nisi altius et acrius aliquanto quam pristinis aetatibus factum est quamque per truces religionum tyran-

nos majoribus licuit, abditissimos fontes historiae ecclesiasticae atque initia prima librorum sacrorum Novi Foederis et origines illius quem Patres ferunt Canonis indagata exploratasque habeamus, nulla auctoritate obcoecati, nullis praejudicatis opinionibus capti nullaque formidine compressi, quo minus quae mentis acie libera perspexerimus, etiam libero ore profiteamur.

Hinc operae pretium videbatur Hegesippum et Papiam ex ipsorum reliquiis tamquam ex unguibus aestimasse, quam probabiles sint, quam idonei, certi, graves rerum gestarum auctores. Etenim si eos fabulosos, vanos, sectae cuidam addictos atque etiam factiosos viros, pravis opinionibus corruptos, rerum imperitos, mali ingenii pusillique vel nullius judicii fuisse manifesto tandem patescat: quid sentiendum erit de Eusebio et omnibus plerisque historiae ecclesiasticae scriptoribus, qui non dubitabant istorum commenta pro veris factis referre levissimisque mortalium hoc in genere auctoritatem summam praebere? Nec majorem fidem profecto fidem scriptores in rebus quibusvis habebunt trium primorum seculorum, quarum testes ne indicare quidem voluerunt aut ipsi adeo ignorarunt. Ex quo fit, ut si non suppetat interna probabilitas, stultum et credulum se gerat, non religiosum et sapientem, quisquis in hujusmodi relatis tamquam in oraculis acquiescat. Atqui post Scaligerum, Clericum, Valesium, Semmlerum, Strothium, humerisque eorum sublevati nos et aliquanto amplius, ni omnia fallunt, Hegesippum hoc multiplici varioque crimine satis superque tandem convicimus ac fere totum ex fraude et men-

dacio factum ostendimus. Nec meliorem esse Papiae causam volumine tertio item ex ejus reliquiis apparebit, quamquam iste magis deceptus falsusque fuisse videatur quam fallax.

Jam vero haec inquisitio authentiam, integritatem ac sinceritatem sacrarum litterarum haud leviter attingit, quoniam his talibus viris, proh dolor! prima de scriptis N. T. notitia debetur. Ejusdem nimirum sectae et factionis cum Papia et Hegesippo fuerunt, si verum quaerimus, iisdemque consiliis ac studiis ducti Ignatius, Polycarpus, Justinus, Irenaeus, Tertullianus, quos ubicunque e re sua fuerit tot ac tantas fraudes commisisse manifestum est, ut infidelius *nihil cogitari* possit. Sed istos tamen coeca fide sequuntur hodieque vulgo theologi, de librorum N. T. natalibus, incunabulis, fatis disserentes et innumeris modis conjectantes vel hariolantes.

Hanc igitur sententiam ut quam maxime comprobaremus, primum adulterationes litterarum sacrarum a Patribus qui orthodoxi nuncupantur suorum dogmatum gratia post Canonem institutum patratas castigavimus, secundo hujus operis volumine, qua in opera Clerici sumus vestigiis ex parte ingressi, qui de mendis Falsariorum egit Artis Criticae P. 3. S. 1. Cap. 15. Eodem pertinent adulterationes carminum liturgicorum ibidem palam factae a nobis.

At vero quis infitias ibit, aliquanto facilius ac tutius fuisse impostoribus ante conditum Canonem atque inter eum condendum litteras sacras vitiare, interpolare ac pro arbitrio quidlibet mutare? cujus generis doli, ut codicibus reliquis

omnibus longe superiores externam criticen prorsus effugiunt. Hoc ut ad lucem veniat, volumine quarto publici juris faciemus controversiam de libris N. T. canonicis, quos Justino Martyri notos et usitatos fuisse contendunt nonnulli, inductione sublatam, ac disputationem de singulis evangeliis apud singulas Christiani nominis partes ante Canonem conditum receptis. Qua in lucubratione praesertim animadvertemus, quid inter textum differat quo Valentiniani usi sunt et Marcion, et quo principes Canonis et catholicae ecclesiae praecones.

Hac ratione et via speramus optime internam librorum sacrorum criticen defendi et commendari magnaque qua viri nonnulli celebriores quam peritiores eam onerant invidia levari. Sic nostram quoque causam dexterrime agemus, de audacia qua istam criticen exercere solemus male audientes ab istis. Interim specimem dedimus in epistola volumini secundo praefixa ad D. Dav. Schulzium, quem hujus generis acerrimum eundemque aequissimum aestimatorem agnoscimus; multos contra ejeramus judices, qui ex hisce symbolis atque ex nostro, recentissimo libro de angelorum cultu et lege discere possunt, quantum nesciant, altiorisque rem indaginis esse, quam ut ipsorum opinio assequatur et facultas.

Ex eo errore potissimum revocare conamur ecclesiasticae historiae magistros vel novissimos, per quem praesumunt, inde ab aevo apostolico ecclesiam extitisse unam quandam in maximis minimis ὀρθογνώμονα, quae media inter haereses a dextra sinistraque plus minusve devias

omnem puramque veritatem Dei unice tenuerit. Nos enim compluribus omnino partibus a prima origine ecclesiam constitisse videmus, quae summam quidem disciplinae habebant communem, illam nimirum μικρὰν ζυμὴν, abditam farinae tribus modiis, donec totam ejus vim paulatim penetraret et in suam traheret naturam.

Massae autem sic fermentandae Judaeorum et Ethnicorum, Orientalium et Occidentalium, admodum diversae ut non uno modo subigebantur, ita non simul et similiter afficiebantur uno illo fermento. Ergo ipsa natura et quadam necessitate Christiani nominis partes a primordio placitis ac ritibus inter sese multum discrepabant, idque sic, ut omnem totamque veritatem nulla contineret nullaque omnibus numeris absoluta super ceteras emineret. Quare si quis vel ad systema ecclesiae catholicae ex oecumenicis conciliis illis paulatim concretum vel ad quodvis aliud, sive ex aliqua magistrorum huic illive ecclesiae probatorum serie conquisitum aut ad libros symbolicos certos informatum, sive nostra memoria ex unis litteris sacris eductum, patres trium seculorum ordine examinaret, sane reperiet neminem, qui non haereseos capitalis idque non unius reus deferendus esset. Nam frustra desudarunt catholici praesertim theologi in peccatis Patrum, quos tam orthodoxos quam sanctos praedicant, tum inficiandis et obliterandis tum excusandis ac purgandis, Justini, Irenaei, Tertulliani, quibuscum propterea, quod ceteros Christianos non per omnia et singula ipsis adsentientes haeresium acerbissime postulare et

condemnare solebant, pari cum severitate agere jus et aequitas exigit.

Hos igitur Patres Antenicaenos, quos Catholici praecipuos ducunt, quippe primos ecclesiae Romanae clientes vel parasitos et assentatores, si sub censuram vocamus, ex una schola profectos videmus, Joannis presbyteri, unde Presbyteriani haud scio an recte appellari possint.

Prodierunt eorum priores ex orbe illarum septem ecclesiarum quarum singulos angelos apocalypseos auctor compellat, ac Presbyteri auditores fuisse diserte traduntur; posteriores autem sese his archetypis, his principalibus magistris usos esse ipsi jactant, ut Tertullianus adv. Val. 5, atque adeo manifesta dogmatum et disciplinae similitudine satis cognoscuntur. Postquam ergo dogmata studiaque hujus sectae propria exquisierimus: tum vero in canonicis libris N. T. facili opera discernetur, quid cum his Presbyterianorum placitis et consiliis consentiat, quid contra. Atqui evangelium Joannis et catholica epistola, nec non epistolae Paulinae, et catholica Petri Jacobique, si quid odoror, summatim diversam ab illis et alienam redolent doctrinam. Quid quod praecepta Christi germanorumque apostolorum citra controversiam sincera et praecipua tum aversantur Presbyterianorum scholam, tum adversantur. Interim haec ipsa scripta lectitantibus occurrunt hic ibi breviora longiora, quae prorsus ad mentem animumque Presbyterianorum composita videantur, ut unum exemplum afferam Jo. 5: 28, 29, quem locum in litteris ad D. Dav. Schulzium accuratissime pertractavimus. Sed nullo pacto credere licet, Christum ejus-

que discipulos probos tam dissimilia sibi, tam pugnantia secum dixisse et scripsisse vel duplicem institutionem habuisse, esotericam et exotericam, disciplinam arcani et vulgarem. Quod si ita esset, nos quidem *διαχρινόμενοι*, utram nos imbibisse vellent, neutram caperemus: *πᾶν γὰρ, ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστὶ.* Novimus omnino calumnias, machinas et strophas interpretandi, per quas veteres *τὴν ἐναντιολογίαν* librorum canonicorum celare et eluere sategerunt, ex. c. per communicationem idiomatum; sed postquam ars exegetica, cerea quo libitum cunque dominantibus olim flecti, scientiae libertatem et principatum adepta firmis, certis, ratis legibus incedere coepit, spernimus et abhorremus hujusmodi fraudes pias et ingenue fatemur *ἐναντιώμενα* illa, quae salva veritate negari nequeunt. Nunc ergo dum impetrare a nobis minime possumus ut censeamus, Christum et suo ipsius ore et per apostolos tam ambiguum et varium fuisse, verbaque sese invicem jugulantia fecisse, ita ut ex iis diversas et contrarias opiniones pari jure concipere, confirmare et defendere liceat: non injustam, opinor, suspicionem conjicimus in Presbyterianos, quum omnia vestigia eo ferant, canonem N. T. ab iis conceptum et partum esse ad instar ejus, quem V. T. conditum habebant Judaei, ab iisque, quum libros quos canonicos fieri placebat in unum corpus contribuerunt, ubi maxime opportunum et necessarium videbatur, suis placitis consultum voluisse, interpolando, affingendo, invertendo, fortasse etiam intervertendo et resecando.

Hoc enim volebant, hoc spectabant, ut unam quamque

ceterarum sectarum ex eo ipso evangelio potissimum iisque litteris apostolicis, quas prae ceteris diligebat, erroris convincerent. Hinc facto opus videbatur, ut Joanneis dicta ingerantur, quibus Valentinianos, Paulinis, quibus Marcionitas, Evangelio Hebraeorum, quod *κατὰ Ματθαῖον* inscribere coeperunt, quibus Ebionitas etc. confutarent. Haec suspicio mihi valde confirmata est, quum identidem animadverterem, id genus locos, si evangelium et unam epistolam Joannis apostoli (nam duae breviores Presbyteri sunt) atque litteras Pauli, nominatim ad Romanos, ad Thessalonicenses ac primam ad Corinthios, fortius excutiamus, procidere nonnulla, ut ingesta, non innata, iisque abjectis lacunam nullam sentiri, quin imo sic demum cohaerentiam optimam apparere, consiliumque et intellectum scriptoris facile carere quibusdam locis praetermissis adeoque sibi rectius constare.

Ex. c. ad Rom. cap. III. commata 11—18. interpolata videntur. Nam primum illud testimonium commate 10. plane sufficit, depromtum ad comprobandam *τοῖς ἐν τῷ νόμῳ* sententiam Pauli, *Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι*, ex Ps. 143: 2, non ex 14: 3. 53: 4. Octo autem commata subsequentia nihil probant: in isto enim centone, si particulas ejus, quo loco Bibliorum singulae natae sunt, inspicimus: nequaquam de hominibus universis sermo est, etiam de probissimis et innocentissimis, de Israelitis pariter et Gentilibus, sed de hominibus facinorosis, tam inhumanis quam *ἀθέους*, ita ut haec recusare Judaei litterarum gnari summo jure potuissent ac Paulo calumniae dicam scribere. Istum centonem quantum scimus Justinus, si non ipse con-

sarcinavit, primus tamen litteris prodidit (Dial. 27), haud certe ex *litteris* Pauli: nam ignota Justino Paulina fuerunt. Presbyterianae igitur scholae quod quaeritur artificium acceptum referimus. Eorundem opera probabile est, Psalmum XIV hoc eodem centone distentum esse in codice τῶν LXX. Vaticano; non item in Alexandrino. Videsis Lamb. Bosium ad h. l. in sua editione τῶν LXX. et D. de Wette in Ps. XIV, cui quidem assentiri nequimus arbitranti, eo consilio hymnum sic interpolatum esse, ut citatio Pauli non vana videretur, monstrarique posset, unde haberet, in Bibliis. Immo credimus, utrumque et hymnum et epistolam Pauli a Presbyterianis interpolatum esse, ut fraude fraudem praetexerent. Haec ratio denique τὰς γραφὰς usurpandi a Pauli consuetudine tam aliena est, quam ejus ingenio et animo prorsus indignum videtur, supervacanea et inutilia scribere adversariisque non omnino illiteratis occasionem copiamque praebere, ut ipsum mali doli in Bibliis laudandis coarguant.

Huc accedit, quod in ejusmodi locis, quamquam stilum Joanneum Paulinumque imitentur, discrepantias non exiguas et inscitiam quandam dicendi reperimus, ex. c. Thess. 2, 2: 1—12. Accedit porro, quod illi ipsi Patres, quamvis primi omnium canonem magnopere crepent et jactent, ab ejusque auctoribus κατὰ πνεῦμα videantur prognati, in manifestis falsationibus librorum sacrorum deprehenduntur, ut Irenaeus, Tertullianus.

Quae quum ita sint, jure suo censemus internam criticen hos tales locos ὀβελίζειν. Tum vero id quod exegesi ad hodiernum usque diem nocentissimum accidit, ut propter

ejusmodi locos, catholico systemati praesertim capitales et aureos, alios diversae mentis ac sententiae nullis non argutiis ac versutiis praeter naturam distorquere cogeretur, ut in unum eundemque intellectum cum illis abirent, haec igitur servitus misera sic aliquando cessabit. En filum, quo demum equidem labyrinthum antea mihi inextricabilem permeare atque hoc in genere sapere coepi, neque aliud remedium dispicere possum, quo theologia dudum ambigua et ultro citroque nutans inter supranaturalissimum, quo nomine catholicum systema sese obtrudit, et rationalismum, quem Reformatores inchoatum reliquerunt, unquam expediatur. Inest enim, ut sacrae litterae etiam nunc se habent, duplex omnino, ut dicamus quod res est, doctrina, ut nisi criticen consulueris internam, vel nescias quorsum te vertas, vel temere in utramvis partem discedas.

Verum enim vero quam nos cum paucis attulimus internae critices opem non multis gratam et probatam, pluribus etiam suspectam et invisam esse satis experimur. Insolentioris audaciae accusamur, licet vel adversarii laudibus doctrinae, subtilitatis ac perspicientiae largiter nos ornent, et causas rationesque nostras expurgandorum textuum infringere et enervare nesciant. Quocirca eo delati sumus, ut quo jure quaque necessitate theologi internam criticen exercere debeant, nunc penitus et omni ex parte illustremus, et si qui doceri volunt aliquando persuadeamus, quam parum externa critice sufficiat, quum quaeritur quid extet in codice sacro, quod a veris evangelistis et apostolis intemeratum ad nos pervenisse nemo sanae mentis addubitare possit? quid contra ma-

gis minusve gravi suspicioni obnoxium sit νοθείας, interpolationis, corruptionis, ideoque, certe dum scrupuli resident ac doctissimo cuique non liquet, in fidem doctrinamque evangelicam recipi non possit.

Si quispiam alius, nos ii sumus omnino, qui inter philologiam profanam quam dicunt et sacram nullam principiorum regularumque differentiam agnoscamus. Sed cogitatione fingant, quaesumus, philologi, centum annis post obitum Platonis complures exortas esse philosophiae familias, quarum retulisset plurimum diversa sua placita aliam adversus aliam auctoritate Platonis et Platonicorum antiquorum propugnare: quis dubitet, quin falsata suppositaque multa hoc partium studio procreata essent? Fingamus item, unam earum familiarum tribus vel quatuor a Platone nato seculis quum ceteris praevaluisset, bibliothecam Platonicam ab ipsa delectam, recognitam, instructam unam et solam voluisse ratam haberi, reliquis omnibus e medio sublatis: quam difficile et arduum hodie foret, ab adulterinis et interpolatis discernere scripta Platonicorum antiquorum vera, sincera, integra, atque indubitatos certosque libros Platonis illos quidem, sed interpolatos et vitiatos, ad authentiam quodammodo saltem corrigere et repurgare? idque turba tanta praejudicatarum opinionum obstante, quam internae criticae S. L. etiam nunc adversatur. Hanc difficultatem multum exaggerat paucitas litteraturae, quam ex apostolorum proximisque aetatibus reliquam fecit tempus edax rerum et malignitas Catholicorum; qui nisi passim semet ipsi imprudentes proderent et in haereticos invehentes non raro meliorem sua cau-

sam eorum, ac rectiorem qua praediti erant adversarii Sacrarum litterarum intelligentiam significarent: discuti nequiret caligo.

Hinc mea quidem sententia, ubi Critica Classicorum rite laborum suorum modum terminat, ibi sacrarum litterarum curiosos negotium maximum manet, si modo fructus optati in homines primum liberaliter eruditos disciplinisque excultos, deinde in plebem Christianam redundare debeant. Magis enim magisque obsolescunt, pro eo ut ingeniorum cultura libertasque sentiendi atque loquendi in omnes hominum classes diffunditur, illae opiniones, textum receptum atque etiam versiones vulgatas omni mendorum vitiorumque dubitatione esse immunes; vigilantiam, sollicitudinem, cautionem inde ex apostolorum aevo ecclesiae tantam fuisse, ut ab omni fraude et pia et impia omnique corruptione integros incolumesque libros sacros conservaverit. Quod si magnam partem idiotae persuasum habent, facile ignoscendum; sin *οἱ δοκοῦντες εἶναι* theologi: non item. Nam si parum versati sunt in historia ecclesiastica trium seculorum primorum atque in antiquissimis rerum Christianarum monumentis eorumque adeo dirutorum, ut ita loquar, frustulis: at legisse saltem oportet, quae Clericus l. l. 150 fere annis abhinc de suppositionibus disputavit. Nos vero, quae prologus tantummodo significat, hoc opere ipso inchoato et si voluerit Deus profligando satis copiose et luculenter edocebimus.

Viros tandem hoc in genere doctrinae atque scientiae spectatos per ipsam quaestionis gravitatem suumque his in studiis nomen oramus obtestamurque, ut quacunque via

communicare velint, quod proposito nostro conducat, nos autem fugisse videatur, et meliora quae norunt, candide impertiant, atque nos, sicubi errasse animadverterint, placide corrigant, memores humanum esse errare, ac vix et ne vix quidem virum inveniri, qui, partim lubricis, partim salebrosis ac inviis locis insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione possit.

Ceterum hoc semper tenebimus, ubi *τὸ πνεῦμα* sit, non ubi *τὰ γράμμα*, *Κύριον* esse; *τὸ πνεῦμα* vero deficere, ubicunque non *ἐλευθερία* vigeat, nullius *καλύμματος* nullius-que praescriptionis patiens, atque Antonium Eremitam imitandum esse, qui *μᾶλλον γραμμάτων ἐθαύμαζε νῶν ἀγαθὸν ὡς πρεσβύτερον τῶν γραμμάτων καὶ αὐτὸν τούτων εὑρετὴν ἐπήνει.* Mentis ergo bonae esse putamus *δοκιμάζειν τὰ ἱερὰ γράμματα* ex iisque *τὰς ἁγίας γραφὰς*, *τὰς θεοπνεύστους* seligere. Haec intima mihi maneat Critice, per quam, quae Christi dicta factaque litterarum monumentis traduntur, ita Christi esse credimus illius, qui ad hoc natus est atque ad hoc prodiit in publicum, *ἵνα μαρτυρήσῃ τῇ ἀληθείᾳ*, ut veritatem divinam dictorum factorumque ratione et intelligentia conceperimus, nec probos discipulos ejus quidquam locutos esse aut egisse persuasum habemus, quod hanc *δοκιμασίαν* non sustineat. Quare ultra eam quam vocant grammatico-historicam interpretationem et criticen externam interiore intimaque critice usque utemur, itaque demum panharmonicam interpretationem perfici et absolvi censebimus.

Illa litteralia, et grammatica et historica, sunt nonnisi *παρασκευασικὰ*, quae tandem aliquando profligari et absolvi

debent, utpote τὰ τῦ νηπίυ, si quidem verum vidit apostolus, cujus haec vox est: Προφητείαι καταργηθήσονται, καὶ γλῶσσαι παύσονται καὶ γνώσις. Veniet tempus, quum non opus erit, quod verum, simplex sincerumque est, sacrorum voluminum testimoniis, peregrina quadam et mortua lingua prolatorum, commendare, quasi ἀξιόπιστον nihil esset quin ex ejusmodi γράμμασι depromi aut quomodocunque elici posset. Veniet tempus, quum necesse non habebitur Jesum hoc argumento τὸν σωτῆρα τῦ κόσμυ approbare, quod prisci vates aliquem Christum futurum adumbrassent, quasi non sua virtute cognoscendus esset δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, vel quasi ea, quae acies vidit nullius חזות, auris nullius Bileami, השמע אמרי־אל (Mos. 4, 24: 4, 16), percepit quaeque in cogitationem nullius viri vel sapientissimi unquam venerunt, ea nos praecipere veteres deberent, longis seculis ante partam salutem demortui. Veniet tempus, quum in rebus divinis linguarum quae putabantur sanctarum, hebraicae, graecae, latinae, hic perierit honor et usus, quumque γνώσις, hoc est Mischna, Gemara, Cabbala, artesque Allegoristarum ac Typologorum obsoluerint, quas Paulus quoque ad Galatas et Hebraeos potissimum exercuit atque in sua epistola Barnabas, necnon antiquissimi Patrum, ut Origenes, coluisse videntur. Καὶ ὥρα νῦν ἐστιν, ubi οἱ ἀληθινοὶ προσκύνηταὶ τῦ πατρὸς prophetiis, linguis ac disciplinis arcani lactari fastidiunt, ac περιαιρεῖσθαι τὸ κάλυμμα clarius et clarius poscunt, ὅπως ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ, hoc est πεφωτισμένοις ὀφθαλμοῖς καρδίας, τὴν δόξαν τῦ Κυρίυ κατοπτρίσωνται. Et quo longius qui vocantur theologi cessabunt adeoque obluctabun-

tur, hoc frequentiores cordatissimi quique Christum deserent non verum illum quidem, sed quem χηρύσσουσι palaeologi, juxta cum Pharisaeis τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν διακρίνειν nolentes. Fidunt isti vulgo, apud ipsos adhuc restanti; sed frustra fidunt: nam exemplis eorum, quos supra se sapere non ignorant, sensim trahuntur.

Hanc ergo unam salutem ecclesiis nostra aetate cernimus, nihil pro Christi doctrina et disciplina auribus animisque hominum offerri ac dari, quod non per sese, etiamsi omnis auctoritas τῶν γραμμάτων et canae vetustatis deesset, quam maxime probabile et credibile videatur omnibus communi sensu probe utentibus et sana ratione bonaque mente praeditis. Quo circa pueritia plebis ad hoc instituenda erit, ut bona cum mente τὸν ἔμφυτον λόγον iis in rebus maxime verset atque exerceat, quae fovere pauperum aeque ac opulentorum plurimum refert ad bene beateque vivendum. Hoc igitur agite, quibuscunque Christi majestas curae cordique est, in eo quam maxime elaboretis, ut ne pueri hodie, quemadmodum Christi atque apostolorum seculo, simulatque editi in lucem susceptique sunt, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versentur ac pene cum lacte nutricis errorem suxisse videantur; quum vero parentibus redditi demum magistris traditi sint, tum ita variis imbuantur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Quin eam disciplinam ac severitatem parvulis adhibetis, ut sincera nullis pravitatibus detorta unius cujusque natura toto pectore arripiat pulcherrimam Christi praecepto exemploque viam vivendi (Cic. Tusc. 3:

1, 2. Dial. de causis corr. eloquentiae 28, 29), Tum non obstabunt *νοήματα πεπωρωμένα*, quo minus veritatem divinam imbibant neo vero dediscenda desuescendaque multa erunt, ut salutari omnibus hominibus gratiae animi vacent; non *μεταμορφῶσθαι* oportebit *τῇ ἀναχαινώσει τῶ νοὸς*, sed ab ineunte aetate alacres homines erunt ac solertes *εἰς τὸ δοκιμάζειν, τί τὸ θέλημα τῶ θεῶ, τὸ ἀγαθὸν καὶ ἐυάρεσον καὶ τέλειον.* Tum aderit illa dies Christi, illa maturitas Novi Foederis, quam Jeremias 31: 33, 34. cecinit. Tum demum homines experientur, quam prope res fidei ora aeque ac pectora sit. Tum felices non tam infinitos doctrinae anfractus tamque obscuras eruendae veritatis latebras adire cogentur, quas nos aliquantum penetravimus. Tum nostris et similibus lucubrationibus facile carebunt; vel si forte inspiciant curiosiores, tam aperta patres nescisse mirabuntur posteri. Ceterum emeritosne sint nos habituri et cum Ovidio sensuri: „Emeritis referenda est gratia semper"; nihil laboramus, dum ex nostra conscientia felicitatem metimur.

# I.

## Hegesippi aevum.

Audiamus Grabium in Spicilegio Patrum Sec. II. p. 203. ita disserentem:

„Hegesippum Justino Martyri praeposuit in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus ad ejusque exemplum Dupinius, procul dubio inde quod is Eusebio libro II. Hist. Eccl. dictus sit *ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς*, vicinus Apostolicorum temporum, uti reddidit Hieronymus.“ A. Stephano Gobaro autem apud Photium Cod. CCXXXII. col. 893, *ἀρχαῖός τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικὸς* vocatur.“

„Prima successio, Valesius *) inquit, Apostolorum usque ad tempora Marci Antonini producitur, quo imperante Polycarpus, Joannis, Apostoli (?) discipulus, coronam martyrii reportavit. Irenaeus, Hegesippus, aequalis fere Irenaei, qui primae Apostolorum successioni sese contiguum fuisse significavit, libro de Ogdoade apud Euseb. H. E. 5: 20.“ — „Interea, ut refert H. E. 4: 21. Eusebius, (Antonino Vero octavum imperii annum agente, quo tempore Soter episcopatum Romae iniit; Theophilus Antiochiae) florebant Hegesippus, Dionysius Corinthiorum episcopus, Pinytusque Cretensium episcopus; Philippus post hos et Apollinaris et Me-

*) Ad Euseb. H. E. 2: 23.

lito, Musanusque et Modestus et post omnes Irenaeus, quorum etiam in nos apostolicae traditionis de sana fide litteris consignata devenit orthodoxia."

„Ac haud quidem, pergit Grabius, eo infitias, jam sub Hadriano Hegesippum pariter ac Justinum vixisse; unde sicut Justinus Martyr bellum, quod sub isto imperatore accidit, *νῦν γενόμενον* dixit, ita et Hegesippus id, quod cum Antinoo servo Caesaris Hadriani gestum est, tamquam sua aetate contigisse narrat aitque *μέχρι νῦν*."

Quin imo Justinus haud aliter Apol. 1. 29. Antinoi facit mentionem, *τῷ νῦν γεγενημένῳ, ὃν καὶ πάντες ὡς θεὸν διὰ φόβον σέβειν ὥρμηντο, ἐπιξάμενοι τίς τε ἦν καὶ πόθεν ὑπῆρχεν.* Tatianus quoque, Athenagoras, Theophilus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus Antinoum commemorant, ita ut inde discriminis quidquam aetatis inter hos patres elici nequeat.

„Attamen, idem inquit, Hegesippum hoc loco posteriorem feci Justino, quia istos quorum fragmenta exhibeo libros composuit, postquam martyrio defunctus erat Justinus. Id anno Christi 163 vel 165 factum esse, Spicil. II. p. 146. probavi."

Utrique certe cum iisdem haeresibus et Judaeorum et Christianorum controversia fuit. Marcion in vivis adhuc, quum apologia I. Justini conscriberetur; Marcionitae Dial. 35. damnantur, et auctore Eusebio IV. 13. sub iisdem episcopis cum Hegesippo floruit Justinus usque ad Soterem 4: 21.

„At Hegesippus scripsit Eleuthero ecclesiae Romanae episcopo, ut ex ipsius indicio cognoscitur. Atqui Eleutherus sedit ab anno 170 ad 185 juxta rationes Pearsonii, vel ab anno 162 ad 177 juxta computationem Dodwelli, ut adeo ad haec tempora referenda sint Hegesippi fragmenta."

Operae pretium videtur animadvertere, apud Irenaeum pariter tertio adv. Haer. libro seriem episcoporum Romanorum in Eleuthero desinere, quippe quum eo Romanam ecclesiam moderante suum opus elaboraret. Vid. Euseb. 5: 5. Eleuthe-

rum vero, qui decimo Commodi anno decessit, (Euseb. ibid. 5: 22), anno 191 Christi nati, 13 annos munere functus, facili supputatione liquet omnino, anno 178 iniisse episcopatum. Ipse docet Justinus (Apol. 1: 46), apologiarum suarum quam ferunt priorem 150 annis a Christo nato scriptam esse, id est: postquam Cyrenius Judaeam in formulam provinciae redegisset, (nam diserte Justinus ibid. et 33. Cyrenio censum agente Christum natum esse tradit) quod anno 12. vulgaris aerae Christianae evenisse constat; itaque ea quam quaerimus apologia in annum 162 incidit. Dialogum autem, cujus capite 26. apologia prima laudatur, interjecto inter utramque apologiam tempore, dum in Asia Minore versabatur, conscripsisse videtur. Hinc non est cur non assentiamur Tillemontio et Marano *) arbitrantibus, Justinum anno circiter 168 gladio percussum esse, eodem quo necem passus est Polycarpus tempore. Vid. Euseb. H. E. 4: 16 initio et 15. initio. Magis autem probabile est in Asia reum actum esse ac supplicio affectum quam Romae. Eusebius certe nec locum indicans nec mortis genus, insidiis autem Crescentis philosophi Justini necem imputans, ea quae feruntur martyrii ejus acta vel ignorasse vel nullo loco habuisse videtur.

Licet ergo Hegesippus commentarios suos duodecim ad summum annis ediderit postquam Justinus apologias suas ac dialogum confecisset: non tamen ideo ille aliquantisper superstes huic morte violenta praerepto putari junior potest.

De anno, quo Justinus natus sit, non magis constat quam quo Hegesippus. Nihil enim vanius Epiphanio; qui Haer. 46: 1. de Justino sic fabulatur: „Pro Christo testatus perfectae coronae dignitatem reportat sub Romanis, sub Rustico praefecto et Adriano rege, annum trigesimum agens, aetatis robustae.“ Rusticum eundem esse conjectamus, quem collegam Hadrianum tertio consulatu suo habuisse,

*) Vid. Maranus, praefat. Justini P. III. cap. 9: 2.

Fasti perhibent, anno 119. Constat autem Justinum plus 40 annis post viguisse sub Antoninis. Ex hoc Epiphanii, si Diis placet, testimonio Grabius inepte colligit, Justinum anno 89 Christi in lucem editum esse: manifesta enim falsitas anni fatalis natalis anni veritatem approbare non potest. Justini denique scripta non juvenem, sed provectiorem annis auctorem manifesto arguunt.

## II.

## Hegesippi patria et peregrinatio.

„Ceterum, Grabius inquit, pauca sunt, quae de hoc auctore dici possunt. Eusebius H. E. 4: 22. testatur, illum ἐξ Ἑβραίων πεπιστευκέναι."

Quo genere ortus, ubi natus et educatus, quando peregre profectus, quo fato coactus quove consilio ductus, quibus in locis commoratus, antequam tenderet Romam, nescitur. Quantum conjectura assequi possumus, bellum illud ab Hadriano gestum annis Christi 133—138 circiter, quo Judaei rebelles ad ultimum inopiae venerunt atque omnem spem restitutionis amiserunt, Hegesippum videtur cum aliis sui generis hominibus impulisse, ut nomen Christo darent. Tunc enim per totum orbem Romanum odio pariter et contemtu laborare coeperant, ac praesertim de ara pinguescere ac nitescere soliti non habebant unde viverent. Pharisaei et Legisperiti, qui antea νομίζοντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν mare terramque circumire consueverant, ut proselytos venarentur munificos, quo adhuc nomine usi fuerant lucrum frustra captabant, quum Christiani nominis gratia ubivis praevaleret. Tum vero e re sua putare coeperunt, Jesum Christum ore profiteri, sic tamen ut suum ingenium, quantum liceret, ejus disciplinae suffunderent, suis vanitatibus rem Christianam adulterarent, fabulosis commentis imperitos rerum lactarent oraculisque inauditis rerum novarum impatiens studium injicerent credulis. Sed primum omnium fuit homines indu-

cere, ut crederent, istos demum, utpote recens ex Oriente profectos, e solo Jesu natali, accuratius et copiosius aliis omnia tenere, istorum auctoritate vera et falsa discerni debere, recta et prava, si qua opinionum sententiarumque diversitas oborta esset. Sic provincias opulentissimas et maxime terrarum Deam gentiumque Romam petebant, ibique nullis non adulationibus gratiam apud principes ecclesiae inibant. Quid mirum si tanto citius fidem sibi facerent, quanto magis ad gloriam ecclesiae Romanae primatumque Romanorum episcoporum fabulae istae pertinerent. Eleutherus autem istiusmodi hominibus maxime propensus et gratiosus fuisse videtur, quem Irenaeus adeo delinierat, ut Chiliastarum et Montanistarum patronum ageret, a Praxea tamen, Cajo Romano et aliis, quos Tertullianus Psychicorum vocabulo notat, coactus „et literas pacis revocare jam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare." Tertullian. adv. Praxeam cap. 1, et Euseb. H. E. 5: 1. cum Strothii annotatione.

Haec talia conjectare licet, quum Hegesippus reticeat unde et quando peregrinationem susceperit plurimosque episcopos viserit, ut Eusebius narrat, orthodoxiae curiosus. Ipse unam urbem Corinthum memorat, ubi commoratus aliquantisper tetenderit Romam Aniceto episcopo, id est circa annum 157—169. Num ex eo tempore usque ad mortem plus annos 20 Romae permanserit, et ubi obierit quoque fato, nulla memoria extat. Eleutherus, nisi me fallit, ambitiosus ac credulus, divitior numis quam ingenio et judicio, peregrinorum parasitorum praestigiis captus, quam ipsos copiosiorem, sinceriorem, certiorem notitiam de primordiis rei Christianae ex Oriente ipsaque metropoli ecclesiae adferre mentiebantur, temere imbibit iisque decipiendum se tradidit. Ceterum quod eodem quo Polycarpus tempore Romam profectus est atque eidem, cui Irenaeus Eleuthero adulatus, auguramur, Polycarpi fuisse socium Hegesippum quoque, iisdemque partibus addictum.

## III.

## Hegesippi doctrina et opus.

„Idque inde confirmat quod in libris suis quaedam ex evangelio secundum Hebraeos et Syriaco, necnon ex Hebraica lingua, in medium protulerit quodque aliqua ex Judaeorum traditionibus haud scriptis prodiderit memoriae. Harum enim, neque solum Judaicarum sed et Christianarum, maxime studiosum fuisse Hegesippum tam longum ejus iter quam praeclarum librorum ejus institutum satis superque testatur. Nam ut Eusebius H. E. 4: 8 scribit: *ἐν πέντε συγγράμμασιν ἔτος τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τῦ ἀποστολικῦ κηρύγματος ἀπλοστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος.*“ Et Hieronymus: „Omnes a passione Domini usque ad suam aetatem ecclesiasticorum actuum texens historias multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur dicendi quoque exprimeret characterem.“

His verbis testatur Eusebius, Hegesippum historica, ut ita loquar, deductione probasse doctrinae apostolicae sinceritatem per successiones traditae usque ad Primum, episcopum Corinthi, Romae usque ad Anicetum (159—169), Hierosolymis usque ad Symeonem Cleopae, supplicio adfectum (anno 108). Tamdiu Hegesippus singulas has ecclesias virgines permansisse testatur. Unde Hieronymus cognitum habuerit Hegesippum plenam historiam a Christi morte usque ad sua tempora composuisse, non liquet. Nam ipsum Hegesippi opus manu versasse, nullum est vestigium. Nihil certe ejus profert quod non apud Eusebium reperiamus.

„Atque hinc multum dolenda horum quinque *ὑπομνημάτων* jactura, praesertim quum pauca tantum eorum supersint fragmenta.“

Nam his commentariis antiquius nihil, unde historiam rerum Christianarum inde ab anno Christi 33 ad annum 167

cognoscamus. Verum enim vero quamvis paucae supersint reliquiae, quas pro certo sciamus ab Hegesippo profectas, dubitare non licet, quin plurima, quae Eusebius aliique post Hegesippum ex aevo apostolico proximisque narrant, Hegesippo accepta referenda sint. Sed multa suspicamur in commentariis Hegesippi infuisse, quae catholica deinceps ecclesia celata silentioque mandata voluerit, fortasse nimis absurda; ideoque hos libros posteritati non proditos esse. Ceterum hae parvae reliquiae sufficiunt, ut ex ungue cognoscamus leonem, utque intelligamus quantum auctoritatis tribuendum sit scriptoribus historiae ecclesiasticae, ex. c. Eusebio, qui fabulas futiles Hegesippi pro veris venditarunt ejusque commentariis *τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τῦ ἀποστολικῦ κηρύγματος* inesse temere sibi persuaserunt. Unde nimirum facile conjicitur quantum fidei debeatur iisdem, ubi ne nomen quidem auctoris communicantes primi simpliciter illud ferunt dictitant.

## IV.

## Hegesippi obitus.

Chronicon Alexandrinum ad Olymp. CCXXXIX ita habet: *Ἐπὶ τύτυ (Κομμόδυ) Ἡγήσιππος τελειῦται περὶ ἀποστόλων μεγάλως συγγραψάμενος, ὡς ἱστορεῖ Εὐσέβιος ὁ Παμφύλυ.* Ergo si mors Hegesippi in dominatum Commodi 180—187. incidit, non plus 12. annos ultra Justini necem vitam prorogavit, suaque morte defunctus, si quem Moses et Solon in septuaginta annos proferunt terminum vitae contigit, anno Christi circiter 110. lucem adspexit, non ut Grabius hariolatur, 89.

## Hegesippi Fragmenta

### A.

### Ex Eusebii Historia Eccl. IV. 22.

*Ἡγήσιππος ἐν πέντε τοῖς εἰς ἡμᾶς ἐλθῦσιν ὑπομνήμασι τῆς ἰδίας γνώμης πληρεστάτην γνώμην καταλέλοιπεν, ἐν οἷς δηλοῖ ὡς*

πλείοις ἐπισκόποις συμμίξειεν, ἀποδημίαν ϛειλάμενος μέχρι Ῥώμης, καὶ ὡς ἔτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρείληφε διδασκαλίαν. Ἀκῦσαι γέ τοι πάρεϛι μετά τινα περὶ τῆς Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους ἐπιϛολῆς αὐτῷ εἰρημένα ἐπιλέγοντος ταῦτα.

Καὶ ἐπέμενεν ἡ ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ. Οἷς συνέμιξα πλέων εἰς Ῥώμην καὶ συνδιέτριψα τοῖς Κορινθίοις ἡμέρας ἱκανὰς, ἐν αἷς συνεπάημεν τῷ ὀρθῷ λόγῳ Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτε ᾧ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος. Καὶ παρὰ Ἀνικήτε διαδέχεται Σωτὴρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος. Ἐν ἑκάϛῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάϛῃ πόλει ἕτως ἔχει ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται καὶ ὁ κύριος.

„Hegesippus in quinis illis quos ad nos pervenerunt commentariis propriae sententiae locupletissimam mentionem reliquit, in quibus declarat, ut plurimis cum Episcopis contulerit peregrinatione Romam usque susceptа, utque adhuc eandem in omnibus perceperit doctrinam. At audire certe pretium est post nonnulla de Clementis ad Corinthios epistola isthaec addentem:"

„Et mansit ecclesia Corinthiorum in recta ratione usque ad Primum,[1]) episcopatu fungentem Corinthi. Quibuscum [2]) versatus sum navigans Romam et apud Corinthios commoratus aliquot dies, quo spatio una delectati [3]) sumus recta ratione. Delatus autem Romam successionem posui usque [4]) ad Anicetum, [5]) cujus diaconus fuit Eleutherus. Et ab Aniceto [6]) excipit Soter. Post quem Eleutherus. In unaquaque autem successione et in unaquaque urbe sic se habet, ut lex pronuntiat et prophetae et Dominus."

---

[1]) Hic Primus, Corinthiorum episcopus, Aniceti tempore floruisse debet, quantum e contextu intelligitur, id est anno Christi 157 — 169. Ceterum frustra episcopus Corinthiorum hujus nominis inquiritur apud Eusebium. Primus episcopus Alexandriae 4: 4. commemoratur.

[2]) Quid est, quod Valesius, Grabius, Routh οἷς ἀρνέμξα legentes ᾧ συνέμξα reddant, quasi Hegesippus dicat, se Primi modo consuetudine usum esse. Strothius quidem et Valesius ᾧ rescripserunt auctoribus Rufino, Nicephoro et Christoph. lectionu. Sed si Hegesippus, id quod Eusebius diserte dicit (H. E. 4, 19), imperio Antonini Veri medio floruit, non potest primis Hadriani annis adiisse Corinthum, quibus Primum illum episcopum Corinthi fuisse (112 — 120) Chronologi volunt.

[3]) *Συναναπάημεν*, aor. 2. pass. verbi *συναναπαύω*, *σολοικίζει*. *Συναναπαυσάμεθα* Graecum esset.

[4]) *Διαδοχὴν ἐποιησάμην*. Successionem rectae rationis sive Orthodoxiae illibatae apud Corinthios moderamine episcopi Primi terminare placuit Hegesippo; Romae autem haec eadem successio, ut ipsi videbatur, haud ultra episcopatum Aniceti processit. *Ποιεῖσθαι* h. l. statuere sibi, censere. — Valesius et Routh *διαδοχὴν ἐποιησάμην* reddunt mansi, Savilii emendationem secuti, *διατριβὴν* pro *διαδοχὴν*. Pearsonius et Grabius faciunt Hegesippum dicere, ab ipso tabulam successionis episcoporum confectam; seriem episcoporum Romanorum a Petro sive Lino usque ad Anicetum consignatam esse, quod quidem ut apud Romanos fieret, haud opus fuit advenae nec profecto fasti episcopales a peregrino homine compositi *ἀξιόπιστοι* forent. Tillemontius quidem quum recte successionem doctrinae cogitasset, minus probe doctrinam posuit apud ecclesiam Romanam tempore Aniceti receptam, quasi pro *διαδοχὴν* scriptum esset *διδαχὴν*, vocem *ἐποιησάμην* quoque perperam interpretatus: consignavi litteris. Haud nescimus, Lucam, Polybium, Galenum locutione *λόγαν ποιεῖσθαι* usos esse, vocemque *λογοποιὸν* notam habemus. At vero *λόγον ποιεῖσθαι* non magis significat historiam consignare litteris quam *ἀπολογίαν*, *ἀπόκρισιν*, *ἔρκον*, *δεήσεις*, sed concipere verbis,

sive ore tantum efferantur, sive litteris prodantur. *Διδαχὴν* vel *διαδοχὴν ποιεῖσθαι* nullius est exempli, hanc in sententiam dictum, ut non de auctore sive conditore doctrinae cogitetur, sed de homine, qui doctrinam alicubi jam pridem conditam receptamque litteris mandet. Ex. c. si quis hodie philosophiam Socratis aut medicam artem Hippocratis conscripserit, nemo dixerit eum *ποιήσασθαι φιλοσοφίαν Σωκράτες, ἰατρικὴν Ἱπποκράτες.*

[5]) Eusebius ipse parum attendit ac sibi non constat 4: 11. narrans: *Κατ' Ἀνίκητον Ἡγήσιππος ἱστορεῖ ἑαυτὸν ἐπιδημῆσαι τῇ Ῥώμῃ, παραμεῖναί τε αὐτόθι μέχρι τῆς ἐπισκοπῆς Ἐλευθέρου.* Quasi (ibid. 4: 22) Hegesippus scripserit: *διατριβὴν ἐποιησάμην κατ' Ἀνίκητον.*

[6]) *Παρὰ Ἀνικήτῳ διαδέχεται*, nempe *τὸν ὀρθὸν λόγον*, de quo agitur. „Post obitum Aniceti successit Soter.“ Vales. Quasi de episcopatu sermo sit. Supervacaneum autem profecto erat tradere, qui successor Aniceti vocetur in cathedram ecclesiae Romanae. — „Constat illos, Marcionem, Valentinum in catholicam primo ecclesiam credidisse apud ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutheri benedicti.“ Tertull. de Praescript. 30, probaturus novitatem haeresium ac virginitatem ecclesiae usque ad Eleutheri episcopatum, i. e, ad annum usque 178. Atqui Justinus decem annis ante vita defunctus quum in dialogo c. 33, tum in apologia prima, Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, Saturnilianos incessit. Tanta vel ignorantia Tertulliani in rebus proximi aevi vel falsitas.

Hoc loco igitur accipimus, Hegesippum longinquo itinere plurimos episcopos convenisse atque ecclesias lustrasse, scisciturum et judicaturum, ubinam terrarum *ὁ ὀρθὸς λόγος*, i. e. Apostolicae traditionis et sanae fidei orthodoxia constet necne; quasi visitator quidam ab Jacobo illo, episcopo episcoporum (Vid. Clementis epistola inter scripta Patrum Apostolicorum) legatus. Attamen una Corinthus nominatim

commemoratur, quam urbem proxime antequam Romam veniret appulerit. Hanc ecclesiam Corinthiorum virginem, id est nullis haeresibus infectam, mansisse usque ad Primum censet, et Romanensem usque ad Anicetum, qui ab anno 157 — 168 episcopatum obtinuit. Quamvis aliquanto ante Valentinum et Cerdonem Marcionemque deinceps exortos esse constet.

Veruntamen eam laudem episcopis Aniceto, Soteri, Eleuthero tribuit, disciplinam Legi Prophetisque ac Domino consentaneam ab iis sartam tectamque conservatam esse. Paulus certe nihil minus quam Mosis Prophetarumque praeconium egit, atque pariter cum disciplina Christi Mosaicam tenendam esse statuit. Unde manifesto apparet, Hegesippo pariter ac Irenaeo placuisse Evangelium cum Lege confusum, Christianismum judaizantem. Ceterum qui poterat peregrinus circa 170 ecclesiarum Corinthiae et Romanae conditionem ab incunabulis cognitam perspectamque habere? Nam quod apud Euseb. H. E. 3: 16. legitur: „Clementis aetate (quem ab anno 93 — 102 episcopum Romanum fuisse tradunt) res Corinthiorum seditione agitatas esse, *) locuples testis Hegesippus," hoc ex epistola Clementis dudum vulgata notissimum tali teste nequaquam indigebat. Quo pacto igitur arbiter testisque potest haberi, qui 70 annis post factum Corinthum attigerit? Nihil autem mirum, tales inquisitores in Asia minore, Graecia, Italia Christianos invenisse intelligentia rerum, sententiis, moribus ab ipsis multum discrepantes, quum plus centum annis ante illi *παρείσακτοι ψευδάδελφοι, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν, ἣν εἶχον* Galatae, Corinthii, Philippenses, a Paulo instituti, eos nec

*) *Κεκίνηται γάσεως. Κινεῖν*, quod Latini dicunt, movere loco, statu, de sententia. Quare *γάσεως* vocabulum videtur inculcatum scholion. Valde dubitamus, quod Latinorum est movere statu, Graecos hac locutione *κινεῖν γάσεως* extulisse.

satis nec juste doctos esse contenderent ad bene beateque vivendum.

## B.

### Ex Euseb. H. E. IV. 8.

*Ἐν τούτοις ἐγνωρίζετο Ἡγήσιππος, ὃ πλείσταις ἤδη πρότερον κεχρήμεθα φωναῖς ὡς ἂν ἐκ τῆς αὐτῶ παραδόσεως τινὰ τῶν κατὰ τοὺς Ἀποστόλους παρατιθέμενοι. Ἐν πέντε δὴ ὧν συγγράμμασιν ἅπερ τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τῦ ἀποστολικῦ κηρύγματος ἁπλουστάτη συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος καθ' ὃν ἐγνωρίζετο σημαίνει χρόνον, περὶ τῶν ἀρχῆθεν ἱδρυσάντων τὰ εἴδωλα ὕτω πῶς γράφων·*

*Οἷς κενοτάφια καὶ ναοὺς ἐποίησαν ὡς μέχρι νῦν ὧν ἐστι καὶ Ἀντίνοος δοῦλος Ἀδριανῦ καίσαρος, ᾧ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος, ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος· καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου καὶ προφήτας.*

Inter hos (qui conscriptis disputationibus haereticos debellarunt) nobilitabatur Hegesippus, cujus plurimis jam supra sumus usi vocibus, ut qui ex ejus traditione quaedam eventa Apostolici aevi apponere possimus. Quinque igitur commentariis ille immunem errore traditionem Apostolici praeconii planissimo scribendi genere complexus tempus quo floruit notat, de iis qui antiquitus dedicaverunt simulacra sic fere scribens:

„Quibus cenotaphia et templa fecerunt ut etiamnunc; in quorum numero est etiam Antinous, servus Hadriani Caesaris, cujus etiam ludus [1]) agitur Antinoius; qui etiam nostro tempore fieri solet: etenim et urbem condidit cognominem Antinoi et prophetas.“

---

[1]) Hunc ludum quinquennalem extremo seculo quarto adhuc solitum esse celebrari apud Mantineam, testatur

Pausanias in Arcadicis. Hinc suspicor, verba: ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος, non Hegesippi esse, sed ab Eusebio adjecta.

Satis constat, Hegesippum octavo demum aut nono decennio seculi secundi scripsisse episcopo Eleuthero; Antinous autem anno 120 periit. Ad summum ergo hoc consequitur ut Hegesippus jam tertio decennio secundi seculi vixerit sexagenarius circiter, quum commentarios scriberet; non autem, ut scripserit Hadriani tempore. Non enim sua memoria Antinoum obiisse refert, sed ludum ejus adhuc agi.

## C.

## Ibidem IV. 22.

*Καὶ ἕτερα δὲ πλεῖστα γράφει, ὧν ἐκ μέρους ἤδη πρότερον ἐμνημονεύσαμεν, οἰκείως τοῖς καιροῖς τὰς ἱστορίας παραθέμενοι· ἔκ τε τῶ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίῳ καὶ τῷ Συριακῷ καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν, ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι. Καὶ ἄλλα δὲ ὡς ἂν ἐξ ἰουδαϊκῆς ἀγράφου παραδόσεως μνημονεύει· ὃ μόνος δὲ ἔτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος καὶ ὁ πᾶς τῶν ἀρχαίων χόρος πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλεσν. Καὶ περὶ τῶν λεγομένων δὲ Ἀποκρύφων διαλαμβάνων ἐπὶ τῶν αὐτῷ χρόνων πρός τινων αἱρετικῶν ἀνάπεπλάσθαι τινὰ τούτων ἱστορεῖ.*

„Alia et plurima scribit quae ex parte jam supra memoravimus, dum commode suis notitias temporibus attribuimus. Et ex Evangelio secundum Hebraeos Syriaco, et [1]) proprie ex Hebraico sermone quaedam praebet ostendens, ex Hebraeis ipsum sese contulisse in fidem; [2]) aliaque etiam quasi e Judaica non scripta traditione memorat. Non solum autem hic, sed Irenaeus [3]) quoque et universus antiquorum chorus panareton Sophiam Salomonis sicut proverbia vocabant, ac de iis quae dicuntur apocrypha [4]) disceptans, suis temporibus a quibusdam haereticis eorum quaedam ficta esse narrat.

---

[1]) *Τῷ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίῳ καὶ τῷ Συριακῷ.* Rufinus:

„Disseruit autem de evangelio secundum Hebraeos et Syros," quasi textus ita se haberet: *εὐαγγελίῳ καθ' Ἑβραίους καὶ Σύρους*. Hieronymus l. 3. adv. Pelagianos: „In evangelio juxta Hebraeos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est." Quum Eusebius Syriacum dicit, Aramaeum dicit. Vid. Lightf. Hor. Hebr. in Acta 6: 1, et Opp. II. p. 766, 1. 207, 218, 425. Routh e Melitonis fragmentis haec verba adsciscit: *Τὸ κατεχόμενος τῶν κεράτων* (Mos. 1, 22: 13. LXX) *ὁ Σῦρος καὶ ὁ Ἑβραῖος κρεμάμενος* *) *φησί, ὡς σαφέστερον δηλῶν τὸ σαυρόν*. Quibus verbis nostra quidem sententia non versiones quasdam Graecas ab Alexandrina diversas Melito laudat, quae Syrus et Hebraeus mirabiliter vocentur, sed Pentateuchum significat tum Hebraico sermone consignatum, tum Syrochaldaico expositum. Pro suis enim rationibus Patres modo Alexandrinae versionis auctoritatem praetendere solebant, tamquam *θεοπνεύστα*, ubi Hebraica quae dicitur veritas suis ipsorum commentis parum congrueret; vel adeo textum ab Hebraeis *ἀπίστοις* corruptum esse dicebant; tum contra vere falsoque affirmabant, aliud quid sonare Hebraicos codices quam LXX. Vid. Just. Dial. 124, 137.

*Τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον* autem quum dicitur, inepte cogitaveris de evangelio cujus auctores Hebraei sint, sed evangelium usitatum Hebraeis, utpote ad eos scriptum, ad eorum intelligentiam sensumque et palatum accommodatum, apud eos quod ratum habetur; evangelium denique, Hebraeorum. Sic Apost. 17: 18. *οἱ καθ' ὑμᾶς*, vestrates, Graeci; *νόμος ὁ καθ' ὑμᾶς* 18: 15, i. q. Jo. 8: 17. *ὁ νόμος ὁ ὑμέτερος*. Eph. 1: 15. *ἡ καθ' ὑμᾶς πίστις*. Vid. Fischer. ad Vell. 3: b: pag. 191. *Εὐαγγέλιον ὃ οὐκ ἔστι κατὰ ἄνθρωπον* i. q. *εὐαγγέ-*

---

*) אדון nativo sermone Hebraico, non תלה. Hoc autem pendere, *κρέμασθαι*, redditur, nusquam illud. Falsus igitur est Melito.

λιον, ὃ ἐ κηρύσσομεν ὡς ἀρέσκοντες ἀνθρώπῳ, Ἰουδαίῳ. Gal. 1: 11. coll. v. 10. 4: 2, 5. — Τὸ εὐαγγέλιόν μου Paulus dicit, (R. 16: 25), ὃ ἐγὼ εὐαγγελίζομαι, nusquam τὸ εὐαγγέλιον κατ' ἐμέ.

Hoc idem evangelium τὸ κατὰ Ματθαῖον primus appellare maluit Irenaeus, illum titulum secundum Hebraeos nusquam proferens; qui in Catena Patrum: „Evangelium secundum Matthaeum ad Judaeos scriptum est.“ Idem: „Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφῇ ἐξήνεγκεν εὐαγγέλιον. (Haer. 3: 1). Quid mirum, quod Ebionaei, i. e. Ἑβραῖοι ἢ Ἰουδαῖοι οἱ πεπιστευκότες, solo hoc evangelio utebantur (ibid. 1: 26. 3: 11)? Clemens Alex. quoque Matthaeum Evangelistam hebraico sermone scripsisse testatur Strom. 3: 24, 5: 10, 6: 25, necnon Origenes.

Ceterum minime infitiamur, differre inter Evangelium secundum Matthaeum quod extat canonicum et Hebraeorum evangelium, ab Irenaeo secundum Matthaeum vocatum. Alterum sermonis fuit nativi, alterum graece redditum. Illud fidelibus e circumcisione, Nazarenis (Act. 21: 20. 24: 5), ad quos principio scriptum erat, accommodatum; quumque eo solo uterentur ex quo tempore scriptum esset, nihil minus vero simile videtur, quam evangelium semel receptum ab iis castratum et adulteratum esse. Hoc vero, ut Christianis, id est fidelibus e praeputio, acceptum esset neque cum tribus ceteris evangeliis, in τετρακτὺν canonicam copulatis, nimis manifesto discreparet, utque consociationis illius, cujus causa canonem N. T. condebant, rationibus et placitis, Nazarenorum ex parte adversis, inserviret, magna quaedam suspicio est, nonnihil ex illo evangelio Hebraeorum mutatum, hic illic rescriptum, interpolatum, exsectum esse, Nomen quoque Hebraeorum ex industria certe oblitteratum, Christianis omnem in modum declinantibus, ne inter Hebraeos sive Judaeos censerentur, post illud bellum adversus Hadrianum funestum adeo invisos contumeliaque

Judaici fisci adfectos (Dio Cass. 66: 7. Sueton. Domit. 12); quod periculum subiissent Hebraeorum evangelium habere convicti. Hanc ob causam hoc evangelium consimiliter ceteris ab auctore nominare placuit. Quare a Matthaeo, in explanandis Papiae reliquiis occasio dabitur. Eandem ob causam arbitror, nusquam apud Justinum de evangelio secundum Hebraeos mentionem fieri, qui antequam evangelistarum quadrigae inventae fuerant, *τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων* laudare solebat.

Haud ergo, quum Eusebius scripsit: *ἕτερα δὲ πλεῖστα γράφει — ἔκ τε τῶ καθ' Ἑβραίους εὐαγγελίω καὶ τῇ συριακῇ καὶ ἰδίως ἐκ τῆς ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν*, de duobus evangeliis, Hebraico altero, altero Syriaco, cogitare licet; sed evangelium illud Hebraeorum Syriacum erat, i. e. Aramaeo-Chaldaicum. Hinc tollendum putamus prius *καί*. Verba autem: *καὶ ἰδίως ἐκ τῆς ἑβραΐδος* etc. antiquam dialectum spectant, qua V T. libri conscripti erant ac Jesu tempore Judaei nonnisi in sacris utebantur.

[2]) Non ipsum Hegesippum *νεόφυτον* credimus, sed filium Judaei cujusdam, qui quum illa seditio Barcochebae tàm male cessisset nomenque Judaicum tantum non extinctum esset, in castra Christianorum transgressus erat illorum, quos Origenes Sibyllistas vocat, pro interitu Romani imperii juxta cum Judaeis vota facientium.

[3]) Irenaeus nusquam Proverbia Salomonis canonica *πανάρετον σοφίαν* appellavit, quantum quidem ex ejus reliquis scriptis cognoscere licet; sed eum librorum ecclesiasticorum, qui hodie Sapientia Salomonis inscribitur. H. E. 5: 8. Hoc nomine veniunt apud Clem. Rom. ad Cor. 1; 57. proverbia Salomonis, itemque Clem. Strom. 2: 23. — Eusebius Demonstr. Ev. VIII, Chronico Ol. 137, Isid. Pelusiota, Hieron. prologo in libros Salomonis, Cassiodorus, Cedrenus *τὴν πανάρετον σοφίαν* Jesum, filium Synach, composuisse testantur. Vid. Suiceri Thes. Eccl. sub voce *πανάρετος*. Sed

hoc nomen Epiphanius, Athanasius in Synopsi, Gregor. Nyss. L. 7. contra Eunomium, sicut Irenaeus, tribuerunt libro illi ecclesiastico, cui Sapientia nomen. Unde nobis oboritur suspicio textum aliquo vitio laborare. Hunc locum sic reddidit Rufinus: „Verum et hic ipse et Irenaeus et omnis Antiquorum chorus librum, qui attitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut et Proverbia.“ Alia vero res est, ubi e Proverbiis locus laudatur, ubi Sapientiam divinam, non Salomoniam, scriptor loquentem induxit. Confer. item Suicerus l. l. sub *σόφια* III. 5. a.

Nobis quidem manifestum est, ut Eusebius hic testimonium Hegesippi de libro quodam non homologumeno, sed antilegomeno produxerit; legendumque cum Rufino putamus: *σοφίαν Σολομῶνος, καθὼς καὶ τὰς παροιμίας.* Hoc enim constat, omnem chorum antiquorum librum Sapientiae adscripsisse Salomoni; non item eos uno ore Salomonis proverbia *παναρετον σοφίαν* appellasse. Conferatur Euseb. 5: 8, ubi scriptor animadvertit, ab Irenaeo locos e Sapientia Salomonis laudatos esse, ex. c. Sap. 6: 18, 19. Unde liquet, non Proverbiis cognomen Sapientiae datum esse, sed Sapientiam, quo libro Canon Hebraicus vacat, ut non hebraici sermonis, attamen Salomoni adscriptam.

4) *Ἀποκρύφων.* Liquido discernit Hegesippus Apocrypha Haereticorum et Orthodoxorum. Posterioris generis scripta ecclesiastica Christiani vocare consueverunt, non item Judaei. Non est autem quod Apocrypha N. T. cogitemus; rectius pseudepigrapha V. T. in hunc censum referimus (vid. Constitutt. Ap. 6: 16), ex c. Testamentum XII. Patriarcharum, quod et alia hujus modi plurima Hegesippi tempore ficta ferebantur. In Stichometriis certe apocryphi libri tum V. tum N. Testamenti memorantur, nulla mentione facta librorum ecclesiasticorum (Vid. Pearsonii Vindiciae Ignatii cap. 4). Nihil huc facit Rufini testimonium (Expos. Symboli Ap. p. 26), dicentis non canonicos, sed ecclesiasticos libros a majoribus

appellatos esse, qualis est Sapientia Salomonis. A. Judaeis certe nulli omnino dicebantur ecclesiastici, qui non canonici essent. (Vid. Corrodi de Canone. P. 1. p. 151 sq.) Si de libro N. T. homologumeno vel antilegomeno vel apocrypho Hegesippus quippiam commemorasset, hoc Eusebius pro sua hoe in genere diligentia praeprimis excerpturus fuisset, quemadmodum ubi de Papia, Justino, Irenaeo, aliis mentionem fecit. Sed Canonem N. T. aliquem Hegesippo notum fuisse; quum nullum vestigium extet, de apocryphis N. T. canone exclusis ne somniasse quidem videtur.

## D.

## Ibidem IV. 22.

*Ἦσαν γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ, ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα καὶ τὸ Χριστῷ αὗται· Ἐσσαῖοι, Γαλιλαῖοι, Ἡμεροβαπτισταὶ, Μασβωθαῖοι, Σαμαρεῖται, Σαδδουκαῖοι, Φαρισαῖοι.*

Erant diversae sententiae in circumcisione Israelitarum contra tribum [1]) Judae et Christum istae: Esseni, [2]) Galilaei, [3]) Hemerobaptistae, [4]) Masbothaei, [5]) Samaritae, [6]) Sadducaei, [7]) Pharisaei. [8])

---

1) *Ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φύλης Ἰούδα.* Mss. plerique *ἡ τῶν κατὰ* etc. Rescribimus: *τοῖς κατὰ τῆς φύλης Ἰούδα* scilicet *οὖσι.* Israel et Juda saepius diversarum hostiliumque partium nomina sunt. Israelitae separatim appellari consueverant decem illae tribus quae, quum Rehabeamus Salomoni succedens imperiosius ageret nullosque limites potestatis concedere nollet: ei totique Davidis regio generi renuntiarunt in perpetuum et pro vanis atque irritis habuerunt effata Nathanis omniumque deinceps vatum, Davidis generi addictorum, de Messia rege, filio Davidis, ac de Davidis imperio redintegrando, sub cujus leges decem tribus principe tribu Juda venirent. In eorum contra votis erat *ὁ προφήτης*, quem (Deuter. 18: 15—19. Act. 3: 2. 7:

37) Moses longe antiqnior et major Nathane Israelitis (Deut. 5: 1) divinaverat e fratribus eorum, quemadmodum Moses Israelita fuerat, non Judaeus. Imo, quum idem Moses (ibid. 33: 16) pariter ut Jacobus Patriarcha (Mos. 1, 49: 26) Josephum נזיר אחיו, δοξασθέντα ἐν ἀδελφοῖς αὐτοῦ declarasset ac summa felicitate per ultima vota mactasset, inde argumentabantur, maximum illum prophetam filium fore Josephi, *) non filium Davidis, filii Judae.

Sic ergo Israelitae qui Judaeis contribui submittique nolebant, κατὰ τῆς φύλης Ἰούδα καὶ τῶ Χριςῶ fuerunt, nempe τῶ γεγησομένῳ ἐκ τῶ σπέρματος Δαβὶδ, ἐρχομένῳ ἀπὸ Βηθλεὲμ Ἰούδα (Jo. 7: 42. coll. Matth. 2: 6).

Hinc tanta discrepantia evangelii Joannei et synopticorum. In illo Jesus Nazarenus nusquam filius Davidis salutatur neque ipse ait rogatus, num rex Judaeorum sit, id quod synoptici Jesum apud Pilatum sine ulla mora profiteri faciunt. Philippus Galilaeus Galilaeo Nathanaeli: Quem, inquit, designavit Moses reperimus filium Josephi Jesum. Moses autem non designavit filium Davidis, de tribu Judae, sed Israelitam, ex interpretatione τῶν δεκαφύλων, Josephitam. — Nathanael Jesu: Tu es rex Israelis, non Judaeorum (Jo. 1: 49. coll. 12: 13). Quod contra fit Luc. 1: 27, 32, 69. 2: 4. etc. Matth. 1: 1, 20. 2: 1, 6. 9: 27. 12: 23. 15: 22. 20: 30, 31. 21: 9, 15. Judaei propter id ipsum, quod Josephita esset, quod Galilaeus, non Davide prognatus, non ipsorum contribulis, Jesum aspernabantur (Jo. 6: 42. 7: 28. 8: 42). Nathanael autem Galilaeus non admiratur, ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας ἐγείρεται, sed hoc vix credere potest, ὅτι ἐκ Ναζαρέθ (ibib. 1: 47. coll. 8: 52); non ex nobiliore et ampliore civitate Galilaeae. — Per totum fere evangelium Joannis οἱ Ἰουδαῖοι hoc nudo soloque nomine suo a

*) Non fabri scilicet, viri Mariae, sed prognati Josepho, patriarcha, Jacobi filio, pronepote Abrahami.

Baptista primum, deinde ab Jesu alieni aversique introducuntur, non item Galilaei et Samaritani (4: 40, 45), quippe qui non Judaeam incolentes, sed in partibus decem tribuum habitantes, proprie Judaei non essent. Galilaeos a superbis Judaeis contemtos videmus (Jo. 8: 52), moribus ac ritibus dialectoque multum diversos (Lightf. Vol. II. p. 470); Samaritanos autem, suo jure genus Jacobi sese ferentes, et stirpem Josephi Judaei execrabantur, adeoque plus ethnicis oderant. Quare Jesus probri causa Samaritanus vocatur. Plus septuagies nomen *οἱ Ἰουδαῖοι* per evangelium recursat ac tribus tantum locis *ἀδιαφόρως*, ita ut non adversarii Baptistae et Jesu significentur (3: 1. 11: 45. 12: 11), sed tamen homines alienigenae. Nam 4: 22. cum Dr. Diefenbachio suppositum comma esse arbitramur; 8: 31. *Ἰουδαίους* ut vox supervacanea suspicionem habet. Legem porro Judaeorum Jesus perinde ac Pilatus nec suam legem dicit neque suorum (7: 19. 8: 17. 10: 34. 15: 21. Conf. 7: 51. 19: 7. 18: 31).

Et si (Jo. 1: 17, 18) *ἡ χάρις καὶ ἀλήθεια* per J. Chr. contigit, sequatur necesse est, legem, quae Mosi accepta refertur, non *τὴν χάριν καὶ ἀλήθειαν τῷ θεῷ* fuisse, quam ille, *μὴ ἑώρακὼς τὸν θεὸν*, edisserere non potuerit. — Proles illa provisa Abrahamo (8: 56. Gal. 3: 16 sqq.), *ὁ προφήτης* a Mose promissus, quem a Christo nempe Judaeorum, Davidis filio, accurate discerni videmus (Jo. 1: 20, 21, 25) creditur Jesus (ibid. 7: 40), quamquam non sit Davide prognatus neque Bethlehemo Judae oriundus, aliis, Judaeis nimirum, non *τὸν προφήτην*, sed *τὸν χριστὸν τῶν Ἰουδαίων* desiderantibus Jesumque spernentibus, idcirco quod Galilaeus sit, non Bethlehemo Judae oriundus (v. 41, 42). Primo Christiani nominis aevo pars reperitur minime cotemnenda, quae Jesum non Christum regem habebant, *τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ* restituturum, ac *βασιλείαν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου* conditurum; sed eum prophetam *κατ' ἐξοχήν*, verum, dexterum prophetam, prophetam veritatis vocare consueverant, ut

praesertim e Clementinis Recognitt. et Homiliis cognoscere licet. Hi docebaat Jesu fidem tribui oportere ut viro sancto et prophetae (Constitt. Ap. 6: 10); Christum, qui ab initio et semper erat, per singulas quasque generationes piis, latenter quamvis, semper tamen adfuisse, iis praecipue a quibus expectabatur etc. (Recognitt. Clem. 1: 52), ab initio generis humani formas una cum nominibus mutantem percurrere aevum, donec sua tempora nactus propter labores munere Dei requietem in aeternum possideat. (Homil. 3: 20).

Duplex ergo Messias, alter filius Josephi, *) Ephraimi, Jeroboami, propheta; alter de tribu Judae, filius Davidis, rex, hic Judaeorum in votis, Israelitarum ille, quum esset: **) fideles e circumcisione, qui Jesum esse Messiam credebant, in duas partes discessisse videntur. Priores omnino Galilaei***) fuerunt, quam ob rem Jesu sectatores Nazareni, Galilaei principio a Judaeis ac per eos apud Ethnicos Nazareni

*) Ipsi Judaei Messiam, filium Josephi, venturum esse, non negabant, sed vel peritarum vel inferiorem suo Messia redditum iri. „In ista generatione, in qua veniet Filius Davidis, inquit Rabban Gamaliel, Galilaea devastabitur et Galilaei vagabuntur de civitate in civitatem et misericordiam non consequentur.“ Massecheth derech a. z. cap. 6.

**) Videantur Eisenmenger, Lightfootus etc. plurimis Rabbinorum testimoniis duplicem hanc opinionem de Messia comprobantes.

***) Hi Galilaei postea Ebionaei dicebantur, propterea quod regnum ex hoc mundo non affectabant paupertatemque et victum simplicissimum colebant. Id quod e Clem. Recognitt. et Homiliis optime perdiscitur. Scripta V. T. plurimam partem nihil curabant, ipsamque pentateuchum non sine magna exceptione probabant. Si quis eorum sententias auctoritatibus Pentateuchi refellere conabatur: Quid, respondebant, Legem scrutemur, opus est, evangelium habentibus? Ceterum Patriarchas usque ad Mosen magni faciebant, ceteros prophetas negligebant; inprimis vero Simsonem, Davidem et Salomonem deridebant. Vid. Epiphan. Haer. XXX. Irenaeus praecipue et Presbyteriani in contrarias ab iis partes abierunt.

sive Galilaei nomen invenerunt. (Act. 6: 14. 24: 5. Epictet. Arr. 4: 7. Julian. Epist. 52. et passim, Lucianus). Judaei demum, postquam templum suum eversum patriaque prorsus deperdita esset, sua quum interesse cernerent Jesum profiteri Christum, nomen ei dederunt, sic tamen ut ipsum suum facerent Christum, Davidis filium, qui secundo quodam adventu praestaret, quae primo reliqua fecisset et Judaeorum oraculis atque optatis et Chiliasmo Pharisaico satisfaceret.

Quis jam non videat Hegesippum fuisse unum *Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων*, qui Christum filium Davidis volebant, *τὸν λέοντα ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, τὴν ῥίζαν Δαβὶδ* (Apocal. 5: 5. 22: 16), atque eos haereseos damnabant, qui evangelium ex Joannis ore auditum vel ex scriptis ejus perceptum tenentes Jesum quidem Christum credebant, unctum prophetam, vi veritatis mentes humanas moderantem; non autem eum Davide prognatum, de tribu Juda, Bethlehemo oriundum esse docti erant. Multis N. T. locis haec duplex notitia demum Messiae lucem justam affundit.

[2]) Prima de septem sectis antijudaicis, quos Hegesippus enumerat, constat Essenis, qui auctore Josepho (A. J. 18: 2) „in templum *ἀναθήματα* (donaria) mittentes non rem divinam faciunt hostiis propter excellentiam castimoniarum quas justas putant; quapropter arcentur a communi fano. — Convaluit (B. J. 2: 7) apud eos haec opinio, peritura quidem corpora et materiam esse non perennem iis; mentes autem immortales aeternum manere et includi, e subtilissimo commeantes aëre, quasi carceribus corporibus, dum illecebra quadam naturali attrahantur; quando autem relevatae fuerint vinculis carnalibus, velut longa servitute liberatas tunc gaudere et sublime ferri. Et bonis quidem mentibus, consentientes Graecis, pronuntiant trans Ocea-

num *) sedem repositam esse etc. principio quidem immortales animos esse existimantes; deinde ad instigationem honestatis ac dissuasionem nequitiae: bonos enim fieri per vitam meliores spe honoris etiam post mortem, malorumque cohiberi impetus timore, expectantium remunerationem, etiamsi laterent in hac vita, ne post obitum aeternam poenam subituri essent."

Lightfootus (in Acta 23: 8) „ex his verbis Josephi obscurum esse putat, an Esseni agnoverint resurrectionem corporum, qui tamen agnoverint animorum immortalitatem lubentissime." Nobis autem sole clarius videtur eos resurrectionem terrenorum corporum nullam agnovisse. Hac vero in sententia Jesu Pauloque cum Essenis omnino convenit; partes autem, a quibus Justinus, Irenaeus, Athenagoras, Theophilus, Chiliastae denique stabant, resurrectionem terreni corporis, carnis, maxime urgebant contra Gnosticos et Marcionitas.

Justinus (Dial. 80): *Λέγεσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάςασιν, ἀλλὰ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν* (si quidem in terra innocentiam et sanctitatem coluerint) *ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν ὐρανόν.* Quasi hoc ipsum non sit *ἀνάςασις*, **) si unus

---

*) Paradisum trans Oceanum situm esse, Christiani primorum seculorum plerique existimarunt. Vid. Schulthessius de Paradiso pag. 351.

**) *Ἀνάςασις* tum קוּם, i. q. חַיִּים, *ζωοποίησις*, conservatio vitae, ita ut *Χριστὸς ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι* (Petr. 1, 3: 18) idem sonet quod *ἀναςτάς;* tum הקים, non in eum quo fuit vitae statum restitutio, sed in altiorem, feliciorem, ex c. quum plebejus homo magistratus vel propheta vel sacerdos evadit. Vid. Gesen. sub hac voce. Ps. 113: 7. קום, *ὑψιςάναι*, eminentiam significat, adnotante Grotio ad Sir. 47: 1. Macc. 1. 9: 31. Zuinglius ad Jo. 6: 40. „Potest hic per *τὴν ἐχάτην ἡμέραν* mors hominis intelligi, et per *ἀναςήσω* conservatio in vita." Ad Marc. 9: 10. „*ἀνάςασις*, vita post mortem." Ad Cor. 1. 15. initio: „animorum vita perennis post hanc vitam, etiam priusquam revixerit corpus terre-

quisque piorum supremo vitae die (ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ), quum ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων, ἐν ὄψει ἀνθρώπων (Sap. 3: 2, 4), κατὰ ἀνθρώπους (Pet. 1, 4: 6), τεθνᾶναι videatur, νεκρός, elevetur in coelum. Irenaeus (5: 31): „Haeretici — non suscipientes salutem carnis suae — simulatque mortui fuerint, dicunt se supergredi coelos."

Momentum, quo vertitur dogma Chiliastarum, hoc est: Homo totus post hanc vitam est judicandus, ac praemiis poenisve afficiendus. Atqui homo spiritu et carne constat. Ergo et spiritus et caro post hanc vitam praemiis poenisve afficienda sunt. Cujus consequens, ut caro resuscitetur e pulvere ad judicium. Sed cum Cicerone minorem negamus; qui (Tusc. 1: 22): „Neque nos corpora sumus. — Nam corpus quasi vas est aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te." Barnabas corpus dicit σκεῦος πνεύματος, et Grotius ad Rom. 6: 13. „Corpus, inquit, est mediae qualitatis, quo et male et bene uti licet." Infantis est factorum meritum adscribere instrumento. Ex quo philosophi excellentissimi animorum immortalitatem crediderunt, nulli corporum.

Similiter Tertullianus (Scorp. c. 10): „Valentiniani etiam figurate (Iren. 2: 31. n. 2) resurrectionem a mortuis esse dixerunt agnitionem veritatis." Idem de resurrectione carnis 9. „Resurrectionem — in imaginariam significationem distorquent, asseverantes mortem etiam ipsam spiritaliter esse intelligendam. Non enim hanc esse — discidium corporis et animi, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore jacuerit, quam in sepulchro. Itaque et resurrectionem eam vindicandam, qua quis adita veritate redanimatus et revivificatus Deo, velut de se-

num." Haud ergo verum est illud verbum Tertulliani: „Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat quam quae cecidit." Adv. Marc. 5: 9. Modo vocabulum ἀνάστασις recte intelligatur, sub quo non resurgendi, sed surgendi notio simplicior subjecta est, vel potius elevandi, altius constituendi.

pulchro veteris hominis eruperit. — Hoc denique ingenio in colloquiis saepe nostros decipere consuerunt, quasi et ipsi resurrectionem admittant. Vae, inquiunt, qui in hac carne non resurrexerit.“

Quid magis Christi, Pauli, Joannis doctrinae consentaneum est hac sententia Gnosticorum a Presbyterianis condemnata, qui resurrectionem carnis vel etiam corporis nusquam in N. T. commemoratam ostendere possunt, ubi *ἀνάστασις νεκρῶν* aut simpliciter *ἀνάστασις* usque occurrit.

3) *Γαλιλαῖοι*, ab Judaeis, *τοῖς πεπιστευκόσιν*, ut modo diximus, segregati, iidem qui Constitutt. Ap. 6: 6. Ebionaei vocantur, apud Epiphanium *Ναασραῖοι*, apud Jo. Nicaenum *Ναζαραῖοι*, qui Christum hominem ex hominibus natum volebant; quae quidem omnium Judaeorum opinio fuit communis. Vid. Justin. Dial. 48, 49.

4) *Ἡμεροβαπτισταί*, qui apud Just, Dial. 80. *βαπτισταί*. Haud alii videntur nisi Joannis Baptistae discipuli, „opinantes non posse hominem salvum fieri nisi quotidie lavetur.“ Vid. Patres Apost. cur. Cotel. Vol. 1. p. 505. Necnon partes illae fidelium, pro quibus Clementina scripta sunt, aquam colebant (Vid. Recognitt. 6: 8), hemerobaptistae (ibid. 4: 3). Epiphanius (Haer. 30: 15): „De Petro plurima mendacia Ebionaei confinxerunt, *ὡς αὐτῷ καθ' ἡμέραν βαπτιζομένῳ ἁγνισμῷ ἕνεκεν, καθάπερ καὶ ἕτοι. — Βάπτισμα αὐτοὶ λαμβάνουσι χωρὶς ὧν καθ' ἡμέραν βαπτίζονται· μυσήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων καὶ τὸ ἄλλο μέρος τῷ μυσηρίῳ δι' ὕδατος μόνου.* — Ita nimirum Joannes baptista jusserat homines „virtutem colentes et erga se invicem aequitatem, erga Deum pietatem exercentes baptismo congredi: sic enim lotionem ei acceptam fore, non ob peccatorum quorundam impetrandam veniam ea utentium, sed lustrandi corporis causa, quippe quum etiam animus justitia fuerit praepurgatus.“ Joseph. A. J. 18: 7. Jam vero si baptisma symbolum sit emendationis consi-

liorum, voluntatum, morum, eaque non uno temporis momento perfici queat, sed καθ' ἡμέραν continuari debeat, quidni symbolum quod suscepti commonefaciat voti, καθ' ἡμέραν recolatur? Praestat certe Hemerobaptista sordido Jacobo, quem infra videbimus, Hegesippeo.

*) Μασβωθαῖοι. Num forte hoc nomen vocabulo משבתים (Thren. 1: 7. μετοικεσία LXX. sabbata Vulg. interitus, deletio Gesen.) cognatum ab השבית, quod LXX reddunt ἀφαιρέω, ἀφανίζω, καταλύω? „Masbothaei (Constitt. Ap. 6: 6) οἱ πρόνοιαν ἀγνοέμενοι, ἐξ αὐτομάτου δὲ φορᾶς λέγοντες τὰ ὄντα συνεχᾶναι καὶ ψυχῆς τὴν ἀθανασίαν περικόπτοντες. Vid. Niceph. 4: 7, Theodoreti Haeret. Fab. 1: 1, Sophron. Epist. ad Serg. — Actione secunda Concil. Gener. Sexti indiculus Haereseon Hieronymo attributus, ubi Marbonaei dicuntur, apud Isidor. Orig. 8: 4. Morbonaei, apud Rufinum Masbuthaei. „Mihi quidem mendum subesse videtur in alterutro *) Hegesippi loco.“ Valesius.

Masbothaei ergo sunt antipodes eorum, qui fatali necessitate omnia hominis praestituta destinataque putant. Hi contra nihil certum, fixum, firmum, ratum esse volunt. Epicureos ejusmodi exortos esse inter Judaeos discimus e Sapientiae capite secundo. Masbothaei ergo non solum providentiam Dei, sed etiam fatum et quam dixerunt Genesin tollebant, introducentes providentiae expertem casum. Vid. infra Clem. Homil. 4: 12, 13. Sic nomen Masbothaeorum reddi debebat ἀφανιζαὶ, ἀπολλύοντες, annihilantes, ut ita loquar, sese et omnia.

Eo devenimus, dum conciliare studemus Hegesippum atque Justinum. Nihil autem horum consensum curantibus in mentem venit, hoc nomen ad Sabbatum referre, ut indicaretur Sabbati cultus nimis superstitiosus ultra legis mentem ac sententiam, quem saepenumero Jesus reprehendit, licet observantissimus legis ac veri nominis sabbatarius fuerit.

*) Vel hoc vel Euseb. H. E. 4: 22.

Origenes (de Princip. 4: 17): Alii, inquit, quos inter Dositheus Samaritanus, arbitrantur, quo quisque corporis situ fuerit die Sabbati inventus, in eo ad vesperam usque manendum esse. Dr. Semlerus item suspicatus est nomen Masbothaeorum corruptione quadam natum esse ex Hebraico verbo שבת, feriatus est; at contra putavit Christianos ab infestis Judaeis opprobrii causa משבותים vocatos esse, quod diem Solis pro Saturni perverso ferientur ordine. Sebuaei, quos Epiphanius secundam haeresin Samaritarum facit atque insimulat solemnium tempora, Azymorum et Paschae, Pentecostes etc. transposuisse, eodem sic redierunt cum Hegesippi Masbothaeis.

Apostolico aevo certum est, a fidelibus e circumcisione universis, necnon ab iis, qui *φοβούμενοι τὸν θεὸν* synagogas et proseuchas Judaeorum frequentare soliti fuerant, priusquam in evangelii fidem concessissent, sabbati religionem servatam esse. Post excidium templi demum Christiani, primique omnium Romani, cum Judaeis sabbatizare desierunt, ut ne propter hanc feriarum communitatem censi inter Judaeos imposita Judaicae genti tributa pendere cogerentur; sensimque eo ventum, ut fidelibus, qui sabbatizabant, societatem renuntiarent, et canone ecclesiastico interdicerent: *ὅτι ὃ δεῖ χριστιανὸς ἰουδαΐζειν καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν.* *) Sic Sabbatizantes, quamvis *ὁμολογοῦντες κύριον Ἰησοῦν*, pro haereticis haberi coepti sunt Ebionaei. Quid, si Hegesippus istis nomen Masbothaeorum imposuisset? Tantum obscuritas Hegesippi hariolationibus dedit spatium!

Sed probe animadvertendum, Justinum (Dial. 80) hanc sectam alio nomine *μερισῶν* appellare, fortasse significantem eos, qui Sap. 2: 9. crepant: Haec est pars nostra (*ἡ μερὶς ἡμῶν*) etc. Sardanapali instar: *Τόσσ' ἔχω, ὡς ἔπιον καὶ ἐδήτυα* etc., quosque hymnologus Ps. 17: 14 mortales vocat huic

*) Vid. Can. 29. Laod.

seculo addictos, partem suam — (v. μερίδα Symm.) in hac vita expetentes. Apud Lucam 16: 25. ἀπολαμβάνοντας τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν ἐν τῇ ζωῇ, hanc opinionem alentes: ὅτι αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐχ ὑπάρξαντες — παρελεύσεται ὁ βίος ἡμῶν ὡς ἴχνη νεφέλης καὶ ὡς ὀμίχλη διασκεδασθήσεται etc. Sap. II. 2.

*), Samaritae, quibus respondent apud Justinum γενιζαί, si quid video, iidem qui Jes. 47: 13. הברי שמים, ἀστρολόγοι οὐρανῷ, augures qui caelum in templa sive areas dividebant, intra quas auguria caperent, quos Tacitus, Juvenalis, Gellius, Tertullianus mathematicos vocant. Haud ergo nomen gentis esse putáverim, sed artis, שֹׁמְרֵי sc. שָׁמַיִם, quo sensu Latini servare de coelo dicebant. Lucanus (8: 71): „Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi.“ Observare (שמר) etiam augurum verbum esse monet Servius ad Aen. 6: 198. „Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.“

Γενιζαὶ apud Justinum, ni fallor, id quod γενεθλιακοὶ, Chaldaei apud Gellium. *) Isidorus longam scripsit epistolam contra eos, qui dicunt esse γένεσιν ἤτοι εἱμαρμένην ἢ τὴν λεγομένην τύχην. De Genesi astrologica multus est auctor Clementinarum Recognitt. 8: 6 sqq: 9: 16 sqq. 10: 50. Homil. 4: 12. „Alii fatum seu genesin invexerunt, praeter quam nemo quidquam vel facere vel pati possit. Alii vero introducunt providentiae expertem casum.“ 14: 3 sqq. Chrysost. Homil. 97. T. VI. p. 878. „Si genesis est, judicium non est; si genesis est, non est fides; si genesis est, Deus non est, non virtus, non nequitia. Si Deus non est: omnia frustra, omnia temere et facimus et patimur; non est laus, non est probrum, non est verecundia, non est turpitudo, non sunt leges, non sunt fora.“

Idem Homil. 1. in primam ad Tim. Ἡ γένεσις — τὸ μὲν

*) Mathematici Magique. Tertull. Ἀστρολόγοι καὶ γοῆτες. Dio. Mathematici, harioli et ceteri. Ulpian.

ἐφ ἡμῖν ἀναιρεῖ, ὑποβάλλει δὲ ἡμᾶς ἀνάγκη καὶ βία. Plura videsis apud Suicerum Thes. Eccl. sub γένεσις. Vid. Athenagoras quoque contra Graecos cap. 9—11. Theodoret. Graec. Affect. 1: 4. Ἀστρολογία καὶ γενεθλιαλογία χαλδαίων εὕρημα λέγεται.

Partim certe Pharisaeis haud injuria crimini datur δοξάζειν εἱμαρμένην καὶ τῇ ἀστρολογίᾳ σχολάζειν. Vid. Patres Apost. a Cotelerio editi. Vol. I. p. 501. Constitutt. Ap: 6: 6. Φαρισαῖοι οἱ τύχῃ καὶ εἱμαρμένῃ ἐπιγράφοντες τὴν τῶν ἁμαρτανόντων πρᾶξιν. Vid. Jos. Flav. A. J. 16: 7. sub finem. Eosdem Magiam exercuisse et Exorcistas certe egisse, Jos. Flavius tradit. Cfr. Matth. 12: 27. Apud Epiphan. (Haer. 16: 2, 3) dicuntur γένεσιν καὶ εἱμαρμένην νομίζοντες. Vid. Jos. Flav. B. J. 2: 12. Pharisaei εἱμαρμένῃ καὶ τῷ θεῷ προσάπτουσι πάντα. Item A. J. 13: 9. 18: 2.

Nobis igitur vocabulum Σαμαρεῖται maximam habet suspicionem, annon corruptum sit, ac nomen sectae σαμαραῖοι, שֹׁמְרִי, non gentis, Hegesippus dederit. Justinus, Hegesippi aequalis, Hebraica nomina Μασβωθαῖοι, Σαμαρεῖται Graecis commutat quae legentibus aliquem sensum funderent, γενιζαὶ, μεριζαί. Nam quoque Justinus cum Hegesippo conspirans (Dial. 80) septem haereses item recenset Pharisaeos, Sadducaeos, Essenos (nam Ἐσσηνῶν pro Ἑλληνιανῶν rescribere non dubitamus), Galilaeos, Baptistas (Hemerobaptistas Hegesippi), Genistas, Meristas (quorum locos apud Hegesippum Masbothaei et Samaritae obtinent, nomine discrepantes, re profecto iidem). Istos omnes Justinus monet non esse Judaeos, si quis rite perpendat, sed nomine tantum Judaeos et filios Abrahae; perinde ut Hegesippus eosdem ab Judaeis segregat, adeoque Judaeorum contrarios fingit, tribum Judae et Jesu sectatores consocians. Similiter Joannes apocalypticus 2: 9. de aliqua secta scribit Smyrnae habitante, sese Judaeos dicentium,

qui Judaei non sint, sed synagoga Satanae. Justinus vero Samaritas, id est τὸ γένος, ἔθνος τὸ σὸν (Dial. 120. Apol. 2: 15), sectarum numero Judaicarum ducere noluisse videtur, quamquam Dial. 120 ita scripserit: οὐδὲ γὰρ ἀπὸ τῆ γένους τῆ ἐμῆ, λέγω δὲ τῶν Σαμαρέων, τινὸς φροντίδα ποιούμενος — εἶπον πλανᾶσθαι, αὐτὸς πειθομένους τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι. Nam Samaritanorum pariter ac Judaeorum nomen gentile habebat. Conf. Act. 1: 53.

In Constitutt. Apost. 6: 6. item haereses inter Judaeos enumerantur, Pharisaei, Sadducaei, Essaei, Ebionaei (loco Galilaeorum), Hemerobaptistae, Basmothaei l. Masbothaei). Septima haeresis Samaritarum hic deficit. Hos enim pro Judaeis haereticis ducere sine dubio scriptori absurdum videbatur.

Epiphanius item sex haereses Judaeorum enumerat, pro Galilaeis Nazarenos ponens, pro Masbothaeis et Samaritis Herodianos; ex quo intelligitur, aenigma Hegesippi de Masbothaeis et Samaritis, etiam veteribus haud intellectum fuisse mutandisque nominibus aut omittendis rem utcunque expediisse. Si Hegesippus ipse docuisset, quid ista vocabula sibi vellent: Eusebius certe pro sua diligentia eorum notiones exscripsisset. Vel fucum facere voluit Hegesippus his nudis vocabulis, quorum Graecis Romanisque nullus intellectus erat, vel inscitissime scriptor se gessit. Septem istas sectas Hegesippus noster (Euseb. 2: 23) docet in eo conspirasse, ut resurrectionem ac remunerationem in altera vita negarent, ideoque recusarent Christum de mortuis reducem atque expectandum de coelo, ut pro suis cuique meritis retribueret. Hoc autem de Essaeis, Galilaeis, Hemerobaptistis, Pharisaeis falsissimum est, qui omnes remunerationem in altera vita, postremi certe resurrectionem adeo carnis, quemadmodum Chiliastae, credebant.

Mirum quam idiotae rerum Judaicarum sensusque communis negligentes in sacris certe fuisse debent post medium

secundi seculi Romani, nominatimque episcopus Eleutherus, quibus Hegesippus crassissima mendacia et fabulas portentosissimas, quas infra videbimus, effutiens imponere posset. De Eusebio autem nescio quid sentiam Hegesippum ut probabilem auctorem laudante.

Sed tamen, ut in utramque partem disputemus, ac nobismet ipsi objiciamus, quidquid audire pretium est: fere omnes Samaritani ut Justinus Apol. 1: 26 narrat, Simonem adorabant; Simon ac Menander a Samaria, *μαγικὰς δυνάμεις ποιήσαντες, πολλὰς ἐξηπάτησαν καὶ ἔτι ἀπατωμένους ἔχουσι.* Ibid. 56. *γοητεία* crimini datur his hominibus et magia. *Γόης* ab Epiphanio Simon vocatur, qui sese *τὸν ἑςῶτα* praedicare solitus erat. Vid. Clem. Strom. 2: 11. cum animadvss. Potteri. Admodum frequens hoc epitheton Simonis Magi in Clementinis. Vid. Cotelerius ad Recognitt. 1: 71. „Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis et Helenae ad figuram Minervae.“ Irenaeus 1: 20. Nomen igitur *μασβωθαῖοι* ab יצב derivari possit, quod LXX verbis *ἵςημι, ςηλόω* reddunt, מַצֵּבֶת, *ςήλη*. Unde conjectare licet Simonianos Masbothaeos appellatos esse vel Dositheanos (Vid. Orig. Tom. 14. in Joh. p. 219 sq. Recognitt. Cl. 2: 8 sqq. Constitutt. Ap. 6: 8). Nam Dositheum magistrum fuisse Simonis ferunt. Jam vero haeremus in Samaritis, quum adjunctos iis ab Hegesippo Masbothaeos esse sumimus Magi praestigiis captos.

7) Sadducaei immortalitatem animorum negabant, Non solum resurrectionem carnis, quod Pharisaeorum plucitum erat; rejiciebant quoque totam legem non scriptam, prophetisque et hagiographis dogmaticam certe auctoritatem non tribuisse videntur, minus igitur alieni ab Samaritanis quam Pharisaei, nec vero ita infesti Christo. Quid quod in evangelio Joannis (1: 24. 4: 1. 8: 3. 11: 46 etc.) omnino nulla mentio Sadducaeorum. Semel apud Marcum itemque apud

Lucam reperiuntur, *) persaepe Pharisaei, invidiam Jesu conflaturi.

Quantum nos quidem videmus, palaeologi novationibus Pharisaeorum adversabantur; quumque sacra volumina canonica certe futuram vitam non docerent, placitumque Pharisaeorum de resurrectione carnis merito absurdum ridiculumque videretur, hoc studiosius per obtrectationem vitae aeternae doctrinam omnem rejiciebant.

*) Pharisaei omnium Judaeorum acerrime Jesum insectabantur, eorum disciplinam et mores omni ex parte corripientem. Attamen Act. 15: 5 menorantur *ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν φαρισαίων πεπιστευκότες*, sic tamen ut necessitatem circumcisionis injungerent legique Mosaicae subjectos vellent etiam fideles e praeputio. Veruntamen Pharisaeos Jesum non antea crediderim Christum professos, quam quum rem ejus tam feliciter procedere viderent, ut opprimi non posset. Jam restabat, ut ipsi per speciem in ejus castra transgressi religionem Christi adulterarent atque ad suas rationes conformarent.

Nisi me fallit, falsi fratres illi et pseudapostoli, qui apud Galatas, Corinthi, Philippis, Colossis tantum negotium Apostolo facessebant, dum professionem evangelii simulantes id agebant, ut dulce evangelium corrumperent suo fermento, *τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, τὴν σωτήριον πᾶσιν ἀνθρώποις*, ac lege Mosaica admixta ejus vim et naturam perimerent, isti adversarii Pauli Pharisaici generis fuerunt; et qui medio seculo secundo exorti sunt Presbyteriani, nil nisi quantum tempus ferebat, continuabant studia et consilia pseudapostolorum il-

*) Haud abs re videtur notare, nusquam Evangelistas tradere praeter Matthaeum 3: 7. Baptistae intervenisse Sadducaeos; et a Jesu prodigium de coelo flagitasse cum Pharisaeis Sadducaeos Jesumque discipulis ab utrorumque fermento cautum voluisse, hic unus 16: 1, 12. narrat. Quin etiam Matthaeus nusquam dicit Sadducaeos pariter ac Pharisaeos necem Jesu molitos esse.

lorum Antipaulinorum, Mosaicae legis jugum Christianis imponendo, Hierarchiam Judaicam in ecclesiam evangelicam transferendo, oracula Danielis ad Christi regnum accommodando, Chiliasmum Pharisaicum docendo, verba Christi, quae spiritus sunt, carnaliter interpretando, sicut adversarii ejus Judaei per calumniam facere soliti erant.

Tandem si omnes scholas sive philosophias, ut Josephi verbo utamur, Judaeorum, Pharisaeos, Sadducaeos, Essenos, Baptistas, *κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα* fuisse Hegesippus dicit, nos quidem nescimus omnino, quos *ὑπὲρ τῆς φυλῆς* reliquos fecerit. Meritissimo propterea Strothius ad h. l. futilitatis et vanitatis Hegesippum arguit.

## E.

## Ibidem II. 23.

*Ἀκριβέστατά γε μὴν τὰ κατ' αὐτὸν (Ἰάκωβον τὸν τῆ Κυρίε ἀδελφόν) ὁ Ἡγήσιππος, ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς, ἐν τῷ πέμπτῳ αὐτῦ ὑπομνήματι τῦτον λέγων ἱστορεῖ τὸν τρόπον·*

*Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τῷ Κυρίε Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων Δίκαιος ἀπὸ τῦ τῶν Κυρίε χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν. Ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλῦντο· ἅγιος δὲ ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῦ ἅγιος ἦν. Οἶνον καὶ σίκερα ὐκ ἔπιεν, ὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγεν· ξυρὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ ὐκ ἀνέβη· ἔλαιον ὐκ ἠλείψατο καὶ βαλανείῳ ὐκ ἐχρήσατο. Τῦτῳ μόνον ἐξῆν εἰς ἅγια εἰσιέναι· ὐδὲ γὰρ ἐρεῦν ἐφόρει ἀλλὰ σινδόνας· Καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναὸν, ηὑρίσκετό τε κείμενος ἐπὶ τοῖς γόνασι καὶ αἰτύμενος ὑπὲρ τῦ λαῦ ἄφεσιν, ὡς ἀπεσκληκέναι τὰ γόνατα αὐτῦ δίκην καμήλε διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ τὸ γόνυ προσκυνῦντα τῷ Θεῷ, καὶ αἰτεῖσθαι ἄφεσιν τῷ λαῷ.*

Accuratissime a) fata ejus (Jacobi fratris Domini) Hege-

a) Ex hoc loco perspicitur vocabulo *ἀκριβής* non criticam quandam castitatem ac severitatem, sed *περιεργίαν*, curiositati vel inutili hominum satis superque facientem, exprimi. Vid. Luc. 1: 3.

sippus, cum prima Apostolorum successione versatus, quinto suo commentario in hunc modum enarrat:

„Suscipit autem ecclesiam cum Apostolis frater Domini Jacobus, [1]) nuncupatus omnibus Justus [2]) a Domini temporibus ad nos usque, quoniam multi Jacobi vocabantur; hic autem ex utero matris sanctus [3]) erat. Vinum et siceram non bibebat, neque animali vescebatur esca; [4]) culter ad caput ejus nunquam admovebatur; [5]) oleo sese non ungebat neque utebatur balneo. [6]) Huic soli fas erat in Sancta Sanctorum b) ingredi; [7]) neque enim laneam gerebat, sed sindonas. [8]) Et solus ingrediebatur in templum [9]) reperiebaturque jacens in genibus [10]) et orans pro populo, ut vindicaretur in libertatem, ita ut occalluerint genua ejus instar cameli, propterea quod usque procumbens in genu adoraret Deum [11]) ac deprecaretur populo [12]) libertatem. [13])

---

[1]) Jacobus, non unus illorum duodecim apostolorum, non Zebedaei filius, non Alphaei, sed frater Jesu, unus de septuaginta (Euseb. 1: 12). Hunc refert Clemens L. VI. Hypotyposeon episcopum Hierosolymae creatum esse, quum Petrus, Jacobus et Joannes, quamquam Dominus eos praetulisset, post adscensionem Soteris de principatu non certantes concederent Jacobo. Ibid. L. VII. traditur cum Jacobo Justo, Joanne et Petro dominum *τὴν γνῶσιν* communicasse qui ceteris apostolis ac 70 discipulis impertierint. Vid. Euseb. 2: 1.

---

b) *Τούτῳ μόνον ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσιέναι.* Restituimus *τῶν ἁγίων* non solum quia priscae Rufini et Abdiae versiones hanc vocem accurate expresserunt et Epiphanius testatur, Eusebium ita prodidisse, sed quia nisi textus sic haberet, mira tautologia deprehenderetur in subsequentibus: *καὶ μόνος εἰσῄρχετο εἰς τὸν ναόν.* Non eodem autem recidunt *ὁ ναὸς* et *τὰ ἅγια τῶν ἁγίων.* Semel quotannis, יום הכפורים, ingredi adytum templi unius pontificis maximi fuit; quotidie templum intrare per vices sacerdotum officium.

Nulli dubitamus, ex Hegesippi commentariis Clementem haec hausta prodidisse. Sunt enim ejusdem omnino farinae et idem Clemens ibidem eadem auctoritate hunc Jacobum fabulatur de fastigio templi praecipitem datum ac fullonis ligno percussum esse εἰς θάνατον. Jacobum praefuisse ecclesiae Hierosolymitanae in libris N. T. tres loci Act. 21: 18. 15: 13. 12: 17 quodammodo probare videntur c), licet nusquam in N. T. episcopi nomine insigniatur. Num thronus conveniat simplicitati nascentis ecclesiae, insidiis periculisque obsessae, adversariis tam saevis quam potentibus infestae, sapientes judicent! Eusebius quidem (17: 19) refert Jacobi thronum, primi Hierosolymae episcopi, in quartum usque seculum custoditum a fratribus illic per successionem coli. Sed quo miraculo scire velim hic thronus est conservatus, quum Hierosolyma a Tito everteretur, quumque sub Hadriano in Aeliam Capitolinam transformaretur? Num ecclesia illa, cui Jacobus praefuit, ante initium belli funesti quum Pellam emigraret, thronum episcopalem reliquit? Nam novae ecclesiae, quae (Eusb. 4: 6.) ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθεῖσα ibi succrevit, episcopalem suum thronum illam priscam ex Hebraeis dono dedisse aut pretio vendidisse, credat Judaeus Apella. Hunc thronum, Eusebius 5: 19 inquit, εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον οἱ τῇδε (Hierosolymae) κατὰ διαδοχὴν περιέποντες ἀδελφοὶ σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδείκνυνται, οἷον περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τοῦ θεοφιλοῦς ἕνεκεν οἵ τε πάλαι καὶ εἰς ἡμᾶς ἔσωζόν τε καὶ ἀποσώζουσιν ἀξιόχρεον σέβας. Cfr. ibid cap. 37 ult. et quae scite Strothius: „Pretiosiora certe ex ruinis Hierosolymae conservanda erant, quam sella. Accedit, quod notio cathedrae episcopalis multo sequioris est aevi. Facilis conjectura, quomodo se habeat conservatio et veneratio hujus throni, quantaque eruditio et intelligentia fuerit Christianorum, qui haec talia suspexerunt. Jam

c) Gal. 2: 9. lectio Κηφᾶς καὶ Ἰάκωβος potior videtur quam Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς.

hic deprehendimus manifesta vestigia vesaniae, reliquias tamquam crepundia adamantis, ac fraudum piarum quae hoc in genere exercebantur. Jam seculo quarto ecclesiae illustriores luxuriabantur in cathedris apostolicis tam sumtuosis, ut pauperes apostoli tales comparare nec potuissent nec vero voluissent. Ex. c. Alexandriae cathedram Marci habebant eburneam, quam episcopus Petrus ita semper stupebat ut prae verecundia (vera fictane?) eam non conscenderet."

Si quo Festus procurator decessit anno, Jacobus martyrium passus est, hoc anno circiter 56. evenit. Annos 96 natum obiisse Jacobum, refert Epiphanius. Genuit Josephus Jacobum circa quadragesimum annum suae aetatis; Mariam duxit plus minus octogenarius eodem auctore. Ergo Jacobus 40 annis ante Christum natus esse debet, annorumque 73 fuisse, quum Jesus ageretur in crucem. Attamen idem Epiphanius Jacobum facit illum *νεανίσκον περιβεβλημένον σινδόνα* Marc. 14: 51. Hippolytus Thebanus et alii filios quatuor Josephi narrant Jacobum, Judam, Simonem et Josen, ac duas filias Esther et Thamar, quae transpositis literis Martha vocatur a nonnullis. Uxoris nomen primae Josephi appellant Escham vel Salomen, filiam Anchaei fratris Zachariae qui Joannis Baptistae pater fuit. Haec eadem amplius Epiphanius (Haer. 29: 4): „Jacobus Josephi ex alia fuit quam Maria conjuge filius. Quin etiam Davidis genere prognatum illum reperimus, utpote Josephi filium eundemque Nasiraeum. Nam Josepho primogenitus fuit et consecratus. Immo sacerdotio functum esse eundem veteris sacerdotii jure (*κατὰ τὴν παλαιὰν ἱερωσύνην*) reperimus. Quapropter etiam permittebatur ipsi semel quotannis in Sancta Sanctorum intrare, quemadmodum summis sacerdotibus dictavit lex sripta. Hoc enim retulerunt multi ante nos de eo, Eusebius, Clemens et alii. Sic et laminam (Mos. 2. 29: 6. coll. Ps. 132: 18) in capite jus fuit ei gestare, quemadmodum, quos modo diximus, fide digni auctores in commentariis suis testati sunt." Hie-

ronymus quoque in catalogo, Rufinus in versione Eusebii, Abdias, Symeon Metaphrastes, Nicephorus aliique Jacobum in Sancta Sanctorum intrasse dicunt.

2) Hoc epitheton nusquam in N. T. neque apud Josephum Flavium Jacobo tribuitur. Clemens vero L. VII. Hypotyposeon Hegesippum secutus: *τὸν ἰάκωβον*, inquit, *ἐπίκλην οἱ πάλαι δὶ ἀρετῆς προτερήματα δίκαιον ἐκάλουν.* Haec virtus autem tota pharisaica rebus, a Christi mente et disciplina prorsus alienis, constabat, *ἅτινά ἐστιν λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος* (Col. 2: 16. 20—23. 1 Tim. 4: 3, 8), in longis precibus (Math. 23: 14. 6: 5—8), quantum quidem Hegesippus de virtute et sanctitate Jacobi fabulatur. Ceterum sanctitas ista ab Hegesippo conficta historicam praebet nobis veritatem, quippe quod inde probe intelligere liceat, quibus in rebus Hegesippus et qui ejusdem sectae fuerunt christianam, si Deo placet, sanctitatem posuerint. Sic aegrae mentis somnia mendaciaque conducunt appetentibus veri; hoc pretio juvat quarumvis ineptiarum taedia devorare.

3) De nihilo esse hanc Jacobi dignitatem ab utero matris sive Eschae sive Salomes manifestum est. Nam qui primogenitos omnes Israelitarum sanctos facit, Archaeologiam sacram Hebraeorum male omnino intellectam habet. Ortu quidem suae quisque domus sacerdotes primogeniti ab hac servitute, ut ita loquar, ex legis praescripto redimendi erant (Mos. 4. 3: 40—50); sed etiam propterea, quod omnes primitiae et pecudum et hominum Deo sacrae habebantur. Vid. Luc. 2: 23. Sacerdotium vero publicum gerere nemini fas erat, nisi qui de tribu Levi ac de genere Aaronis esset, et nusquam ullus in V. aut N. T. primogeniturae nomine sanctus perhibetur.

4 et 5) Sic Domino ipso sanctior frater Domini fuit aut affectavit sanctitatem in rebus, quibus eam contineri Jesus nequaquam censuit. Qua de causa Nasiraeatum perpetuum sustinuerit Jacobus, indicatum oportuit. Nam in exemplis V. et

N. T. omnibus diserte voti rationem redditam habemus. Matthaeus quidem apud Clem. Alex. Paedag. 2: 1. traditur de seminibus, baccis et oleribus vixisse abstinentem carnibus, et Hieronymus in catalogo ex Hegesippo. Sed aliud sonat ille locus de Petro in Recognitt. Clem. 7: 6, non *ἐθελοθρησκείαν* quandam sive *δικαίωμα σαρκός*, ut Paulus dicit, sed Pythagoricam simplicitatem in victu et amictu. Calumniose admodum Epiphanius Ebionitas hic accusat figmenti (Haer. 30: 15), quum ipse de Jacobo ineptissime fabulatus *τὴν ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν ἢ κατανοεῖ.*

6) „Semper licuit exemplo veterum Christianorum plurimorumque piorum hominum balneum aliquando ingredi propter necessitatem corporis, sanitatem, munditiem. Nec minus tamen licuit balneis abstinere in totum post Jacobum fratrem Domini, item post Joannem Presbyterum teste Epiphanio Haer. 30: 24 etc.“ Coteler. ad Constitt. Ap. 1: 9. Contraria enim omnia facere decebat hos Sanctos Ebionaeis, hemerobaptistis, quo crebritatem lotionum in crimen iis vertere haeresinque affingere possent.

Epiphanius (Haer. 78: 14) addit, Jacobum nunquam sandaliis usum esse, *γυμνοπόδων* more, ac thaumaturgum exstitisse. Quum enim aliquando humus ariditate laboraret, sublatis ad coelum manibus oravit et coelum extemplo imbrem dedit. Quasi Jacobus 5: 16, 17. semet ipsum significasset illa voce: *Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη, κ. τ. λ.* Laus quoque virginitatis defertur Jacobo, fratri Domini ab Hegesippo apud Hieronymum Catal. cap. 2, ab Epiphanio Haer. 30: 2. 78: 13, ab Hieronymo adv. Jovinianum 1: 24. Quamquam Paulus testetur (1 Cor. 9. 5) fratres Domini pariter cum apostolis uxores populares sive germanas secum duxisse. Hanc laudem primus, quantum scimus, interpolator Ignatii nulli quidem Apostolorum, sed *τῷ ἠγαπημένῳ μαθητῇ* tribuit, ac Tertullianus (de Monog. 17), aliquem Christi spadonem Joannem vocans; item Ambrosiaster ad 2 Cor. 11: 2. Hiero-

nymus et Euthymius denique etiam Judae proditori omnibusque apostolis, praeterquam Petro, hac laude impertierunt.

Multum diuque haesimus hoc in nodo expediendo. Coelibatus enim et abstinentia carnis ac vini, incultus et vexatio (ἀφειδία) corporis (Col. 2: 23. Tim. 1, 4: 3), a legibus et moribus Judaeorum prorsus aliena fuerunt. Ebionaei et adolescentum, quum primum pubescerent, nuptias festinabant, nec viduos probabant provectiores. Vid. Clem. Epist. ad Jacob. 7: 8. Clem. Homil. etc. 3: 68. 5: 25. Constitt. Apost. 4: 11. Ebionitarum mos fuit adolescentulos ad nuptias adigere ante aetatem, teste Epiphanio, Panarii p. 142, quem morem ab Judaeis acceperant; quorum de ταχυγαμίᾳ lege Georg. Syncell. Chronogr. p. 84.

Qui tandem factum est, ut illi Judaeo-Christiani, quorum duces Joannem Presbyterum, Justinum, Hegesippum novimus, eorum denique turba quos Presbyterianos nominare placet, coelibatum et ἀφειδίαν σώματος tantopere commendarint? Lucem acceptam referimus Lightfooto Horis Hebr. ad Cor. 1, 7: 25. „Inter Judaeo-Christianos oriri potuit scrupulus, an liceret abstinere a connubio, quia apud gentem istam matrimonium praeceperunt ex lege. At si quaestio foret, an liceret virgini aut coelibi matrimonium contrahere (nam respondet apostolus: οὐκ ἥμαρτες, ac si quaereretur potius an liceret non nubere): tunc vix conjicias unde oriretur, nisi ἐξ ἐνεςώσης ἀνάγκης. Docet apostolus noster prohibuisse quosdam matrimonium. Tim. 1, 4: 3. At quonam praetextu? Vel sub hoc quod puritati evangelii repugnare matrimonii consuetudinem blaterarent, ut Saturninus apud Iren. 1: 22, vel quod matrimonium fugerent ob impendentes calamitates. Audi Gemaristas paululum!“

Bava Bathra fol. 60: 7. „Ex quo excisum est templum secundum, multiplicati sunt Pharisaei in Israel qui non ederent carnem nec bibercnt vinum. Quibus R. Josua: Quare, o filii mei, non vescimini carne nec bibitis vinum?

Et illi: Num nos carnem ederemus de qua soliti sumus offerre in altari, et jam periit? Et vinum biberemus de quo libare soliti sumus super altare, et jam desiit? — Quum dominaretur imperium impium Israeli decerneretque contra eos aspera cessareque ab iis faceret Legem et Praeceptum, nec eos permitteret circumcidere filios: dixerunt R. Josuae: Aequum est statuere apud nos, ut non contrahamus matrimonium nec generemus filios." — En tibi paratos et juratos fere in perpetuam abstinentiam ob calamitates!"

Sine dubio iidem Chiliastae, restitutionem Hierosolymae ac templi intra paucos annos eventuram credentes, quum omnem εὐφροσύνην, tum nuptias, in eam diem procrastinabant. Jam vero ex his Pharisaeis extitisse putamus eam familiam Christianorum, quorum princeps Joannes fuit presbyter. Ab his Paulo suppositus totus est ille locus Cor. 1, 7: 25 — 40, si quid sagacitatis habemus. Ea profecto, quae vel apostolus praeceperit, ἐπιταγὴν κυρίου μὴ ἔχων, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, quamvis δοκῶν πνεῦμα θεοῦ ἔχειν, evangelica non sunt. Paulus certe, quidquid docuit ac praecepit, πεποιθὼς ἐν κυρίῳ οἶδε καὶ σύνοιδε μὴ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, ἀλλ' ἐν δυνάμει πνεύματος. R. 15: 18, 19. Nusquam Paulus virgines, coelibes curat; conjugium potius unum auxilium castitatis, imo ἁγιασμῷ praecipit (Cor. 1, 7: 2. Thessal. 1, 4: 3, 4. Vid. Wetsten. ad h. l. Tim. 1, 2; 15, 5: 14. Hebr. 13: 4. Tim. 1, 4: 3. 3: 2, 4, 12. 5: 9, 10, 14. Tit. 1: 6. 2: 4, 5). Apostolus ergo contraria prorsus et inter se pugnantia praecepisset, si auctor esset habendus loci Cor. 1, 7: 25 — 40, quem τῆς νοθείας coarguere nulli dubitamus. Ejusdem etiam farinae habemus hunc Nasiraeatum et abstinentiam Jacobi Hesesippei.

7) Hoc nemini facere nisi τῷ ἀρχιερεῖ et numquam nisi ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, fas fuit οὐ χωρὶς αἵματος Hebr. 9: 7. Consentaneum igitur, quod Epiphanius tradit, nostrum Jacobum laminam gestasse, πέταλον, צִיץ, diadema (Vid. Jahn Archaeo-

log. Bibl. P. 3. p. 355), quod cum ceteris insignibus primo seculo Herodes Magnus, deinde procuratores Romani, tum Agrippa ejusque post obitum frater, tandem filius, pontifici detulerunt ab ipsis creato.

Hoc idem, se sacerdotem fuisse et laminam gestasse, ut Polycrates, episcopus Ephesi, 65 annos natus, quum septem episcopos suos cognatos haberet, semet ipsum octavum ibidem perhibens, anno 192 litteris ad Victorem, episcopum Romanum, missis testificatur apud Eusebium 5. 24), Joannes ille Ephesi demortuus jactavit, *ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος κυρίου ἀναπεσών*, quod idem Joannes inter suos gloriatus esse videtur. Nescio autem, quod locupletius testimonium de hac persona ambigua vel cogitari possit. Idem de Marco Evangelista tradit auctor Manuscripti de passione ejus: „Beatum Marcum juxta ritum carnalis sacerdotii pontificalis apicis petalum in populo gestasse Judaeorum, illustrium virorum syngraphae declarant; ex quo manifeste datur intelligere, de stirpe eum Levitica, imo pontificis Aaron, sacrae successionis originem habuisse."

Vel Hessium haec lamina scandalizavit, ita ut non omnino sibi temperaret ab incredulitate fabulosamque haberet mentionem Polycratis de sacerdotio ac diademate Joannis. Sed vero si haec fabulatus est episcopus, qui reliqua ei credere possumus? Nos quidem adjungimus fidem Polycrati ad veritatem referenti, quae fabulosus Joannes de se mentitus erat apud Ephesinos. Verum tamen Hessius fidei Polycratis ita cavet, ut haec fortasse improprie intelligenda esse arbitretur: symbolice significari dignitatem, qua fuerit Joannes apud Christianos, ejusque sanctam vitam. Quasi vero ad libidinem quidvis vel proprie vel improprie accipere liceat! Immo communis intelligentia rectumque judicium improprie haec verba nullo pacto sumere potest.

Valesius ad Euseb. 5. 24. animadvertit: „Quod de lamina dicit Polycrates, credibile est, primos illos Christia-

notum pontifices exemplo Judaicorum pontificum hoc honoris insigne gestasse.“ Nihil vero minus probabile nobis cogitatu de germanis Jesu Christi apostolis atque episcopis justis, quos illi ecclesiis constituerunt; facile autem credimus, pseudapostolos haec talia sibi tribuisse, ut illum qui Ephesinis nomine Joannis Evangelistae imposuit; vel Hegesippos fratri Domini affinxisse laminam, quo episcopos, nominatim Romanum, inducerent ad imitandum fastum pontificum Judaicorum. Similiter Petavius credibile esse arbitratur, si de Christianorum pontificum insigni cogitetur. Ergone credibile, eodem in templo Hierosolymae duos pontifices simul, Judaeorum Ananum, Christianorum Jacobum, laminam gestasse et hunc pontificem ad λιθασμὸν ab illo damnatum?

[8]) Gerebat sindonas. Ut conveniebat scilicet sacerdoti. Vid. Jahn Archaeol. B. III. §. 88, 90. Hoc Jacobo simplicior ille (Recognitt. 7: 6) Petrus, qui offerenti se famulum Clementi facete irridens: Ecquid, inquit, putas te non ipsam necessitatem mihi facere servum? Nam quis mihi poterit alius sternere sindonas? — quis servare annulos“? Sindonibus igitur et lamina Petrus carebat.

[9]) Quid de aliis sacerdotibus existimandum, si solus templum sit ingressus Jacobus? Sacerdotibus per vices ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτῶ cuique hoc officium sorte obvenit, ita ut quotidie singuli matutino et vespere in templum ingrederentur. Vid. Luc. 1: 8, 9. Singularem opinatur Petavius Jacobi sanctitati honorem esse concessum. Omnino tam singularem, ut contra legem disertissimam pugnaverit nulliusque sit prorsus exempli. Num sacerdotes ac Levitas, quibus latere non poterat Jacobum fratrem Jesu Nazareni esse, τῶ ἐπικαταράτῳ, πρωτοςάτην τῆς τῶν Ναζαραίων αἱρέσεως, ἀποσυναγωγὸν (Jo. 15: 2. Luc. 6: 22), suum honorem tali homini concessisse putemus?

[10]) Christus nusquam mentionem facit de adoratione, quae genibus flexis fiat (Luc. 18: 11, 13), sed ita praeci-

pit: ὅταν στήκητε προσεύχομενοι κ. τ. λ. Marc. 11: 25. Quum Jesus in Gethsemane ἔπεσεν ἐπὶ τῆς γῆς, non eam quae Deo debeatur venerationem significavit, non precandi causa prolapsus est; sed illa affectio, quae eo momento animam ejus tenebat περίλυπον ἕως θανάτου, corpus naturae quadam necessitate prostravit. Vid. Jahn l. l. 1. §. 247. Gestus certe sunt in ἀδιαφόροις habendi, modo simus memores, quam infinito sublimior ille sit, ad quem preces mittimus, ita ut recti curvine, stantes humine projecti, oremus, nihil ad humilitatem nostram referat. Secus est quum homo hominem precatur, ubi saepenumero precans capite supereminet virum exorandum. A terrestrium igitur principum corpore parum celsiorum, quam ut a stantibus aliquantum suspici possint, hoc signum honoris coelesti majestati commodatum, ut thronus et multa. *)

Maldonatus quum credere nequiret, Pharisaeum et portitorem (Luc. 18: 11. 13) erecto corpore precatos esse, ambos in genua projecit, hunc ritum apud Judaeos usitatum arbitratus; at falso. Judaeos inter precandum stetisse in Bibl. Brem. VIII. p. 443 ex eorum scriptis monstratur. Quod etiam Lakemacherus probavit Observatt. philol. in N. T. P. VII. e seq. in dissertatione de ritibus formulisque precum Pharisaei et publicani. Est ergo contra morem et ritum patrium iste Jacobus, inter longas quotidie preces γονυπετής.

11) Jacobus igitur egit contra praeceptum Domini dehortantis, ne tamquam ethnici opinemini nos exauditum iri ἐν τῇ πολυλογίᾳ. Matth. 6: 7. 23: 14.

12) Ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἄφεσιν. Pro peccatis populi orare consueverat. Grabe et Routh. Sed ubi tandem in S.

*) Ἐπὶ γόνυ κάμπτειν non est quotidianus ritus precandi, sed sacramentum dicendi, in potestatem ac ditionem alicujus se conferendi, ex. c. Jes. 45: 23. Rom. 14: 23. Phil. 2: 10. — Eph. 3: 14. sese Paulus addictum esse significat Deo non gentis cujusdam, sed universarum gentium. Saepius in N. T. non legitur. Ceterum eodem honore afficiebant Hebraei etiam reges mortales. Chron. 1, 29: 20.

L. pro peccatis oratur? Ἄφεσις αἰχμαλωτῶν, דְּרוֹר, vindicatio in libertatem, manumissio. Jes. 61: 1. — Hebr. 10: 18. ἄφεσις non est absolute positum ut Bretschneiderus hallucinatur, sed ἄφεσις scil. τῶν ἁμαρτιῶν e com. 15. coll. 10: 18. Marc. 3: 29. item sermo completur intelligentia e com. 28. τῆς βλασφημίας. Sed quidni fateamur, nobis Hebr. 9: 22. interpolatum videri. Nam com. 18—21. περὶ ῥαντισμοῦ τοῦ βιβλίου, τῆς σκηνῆς, τῶν σκευῶν τῆς λειτουργίας apostolus antea locutus continuo post dicit: τὰ ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς δεῖ τούτοις καθαρίζεσθαι, non item τὰ ἐπουράνια. Haud in loco igitur ac praeter consilium scriptoris ἄφεσις intervenit. *) Ceterum nostro textu τῷ λαῷ praepositione ὑπὲρ regitur, ἄφεσιν ab αἰτούμενος pendet. Ἄφεσις vel genitivum personae ducit ex ipso verbo aptum, vel genitivum rei ex ea praepositione aptum, quacum verbum est compositum, ita ut genitivus personae taccatur. Ex. c. ἄφεσις (τῶν μετανοησάντων ἀπὸ) ἁμαρτιῶν. Marc. 1: 4. Nostro autem loco ἄφεσις λαῷ ἀπὸ δουλείας, ἣν ἐδούλευε τοῖς Ῥωμαίοις, ut contextus postulat. Nam deprecatore Jacobo trucidato Judaea mox expugnata est atque in extremam servitutem redacta.

13) Germanus apostolus vindicationem non populi ab imperio Romano (Matth. 22: 21. Rom. 13: 1 — 7. Petr. 1. 2: 13. Tim. 1. 2: 2) identidem precatus esset, sed μετάνοιαν λαῷ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν (Joh. 8: 32 — 36. Luc. 24: 47. Cor. 2. 7: 10), μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, τῆς ἐλευθερώσης.

*) Nam neque tabernaculum et vasa ministerii v. 21, antitypa verorum, neque vera, coelestia ipsa v. 23, 24. sanguine conspersa remissionem, veniam et impunitatem obtinuerunt, sed ἐκαθαρίσθη, inaugurata, consecrata sunt. Atque quum apostolus v. 19. et instrumentum foederis Jehovae loco et populum, foederis acceptorem, sanguine conspersos dicit, quo ritu partes utraeque ad foedus vicissim observandum adstringi ac velut devoveri solebant (Vid, Jahn l. l. III. §. 103): remissionis datur cogitatio nulla. Ἄτοπον ergo quod v. 22. intervenit dictum: Καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις.

Nam impatiens cupiditas τῆς ἀφέσεως, assiduis precibus et oraculis grandiloquis inflammata, populum libertate indignissimum efferavit, ut bellis furiosis movendis pessum iret. Hac temeritate Presbyteriani, quantum in ipsis erat, Christianos infecerunt, ex. c. Justinus, et imperatores Romanos optimos quosque, Trajanum, Antoninos coëgerunt, ut severius animadverterent in homines mente alienatos.

Noster Jacobus non communi hominum sanctitate praecellens, sed ea, quam si omnes colerent, hominum genus periret, monachica, deprecatorem omnium egit, quasi audientia numinis ac precum ἐνέργεια hujusmodi moribus et artibus effici debeat, hominesque sensu communi sanaque ratione utentes talibus patronis indigeant, per quos ipsi ad precandum non idonei Deum exorent.

## F.

## Ibidem.

*Διά γε τοῦ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο Σέδεκ καὶ Ὠβλίας· ὅ ἐςιν ἑλληνιςὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη, ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ.*

Propter eminentiam suae justitiae [1]) vocabatur Sedek *) et Oblias, **) quod est graece praesidium populi et justitia, ut prophetae [2]) eum designant.

---

[1]) Haec justitia praecellens ergo ritibus externis Na-

---

*) *Δίκαιος*. Nicolaus Fullerus (Misc. Sacr. 1. 3) rescripsit *Σαδδὶκ*, quam emendationem Valesius amplexus est adeoque necessariam duxit. Nobis praestare videtur *Σέδεκ* צֶדֶק sive *Σεδεκίας* צִדְקִיָּה propter sequens *δικαιοσύνη*.

**) Oblias *Ὠβλίας* עָפְלִיָּה. הָעֹפֶל *κατ' ἐξοχὴν* clivus montis Sionis ab oriente, muro separatim circumdatus et munitus; ergo propugnaculum. Vid. Jos. Fl. B. J. 5. 4: 1.

siraeorum (Hebr. 9. 9: 10) ac precibus continuis genibusque instar cameli obduratis constitit; de factis honestis ac bonis hujus viri justissimi et sanctissimi ne umbra quidem refertur.

[2]) Quinam prophetae, quibusnam verbis? Ex hoc specimine aliisque plurimis apud Justinum, Irenaeum, Tertullianum conspicitur, quo deferat illud *ἐρέυνᾶν τὸς προφήτας* a nostris exercitatum.

## G.

## Ibidem.

*Τινὲς ὧν τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ, τῶν προγεγραμμένων μοι ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ἐπυνθάνοντο αὐτοῦ τίς ἡ θύρα τῆ σωτηρίᾳ, καὶ ἔλεγε, τοῦτον εἶναι τὸν Ἰησοῦν. Ἐξ ὧν τινες ἐπίσευσαν, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός. Αἱ δὲ αἱρέσεις αἱ προειρημέναι οὐκ ἐπίσευον οὔτε ἀνάστασιν οὔτε ἐρχόμενον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ὅσοι δὲ καὶ ἐπίσευσαν, διὰ Ἰάκωβον.*

Quidam igitur de septem sectis popularibus, quae supra sunt a me (Hegesippo) commemoratae in Hypommematis, sciscitabantur [1]) ipsum, quae sit lex salutis; *) et dicebat,

---

*) *Ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ.* „Eruditus quidam Gallus, qui Lutetiae Parisiorum 1747 librum edidit sic inscriptum: Prospectus d'une nouvelle traduction de l'Historien Joseph. p. 9. in eam cogitationem venit, ut vocabulum *θύρα* hebraicum esse putaret תורה ac *θύρα* rescribendum putaret. Moshemius *Ἰησοῦ* pro hebraico ישועה *σωτηρία* accipiendum esse putavit. Utrumque mihi placet. Nullus dubito, quin hebraico sermone (nam hebraicam origine fabulam esse credimus) hoc utrumque vocabulum hebraicum adhibitum fuerit, ita ut ex Jacobo quaereretur: Dic nobis quaesumus, qua lege sive ratione ad salutem pervenire liceat? Eadem metonymia Demosthenes lex orandi vocatur a Quinctiliano. Graecus interpres aut sermonis hebraici parum peritus aut minus attentus nomen proprium servatoris, *Ἰησοῦ*, cernere se putavit, ideoque quum *τοῦ σωτηρίᾳ* ponendum esset: *τοῦ Ἰησοῦ* posuit. Hoc modo si quaestio Sectariorum intelligitur, nihil aptius responso Jacobi: Lex salutis תורת ישועה est Jesus ישוע, et species quaedam paranomasiae adhibita videtur. Hoc ipsum ergo nomen pro-

hunc esse Jesum. Sectae autem supra enarratae non credebant *) resurrectionem [2]) neque venturum, qui redderet unicuique pro factis suis. Quotquot autem crediderunt, crediderunt propter Jacobum [3]).

---

[1]) Quid minus credibile, quam septifariam divisos Haereticos uno agmine Jacobum adiisse discendi causa? Si dolose tentantes, quid nunc tandem 25 annis post necem Christi? quasi non pridem mentem ac sententiam Jacobi, qui tamdiu jam Hierosolymis degebat, exploratam habuissent?

[2]) Qui resurrectionem, quam nimirum Hegesippus mente conceptam habebat carnis, negabant, utique pro suo dogmate credere non potuerunt Christum e mortuis reducem significatione propria vocis, neque *ἐν νεφέλῃ* venturum judicem. Sed ut supra docuimus, majorem partem ii futuram vitam atque judicium credebant, quo fata nostra, prout hanc

---

prium in responso Jacobi necessarium; in quaestione Sectariorum male collocatum.

Lex salutis, תורת ישועה i. q. *νόμος ζωῆς* Sirac. 45: 6. Cfr. Bar. 4: 1. Prov. 13: 15. *νόμος σοφῦ*. Act. 13: 26. *ὁ λόγος τῆς σωτηρίας*. Nam תורה interdum voce *λόγος*, doctrina, praeceptio redditur. — Sic Matth. 5: 22. vocabulum *μωρὲ* falso Graecum esse putatur: est enim hebraicum מֹרֶה. *ἀπειθὴς* scil. *τῷ Θεῷ*, *ἀσεβής*. Jesus ergo (*Σωτὴρ*) metonymice dicitur *νόμος σωτηρίας*. Verba autem, quae paulo infra occurrunt: *Τίς ἡ [illegible] Ἰησοῦ τοῦ ϛαυρωθέντος;* sic intelligenda puto: Qualis (מה) est lex, ratio, doctrina, cujus auctor est Jesus ille cruci suffixus, salutaris an exitialis? Sciscitantes posterius responsum volebant. Locum Jo. 10: 6 — 10. quare adulterinum putemus, alias declarandi occasio dabitur. Sed homines cordati sentient ipsi, contextum his verbis interrumpi, unitatem, ut ita loquar, orationis turbari ac neminem haec desideraturum esse omissa.

*) Minus recte Musculus et Valesius *πιστεύσαι* pro *ἐπίστευον* verterunt, etsi non legerunt.

vitam gesserimus, in aeternum destinarentur. Pharisaeis autem constat, resurrectionem carnis capitale dogma fuisse, quamquam Ethnicos tantum obnoxios judicio vellent, nec Messiae secundum adventum statuerent, qualem Christiani, ejus quam Hegesippus colebat scholae, animum induxerant. (Non enim continuo de resurrectione Jesu cogitandum, quasi textus esset: οὔτε ἀνάστασιν Ἰησοῦ οὔτε ἐρχομενον αὐτὸν). Sed omnino negabant mortem ac resurrectionem ejus, qui personam Christi gesturus esset, ac secundum aliquem Christi adventum, qui non haereticis, quos Justinus contendit non Judaeos esse, sed Judaeis omnibus improbabilis videbatur. Vid. Just. Dial. 14. 32. 40. 49. 52. 110. 121. Irenaeus 4: 56. diserte Judaeos ait intelligere nolle, duos adventus Christi ab omnibus annunciatos esse prophetis. Similiter Tertullianus libro adversus Judaeos. Falsitas ergo subest huic judicio Hegesippi, sectis Judaeorum imputantis, quod universos ad Judaeos pertinebat, atque Pharisaeos insimulantis resurrectionem negare, propterea quod reducem ab infernis Christum secundumque ejus adventum rejiciebant. Ceterum eandem calumniam Justinus exercet. Dial. 8.

Presbyteriani, qui pariter cum Judaeis Messiam volebant, omnibus illis oraculis de terrena populi opulentia, felicitate, voluptate, quibus luxuriabantur sperandis Judaei, satis facturum, quum Nazarenus has tales expectationes frustratus esset: pollicebantur sibi et aliis reditum ejus in terram, ut quae in prima vita non praestitisset, in secunda solveret instauratus, regnumque illud conderet millenarium, Hierosolyma e ruderibus restituta. Judaei autem, qui semel ex oraculis a Nazareno nequaquam completis effecerant, eum falsum esse Messiam, ab se impetrare non potuerunt, ut ista somnia de tali reditu ejus crederent.

[3]) Annon multae myriades Judaeorum in fidem Jesu Nazareni Hierosolymae concesserant (Act. 21: 20) aliquot

annis ante hoc factum, quod Hegesippus narrat? An nemo per Jesum ac propter ipsum Jesum crediderat? an ceteri apostoli et discipuli Jesu omnem operam luserant Hierosolymis, ex. c. Petrus Act. 2: 14, 41. 4: 4. 5: 13, οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι 15: 6. 21: 18? Quasi omnia fuissent uno in Jacobo ejusque sanctitas δικαιώμασι σαρκὸς constans fidem Christo conciliasset, ab hac justitia alienissimo?

## H.

## Ibidem.

*Πολλῶν δὲ καὶ τῶν ἀρχόντων πιστευόντων ἦν θόρυβος τῶν Ἰουδαίων, καὶ γραμματέων καὶ φαρισαίων, λεγόντων ὅτι κινδυνεύει πᾶς ὁ λαὸς Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν προσδοκᾶν. Ἔλεγον δὲ συνελθόντες τῷ Ἰακώβῳ· παρακαλοῦμέν σε, ἐπίσχες τὸν λαόν, ἐπεὶ ἐπλανήθη εἰς Ἰησοῦν, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Χριστοῦ. Παρακαλοῦμέν σε πεῖσαι πάντας, τοὺς ἐλθόντας εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ πάσχα, περὶ Ἰησοῦ· σοὶ γὰρ πάντες πειθόμεθα. Ἡμεῖς γὰρ μαρτυροῦμέν σοι καὶ πᾶς ὁ λαὸς, ὅτι δίκαιος εἶ καὶ ὅτι πρόσωπον οὐ λαμβάνεις. Πεῖσον δὲ σὺ τὸν ὄχλον, περὶ Ἰησοῦ μὴ πλανᾶσθαι. Καὶ γὰρ πᾶς ὁ λαὸς καὶ πάντες πειθόμεθά σοι. Στῆθι οὖν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, ἵνα ἄνωθεν ᾖς ἐπιφανὴς καὶ ᾖ εὐάκουστά σου τὰ ῥήματα παντὶ τῷ λαῷ. Διὰ γὰρ τὸ πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. Ἔστησαν δὲ οἱ προειρημένοι γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι τὸν Ἰάκωβον ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ναοῦ καὶ ἔκραξαν αὐτῷ καὶ εἶπον· δίκαιε, ᾧ πάντες πειθεσθαι ὀφείλομεν, ἐπεὶ ὁ λαὸς πλανᾶται ὀπίσω Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος, ἀπάγγειλον ἡμῖν, τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ. Καὶ ἀπεκρίνατο φωνῇ μεγάλῃ· τί με ἐπερωτᾶτε περὶ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου; καὶ αὐτὸς κάθηται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐκ δεξιῶν τῆς μεγάλης δυνάμεως καὶ μέλλει ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ πολλῶν πληροφορηθέντων καὶ δοξάζοντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου καὶ λεγόντων· Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, τότε πάλιν οἱ αὐτοὶ γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον· κακῶς ἐποιήσαμεν τοιαύτην μαρτυρίαν πα-*

*ραοχόντες τῷ Ἰησοῦ. Ἀλλὰ ἀναβάντες καταβάλωμεν αὐτὸν, ἵνα φοβηθέντες μὴ πιστεύσωσιν αὐτῷ.*

Multis igitur etiam principum credentibus [1]) oboriebatur tumultus Judaeorum, et Jurisperitorum et Pharisaeorum [2]) dicentium periculum esse, ne universus populus Jesum pro Christo exspectaret [3]). Rogarunt igitur congregati Jacobum in hunc modum: Abs te petimus: inhibe populum, quoniam descivit in Jesum, quasi Christus esset. Compesce quaesumus omnes, qui in diem Paschatis venerunt, de Jesu! Nos enim testamur tibi et universus populus, te justum esse ac nullo personarum studio duci [4]). Compesce igitur tu turbam de Jesu, ne in errorem agatur. Etenim universus populus et omnes nos auscultamus tibi. Consiste igitur in pinna templi [*]) ut desuper conspicuum te praebeas, faciliaque tua verba exauditu sint universo populo. Nam propter Pascha cunctae tribus cum ethnicis quoque convenerunt. Statuerunt igitur Jacobum, quos modo diximus, Legisperiti et Pharisaei super pinna templi et succlamarunt ita: Juste, cujus auctoritas apud nos omnes valere debet, quoniam populus descivit ad Jesum cruci suffixum, pronuntia nobis, quae lex sit Jesu. Tum vero magna voce respondit in hunc modum: Quid me interrogatis de Jesu filio hominis? Et ipse sedet in coelo a dextra magnae potentiae et in eo est, ut veniat super [**]) nubibus coeli. Multis autem persuasione impletis et ce-

---

*) *Τῦ ναῦ* Valesius. Niceph. *τῦ ἱερῦ* Steph. Cod. Msc. Norfolc. Syncellus, Cedrenus, Grabe, Routh, nullo quidem judicio, quum paucis versibus infra *τὸ πτερύγιον τῦ ναῦ* exscripserint, et sub finem fabulae legatur: *ἐν τῷ τόπῳ (τῆς λιθάσεως) παρὰ τῷ ναῷ.* In N. T. nullum est *πτερύγιον ναῦ*, sed Matth. 4: 5. Luc. 4: 9. *ἱεροῦ*, Joseph A. J. 15. 11: 3. *Ὁ ναὸς* ac *τὸ ἱερὸν* accurate discerni debent. Ignorantiam ergo Hegesippi arguit hoc *πτερύγιον ναῦ*, de quo archaeologia nihil tradit, *τῷ ἱερῷ* tribuens *πτερύγιον.*

**) *Ἐπὶ τῶν νεφελῶν τῦ οὐρανῦ.* Sic evangelium Matthaei canonicum, id est a Presbyterianis ad suum sensum, maxime omnium Evangeliorum, reflctum 24: 30. 26: 64. Aliter ceteri Evangelistae prae-

lebrantibus Deum *) ob testimonium Jacobi dicentibusque: Osanna filio Davidis! **) tunc rursus iidem Legisperiti et Pharisaei inter se dicebant: Male fecimus, qui tale testimonium subornaverimus Jesu. Sed adscendamus ac deturbemus eum, ut incusso timore fidem ei derogent.

---

[1]) *Ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν.* Joh. 12. 42. Ut dicam quod sentio, hoc comma et 43. non a vero Joanne profecta sed a falsatore infarta puto, qui finxit quo-

---

positione *ἐν* sive *μετὰ* utentes, ita ut non nubes propriae, quae vehiculo sint, intelligere liceat, sed *ἐν νεφέλαις* significet metaphorice praesentiam, non oculis conspicuam, sed e tempestatibus et calamitatibus cognoscendam, quibus adversarii divinae veritatis consumantur. Sic Ezech. 30: 3, 18. *ἡμέρα νεφέλης.* Item 32: 7. Zephan. 1: 16. Nahum. 1: 3. Jova — impunitum neminem sinit. Jova incedit in procella et tempestate. Ei nubes sunt pulvis pedum. Ezech. 38: 9, 6. ad Gogum: Venies quasi tempestas, quasi nubes terram tegens cum tuis turmis, multis populis te comitantibus. — Adorieris populum Israelis, ut nubes terram contegens. — De tempore calamitoso funestoque sermo, ubi dicuntur omnes tribus Judaeorum eorumque principes praeprimis *ὄψεσθαι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ.* Matth. 24: 30. 26: 64. Marc. 13: 19, 24—26. Verba eundi, יצא, הלך, ירד, עלה, זוב interdum de re vel persona, quae aliquid mittit, ire, descendere etc. sinit, de qua manat aliquid. Ergo venit in nubibus, i. q. nubes, tempestates invehuntur ab aliquo. Sic Thess. 1, 4: 6. *ὁ κύριος ἐν κελεύσματι — καταβήσεται.* „Celeusma et vox archangeli clangorque tubarum numine Dei resonabit coelitus.“ Inscite interpretes Dominum faciunt se loco movere; de coelo delabi per auras in hanc terram, id quod pueris ignoscendum viros eruditos dedecet. Vid. Glass. Philol. S. pag. 967.

*) Apud Rufinum recte: coeperunt glorificare Deum. Conf. Luc. 19: 37, 38. *Δοξασάντων*, quum glorificarent Jesum. Grabe.

**) Non Jacobo, ut Scaliger opinatus est, sed Jesu, *τῷ ἐρχομένῳ* Matth. 21: 9. Luc. 19: 38. At vero in Evangelio gratulantur ei, quem praesentem oculis usurpabant, venienti, non venturo.

que Jo. 18: 15 illum alium discipulum *γνωστὸν τῷ ἀρχιερεῖ*, pontificis agnatum*), cujus favore Petrus cum Jesu in aulam pontificis introierit. Intelligentia utens quisque sentiat necesse est, hoc pugnare cum eo quod proxime subsequitur: *Ὁ δὲ Πέτρος εἱστήκει πρὸς τὴν θύραν ἔξω*, unde manifesto apparet, *ὅτι ὁ συνεισῆλθεν εἰς τὴν αὐλήν*. Nec vero ei, qui adstaret januae foris, introductore agnato pontificis opus fuerat.

---

*) *Γνωσοὶ* sive *γνωτοὶ*, *οἱ ἀδελφοὶ*, *συγγενεῖς*. Hesych. — Cyrill. Al. lib. 4. in Jo. *Γνωσὸς ἔθος ἀποκαλεῖν τοῖς Ἑλλήνων παισὶν, ἐχ' ὅπως τὰς κατὰ γένος οἰκείας μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁμαίμους ἀδελφάς.* Luc. 2: 44. *συγγενεῖς καὶ γνωσοί*. 23: 49. *οἱ γνωσοί*. Ibid. 1: 58. *οἱ περίοικοι καὶ συγγενεῖς*. 14: 12. *ἀδελφοὶ, συγγενεῖς, γείτονες*. 21: 16. *ἀδελφοὶ, συγγενεῖς, φίλοι*. Act. 10: 24. *συγγενεῖς, ἀναγκαῖοι φίλοι*. Marc. 6: 4. *πατρὶς, συγγενεῖς, οἰκία*. מידע, *γνωσὸς* Reg. 2, 10: 1. *Γείτονες καὶ γνωσοὶ* Ps. 31: 12. *φίλος καὶ ὁ πλησίον, οἱ γνωσοί* 88: 19. ibid. v. 8. *ὁμότροπος καὶ συνήθης μου καὶ γνώριμος*. Sym. *γνωσός*. LXX. 54: 19. *οἱ ἀδελφοί μου καὶ οἱ γνώσοί μου καὶ ἐγώ*. Neh. 5: 10. Dubium, graecamne an hellenisticum significationem Jo. 18: 15. *γνωσὸς* habeat, an idem sonet ac Latinorum necessarius. Quo posito, si non sanguinis vinculum, sed amicitiae sit intelligendum, ita ut anonymus hic discipulus familiaris, domesticus pontificis fuerit: aut in eam nobis venit suspicionem, in quam Heumanno, istum fuisse Judam, *τὸν προδότην, διάβολον τῶ Ἰησοῦ*, aut fictam mentitamque personam. Nam *μαθητὴν* Jesu esse et eundem *γνωσὸν ἀρχιερεῖ* haud minus ab omni veritate discrepat quam lucem simul ac tenebras diligere. Nos quidem hoc loco evangelium Joannis interpolatum esse conjectamus, itaque 18: 15, 16. legendum: *Ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ ὁ Πέτρος καὶ εἰσῆκει πρὸς τῇ θύρᾳ ἔξω. Εἰσήκεισαν δὲ* etc. *Θύρα* est janua, introitus in atrium e vestibulo. Sic Petrus extra quidem atrium adstiterat januae, attamen non extra vestibulum, *προαύλιον*, intra *τὴν πύλην*, sive intra *τὴν θύραν τῶ πυλῶνος*, non *τῆς αὐλῆς*. Vid. Act. 12: 13, 14. 10: 17. 14: 13. Matth. 26: 71, Kuinoel ad h. l. et Jahn, Arch. Bibl. Pars. I. §. 44. Haec *θύρα* פֶּתַח, illa דֶּלֶת, inter utramque חָצֵר. Magnifica domus autem duas aulas habebat, interiorem et exteriorem, הַפְּנִימִי et הַחִיצוֹנָה, *αὐλὴν* et *προαύλιον*, hanc intra *θύραν*, illam intra *πύλην*.

Illi contra falso Joanni, qui Ephesinis imposuit, ut crederent, ὅτι ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς (Euseb. 5. 24), Hegesippi fortasse magistro, consentaneum est finxisse, ipsius opera, ut γνωστῶ ἀρχιερεῖ, introductum esse Petrum. Confer Marcum rem probabiliter enarrantem 14: 54 sqq.

[2]) Mendacem memorem esse oportet. Si Pharisaei cum Galilaeis κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα καὶ τῶ Χριστῶ fuerunt, ut noster supra dixit: qui nunc Judaei vocantur? qua ratione tumultus, non ab sectis ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ κατὰ τῶν Ἰουδαίων, sed ab ipsis Judaeis, contra Christum motus?

[3]) Ἰησῦν τὸν Χριστὸν προσδοκᾶν. Non dicitur, quod probe animadvertendum, ὁμολογεῖν Ἰησῦν ἐληλυθότα Χριστὸν, sed ἐρχόμενον, Jesum credere eum, qui ἐρχόμενος ἐν σαρκὶ, hoc est venturus in carne sit Christus (Vid. epistolium Presbyteri primum comm. 7). Nam hoc est προσδοκᾶν. Ecce illud Schibboleth Presbyterianorum, qui pariter ac Judaei οἱ ἄπιστοι Christum exspectabant. Nam primus ille adventus in carne non suffecerat, ut supra diximus, eorum cupiditati; ergo adventum secundum volebant non illum quidem ἐν δυνάμει πνεύματος καὶ δόξῃ, qui doctrina Jesu tam incredibili cum celeritate latum orbem suas sub leges vocante et interitu Hierosolymae populique cernebatur, sed praesentiam localem in carne. Sic janua patebat impostoribus, qui post Jesum ἐν τῷ ὀνόματι τῶ Χριστῶ venirent, λέγοντες· Ἐγώ εἰμι, multosque deciperent. Sic Presbyteriani τὸ εὐαγγέλιον μετέστρεψαν καὶ ἄλλον Ἰησῦν ἐκήρυξαν ὃν οὐκ ἐκήρυξαν apostoli veri.

[4]) Annon Legisperiti et Pharisaei inde ab anno 33 ad 58 satis superque Jacobum cognitum habebant Galilaeum, fratrem Jesu Nazareni, principem circumcisionis Jesu addictae Hierosolymis? annon iste tam longos per annos nihil minus quam suam persuasionem de Jesu celaverat? Ergone homini, quem sacerdotes, Jurisperiti Pharisaeique execrabantur ut πρωτοστάτην τῆς τῶν Ναζαραίων αἱρέσεως, ut succes-

sorem τῦ πλάνυ, in ejus throno Hierosolymis erecto (Euseb. H. E. 7. 319 cum annot. Valesii), quem Jesum ejusque turbam Cajaphas excidium templo populoque contracturam ominatus erat, Jacobo privilegium concedere, templum, τὸν ναὸν ingrediendi, quem Jesus numquam intraverat? Jacobum uno ore Justum κατ' ἐξοχήν, Praesidium populi appellare, vix quum audiverant a Justo Jesum salutis legem definitum esse? Qua tandem cum probabilitate sperant et flagitant, ut vir, qui ipsa sit justitia (צַדִּיק), semetipse falsitatis coarguat, retractet sententiam contrariamque pronunciet? „Merito permirum videtur eruditis ac probe incredibile (quin absurdius absurdo), Jacobum tam solemniter invitatum fuisse a Judaeis ad Christum publice infitiandum, et ab ejus religione avocandos populos, quum non possent ignorare addictum Christo animum Jacobi, quippe qui mox etiam inducantur conquerentes, ipsos male fecisse, quod luculentum de Jesu testimonium ex ejus ore elicuissent. Vide tamen quae Tillemontius respondet, nota 13. ad vitam Jacobi, T. 1. Memor. H. E. p. 1141 sq.“ Fabricius.

Qua ratione tandem Justus noster iniquissimum rogatus non illico pernegat, et quod defectionem, errorem dicunt rectum et verum esse libere profitetur? quid se gratificari simulans in templi fastigium escendit? Agnoscimus facile voces ex evangelio Mt. 22: 16. furtivas. At vero quantum distant aera lupinis? Illic Pharisaeorum et Herodianorum quidam captiosa interrogatione tentant, quam sive ajat sive neget, criminari possint Jesum vel apud principes, ut διαφθείροντα τὸ ἔθνος καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρυς διδόναι, vel apud plebem, ut Mosaici juris desertorem et patriae libertatis proditorem; ac Jesus de plano citra moram ullam respondet. Hic autem nulla captio, nulla mica salis.

## I.

## Ibidem.

*Καὶ ἔκραξαν λέγοντες· ὦ, ὦ, καὶ ὁ δίκαιος ἐπλανήθη· καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφὴν τὴν ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ γεγραμμένην· Ἄρωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι· τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται. Ἀναβάντες οὖν κατέβαλον τὸν δίκαιον καὶ ἔλεγον ἀλλήλοις· Λιθάσωμεν Ἰάκωβον τὸν δίκαιον. Καὶ ἤρξαντο λιθάζειν αὐτὸν, ἐπεὶ καταβληθεὶς οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ στραφεὶς ἔθηκε τὰ γόνατα λέγων· Παρακαλῶ κύριε θεὲ πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσιν. Οὕτω δὲ καταλιθοβολόντων αὐτῶν, εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ, τῶν Ῥηχαβεὶμ, τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, ἔκραζε λέγων· Παύσασθε, τί ποιεῖτε; εὔχεται ὑπὲρ ὑμῶν δίκαιος. Καὶ λαβών τις ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν γναφέων τὸ ξύλον, ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια, ἤνεγκε κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ δικαίου, καὶ οὕτως ἐμαρτύρησε. Καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ, καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ. Μαρτὺς ἔστος ἀληθὴς Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι γεγένηται, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστιν. Καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν αἰχμαλωτίσας αὐτούς.*

Jam exclamare ita: Oh, oh! etiam Justus errore captus est; itaque impleverunt oraculum illud ab Esaja scriptum: „Tollamus [1]) Justum, quia inutilis nobis est. Idcico proventus operum ipsorum comedent.“ Ascenderunt igitur ac dejecerunt Justum et inter sese dicebant: Lapidemus Jacobum Justum [2])! Et coeperunt lapidare eum, quoniam dejectus non expiraverat [3]), sed conversus posuerat genua dicens: Precor Domine Deus Pater, remitte illis! nesciunt enim quid faciant. Sic autem ut lapidibus eum obruunt [4]), unus sacerdotum, Rechabitarum [a]), quos Jeremias propheta

a) *Εἷς τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ, υἱοῦ Ῥηχαβεὶμ, τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἱερεμίου.* Merito Nicephorus et Abdias duo vocabula subnotata omittunt; nisi forte legere velis: *τῶν Ῥηχαβεὶμ, τῶν μαρτ.* etc. רכבי gentile nomen a רכב Jer. 25: 2. 3.

collaudat [5]), acclamare iis: Cessate! Quid agitis? Orat pro vobis Justus [6]). Sed sumto quidam de iis, unus fullonum, lignum, quo exprimere vestimenta solebat, capiti Justi inflixit, itaque martyrio functus est. Et sepelierunt eum quo necatus erat loco apud templum [7]) et adhuc ejus columna extat apud templum [8]). Testem hic verum Judaeis Graecisque se praebuit Jesum esse Christum. Et continuo [9]) Vespasianus bellum infert Judaeae redacturus eos in servitutem.

---

[1]) Sic est apud LXX hodie certe Jes. 3: 9. *Εἰπόντες* b) *δήσωμεν τὸν δίκαιον ὅτι δύσχρηςός ἐςιν ἡμῖν. Τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται.* Quasi pro אִמְרוּ codices eorum Hebraici obtulissent אֹמְרִים נֹאסָר, et לֹא טוֹב pro מוֹב. Sic enim secundum Hebraicum textum: *λέγετε τῷ δικαίῳ ὅτι καλόν τὸ γέννημα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται.*

*Δήσωμεν* LXX, non *ἄρωμεν*, ut Hegesippus scripsit. Sap. 2: 12. autem *ἐνεδρεύσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηςός ἐςιν ἡμῖν.* Sed Hegesippus hunc locum e libro Judaeis apocrypho in canonicum trajecit, ac verbum *ἐνεδρεύσωμεν* incommodum pro re narranda immutavit, substituto verbo *ἄρωμεν*. Hoc est non unum exemplum c) versionis Graecae *τῶν* LXX ab antiquissimis Patribus, Presbyterianis praesertim, ad libidinem suam refictae, priusquam CDD. Vatic. et Alex. perscriberentur.

Recte igitur Scaliger affirmavit, hunc locum ab Hegesippo laudatum apud Jesajam non exstare. Nam vincire *τῶν* LXX ac tollere Hegesippi nimis differunt. Nec Jacobum

---

b) *Εἰπόντες*. Hoc participium apud LXX per omnes prophetas nusquam indagaveris praeter Jer. 43: 22. אוֹמְרִים, *οἱ εἰπόντες — λέγοντες*, ubi *εἰπόντες* sine dubio delendum est, obelo notatum a Breitingero, ut insertum. Unde certa nobis conjectura, isthoc participium Jes. 3; 10 quoque non a manu *τῶν* LXX profectum esse.

c) Alia videsis Ps. 14: 3. Zach. 12: 10. coll. Jo. 19: 37.

vinculis constrictum, verum deturbatum de pinna templi atque lapidibus obrutum esse, noster fabulatur.

Sed oracula si parum congruebant, his hominibus piis nonnihil emendare non fuit religio, ex c. Matth. 1: 23. 2: 6. etc. Probe animadvertendum est, Justinum quoque et Tertullianum cum Hegesippo conspirare. Nam ille (Dial. 77 et 133) hoc oraculum pro Jesajano sic profert: *εἰπόντες· δήσωμεν τὸν δίκαιον.* Ibid. 136. *Εἰπόντες· ἄρωμεν (εἰς φανερὸν) τὸν δίκαιον.* Veruntamen *ὁ δίκαιος* apud Justinum est Jesus; apud Hegesippum Jacobus. Qui tandem Christianis primaevis in mentem venire potuit quemquam singulari cognomine Justum decorare praeter Jesum (Pet. 1, 3: 18. Jo. 1, 2: 1. 3: 7. Jes. 53: 11), et hujus modi oracula in eum conferre.

[2]) Quid absurdius quam Legisperitis et Pharisaeis affingere, ab iis Jacobum identidem Justum appellatum esse tum quum ipsum trucidabant. Nam ironia locum non habet, postquam vix ipsum serio Justum apud omnem populum praedicarunt.

[3]) Hoc non magis probabile hominem de culmine tam alto praecipitem non collisum exanimemque jacuisse, quam ibi Pharisaeos humi exaudiisse ejusque vociferantis responsum ab omni populo subter exauditum esse.

Praeterea nescimus utrum immanius dictu an stultius, de pinna templi deturbare quem in pavimentum et comminutum deinde corpus lapidare. Cujus rei gratia Justus noster ex altitudine tanta praecipitatus non exanimari debuit. Quid quod ne lapidatione quidem occidit, sed fullonio demum fuste, tertio leto, exspirat. Ergone Hierosolymis moris, fuit fullones fustibus instructos templum celebrare, fabros malleis et securibus, agricolas falcibus? Lucianum facile crediderim veras historias conscribendi exemplum ab Hegesippo ejusque similibus sumsisse.

[4]) Haec lapidatio in atrio templi et sepultura apud templum hominem arguit omnis archaeologiae ignarum. Nam

ex praescripto legis ἔξω τῆς πόλεως ejiciebant supplicio afficiendos. Act. 7: 58. Mos. 5, 17: 5. Nullius omnino est exempli viri vel amplissimi sanctissimique corpus intra urbem Hierosolymorum, ne dicam juxta templum sepultum.

5) Rechab, Kenita. Rechabitae scenitae, timore tantum a cohortibus Chaldaeorum (Jer. 35: 2 sqq.) compulsi, intra muros urbis salutem petierant; ergo non de tribu Levi, nedum Aaronitae, cujus generis tantum sacerdotes lex Mosaica admittebat. Ad excusandum Hegesippi, fallere fallique nescii, errorem fingunt, Rechabitas h. l. dici non Rechabo prognatos, sed ordini, ut ita loquar, deditos Essenorum, quorum morem et cultum Rechabus condidisse precario sumitur, et sacerdotes quoque nonnullos ad eam disciplinam adhaesisse. Audiant, si qui nesciunt Essenos in partem ceremoniarum Leviticarum non venisse adeoque a publico templo fuisse exclusos! Vide supra. Non ergo fas erat unquam Essenis templum accedere, nedum sacerdotium gerere. At Hegesippus diserte dicit, hunc sacerdotem de stirpe Rechabitarum fuisse illorum, quos Jeremias descripserit, qui gentem, non ordinem quendum memoravit necdum Essenos nosse potuit. Hegesippus denique ipse, qui supra Essenos inter septem sectas, et tribui Davidis Christo (ut Judaeo) infestas, numeraverat, non putare eos potuit pro Rechabitis illis, testimonio Jeremiae ornatis. Essenos nominasset, si Essenos cogitasset.

6) Quis tandem animum inducere potest, ut credat Legisperitos et Pharisaeos tum, quum populus frequens convenerat ad templum ἐν τῇ ἑορτῇ, eo audaciae processisse, ut virum Justi nomine ab universis celebratum, maxima auctoritate apud plebem florentem, propterea quod Jesum Christum professus esset, cui multae myriades praesentium fidem adjunxerant, sic tractarent ac de pinna templi deturbatum in plano lapidibus obruerent, nemine impediente? Meminerimus modo, quam sollicite adversarii Christi turbam

vitarent ac Jesum media nocte prehensum mane primo tradiderint procuratori, antequam populus et inprimis Jesu cultores quidquam rescientes intervenire possent. In templo autem *καθ' ἡμέραν* docentem, *ὅπου πάντοθεν οἱ Ἰουδαῖοι συνέρχονται*, quamvis cupientes, *οὐκ ἐκράτησαν* (Matth. 21: 46, 26: 5, 55), quum Jesus ab sua turba protectus elaberetur. Jo. 8: 59. 10: 39.

7) Incredibile dictu, hanc columnam seculo sesquialtero superfuisse urbi ac templo funditus everso, omnibusque solo aequatis, quasi nunquam adificium ibi stetisset. Vid. Matth. 24: 2. Joseph. B. I. 6, 10: 11. Ejusdem fidei sunt monimenta Apostolorum ineunte seculo tertio Romae monstrata euntibus in Vaticanum aut ad viam Ostiensem. Euseb. 2: 25.

8) Sepulchra extra urbem sita Hierosolymis erant, nec profecto apud templum tolerabantur ut *βδελυκτὰ* (Matth. 23: 27), nisi forte cadavera hominum supplicio affectorum melioris juris fuisse censeas.

9) Non ita continuo, sed decem annis post: nam anno demum duodecimo Neronis, 68 Christi, bellum intulit Judaeis Vespasianus.

Quae in hac Hegesippi narratione de Jacobo ejusque nece haud temere viri docti reprehendunt, praecipue Scaliger in animadvss. Euseb. p. 178. omnia congessit ac suis observationibus auxit Clericus (Hist. eccl. duorum primorum seculorum, p. 414. sq.) Ipse Josephus Aug. Orsi in Hist. Eccl. italice exarata Tom. 1. p. 337 sq. professus est, qui vel maxime ad credendum proclivis sit, haud tamen omnia, quae tradat Hegesippus, recipere posse atque Josephum Hegesippo multo probabiliorem esse. Scaligerum refellere conati sunt Baronius et Petavius in notis ad Epiphanii Haer. 78, P. Halloisius in Patr. Orient. vitis T. II. c. 3. pag. 721. sqq. Necnon Walo Messalinus, i. e. Salmasius de Episcopis, Theodoricus Ruinartus in Actis Martyrum Selectis p. 3. sq. An-

tonius Arnaldus in dissert. postuma super hoc loco cum animadvss. item postumis Tillemontii. Paris. 1701. 4.

## K.

## Ibidem.

### Clemens Alexandrinus et Josephus Flavius Hegesippi narrationem de morte Jacobi suis mentionibus confirmantes.

*Ταῦτα διὰ πλάτους συνῳδὰ τῷ γε Κλήμεντι καὶ ὁ Ἡγήσιππος. Οὕτω δὲ ἄρα θαυμάσιός τις ἦν καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐπὶ δικαιοσύνῃ βεβόητο ὁ Ἰάκωβος, ὡς καὶ τὸς Ἰουδαίων ἔμφρονας δοξάζειν, ταύτην εἶναι τὴν αἰτίαν τῆς παραχρῆμα μετὰ τὸ μαρτύριον αὐτῷ πολιορκίας τῆς Ἱερουσαλὴμ, ἣν δὶ ἄδὲν ἕτερον αὐτοῖς συμβῆναι ἢ διὰ τὸ κατ' αὐτῷ τολμηθὲν ἄγος. Ὁ γᾶν Ἰώσηπος ὐκ ἀπώκνησε καὶ τῶτ' ἐγγράφως ἐπιμαρτύρασθαι δὶ ὧν φησι λέξεων. Ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησῶ τῷ λεγομένῳ Χριςῷ, ἐπιδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν.*

Haec latius consona Clementi [1]) quidem etiam Hegesippus tradit. „Sic ergo admirabilis erat et apud alios universos justitiae laude celebratus Jacobus ut etiam Judaeorum cordatiores existimarent hanc esse causam confestim subsecuti martyrium ejus excidii Hierosolymae. Quod propter nihil aliud iis accidisse, quam propter scelus in illum admissum. Josephus certe non dubitavit etiam hoc testari his verbis: [2]) „Ea autem acciderunt Judaeis in ultionem Jacobi Justi [3]) qui fuit frater Jesu qui dicitur Christus, quandoquidem eum, quum justissimus esset, Judaei interfecerant“ [4]).

---

[1]) Clemens Alex. l. 6. Hypotyposeon nihil aliud nisi

fabulam Hegesippi summatim retulit (Euseb. H. E. 1: 1). Nihil ergo hinc efficitur, quam ut Clemens pariter atque Eusebius indignam viris eruditis atque intelligentibus credulitatem admiserint fidemque fere nullam mereantur in rebus certe, quas ab aliis ore scriptove traditas referunt praejudicatis opinionibus capti atque nihil spernentes, quod ipsis videbatur apud imperitum vulgum Christiano nomini gloriae esse, licet eruditioribus materiem et causam deridiculi et ludibrii praebeat.

[3]) Haec verba quae nusquam extant apud Josephum, sine dubio fraus pia supposuit. Ea enim in mentem venire non poterant Josepho. Nam quo pacto idem Jacobum justum dixerit, imo justissimum, de quo nihil quidquam memoriae prodere curaverit? De Anano contra, socero Cajaphae, Josephus censet, ejus nece excidium urbis auspicatum, ab illa die muros eversos esse ac rem publicam Judaeorum periisse, qua illum pontificem ac ducem suae salutis in media urbe viderint jugulatum: „Nam, inquit, omnino vir venerabilis fuit ac justissimus etc.“ Cui proximum facit virtute Jesum, Phabetis filium, pontificem, iisque adjungit Zachariam, Baruchi, a Zelotis, pariter trucidatum, (B. J. 4: 5): „Ipsam, inquit, ingemuisse viris illis puto virtutem lamentantem, quod tantum cessisset nequitiae.“ Hic apud Matthaeum 23: 35. ultimus τῶν δικαίων, quorum paricidiis sese obstrinxisse Judaei feruntur. Recte quidem Josepho auctore; sed parachronismi deprehenduntur Matthaeus et Lucas (11: 51) haec Jesu ponentes in ore. Qui Zachariam, Jojadae filium, aut Baptistae patrem, substituunt, non reputant neutrum horum postremum justorum fuisse, quorum paricidia vastatione Hierosolymae anno 70. Christi vindicarentur. Ipse enim Jesus, justorum justissimus, Stephanus diaconus, Jacobus major et alii plus sex lustra post hunc, plus octo secula post illum, trucidati erant. Quare post Corrodium nostratem censemus, Sapientiam Dei, quam Luc. 11: 49 diserte, Matth. tacite 23: 34 laudare

faciunt Jesum, librum apocryphum esse, post excidium Hierosolymae scriptum, eumque Zachariam ultimum justorum dici, templo stante secundo peremtorum, quem ex Josepho B. J. 4: 5 ultimum novimus.

Archaeol. lib. 20 Josephus nec laudi dat quidquam Jacobo neque crimini, sed insolentiam reprehendit Anani junioris qui procuratoris Romani jus ac potestatem laeserit, quum *παραγαγὼν εἰς συνέδριον κριτῶν παρ' αὐτῷ καθισθέντων τὸν ἀδελφὸν ἰησοῦ, τοῦ λεγομένου χριστοῦ,* *) *ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινὰς ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους.* Non ergo Josephus innocentem supplicio affectum dicit Jacobum, sed Ananum juniorem in eo peccasse, quod sibi jus Procuratoris adsumserit et majestatem Caesaris laeserit. „Quid discrepantius quam haec Josephi et illa Hegesippi narratio? Nam Josephus accusatum damnatumque Jacobum refert a synedrio judicum, Hegesippus autem per tumultum populi trucidatum esse; hic de pinna praecipitatum, fuste fullonis in atrio templi, ille simpliciter lapidatum occubuisse. Porro Josephus annum, quo mortuus est Jacobus, duobus indiciis designat, nempe pontificatu Anani et adventu Albini in Judaeam. Albinus Festo successit sexto anno Neronis, quo Jacobus morte affectus, 58 aerae Christianae; quod tempus congruit cum Epiphanio (Haer. 78) tradente, Jacobum ecclesiae Hierosolymitanae annos circiter 24 praefuisse ab ascensu Domini; Hegesippus autem proxime ante invasionem Vespasiani, decem annis post.“ Valesius.

---

*) Ὁ λεγόμενος Χριστὸς ait Josephus, non ὁ ὢν χριστός. Vid. Wetst. ad Luc. 3: 23. Cor. 1, 8: 5. λεγόμενοι θεοί, quam locutionem Beza et Clericus inscite reddunt: „qui dicuntur Dii revera“; imo vero i. q. οἱ μὴ φύσει ὄντες θεοί Gal. 4: 8. Philo de Cher. p. 122. B. οἱ λεγόμενοι δεσπόται δόξῃ μόνον, οὐ πρὸς ἀλήθειαν νομίζοντες.

Nec tamen satis habuit Eusebius hanc tragoediam, qua nihil ineptius cogitari potest, per compendium (2: 1) semel iterumque (2: 23) narrasse; tertiavit eam (Demonstr. Ev. 8: 7). Bis quoque Hieronymus in Catal. et ad Sophonium hoc idem fabulatur, ut de Abdia taceam, abs quo Hegesippum de hac re totum exscriptum habemus.

Origenes autem testimonium Josephi de Jacobi justitia suppositum pro vero duobus locis laudavit. Nam (Comment. in Matth. T. 10. c. 17): „Quis non, inquit, admiretur, quod Josephus Flavius, etiamsi Jesum Christum esse non agnovisset, nihilo minus Jacobo testimonium tantae justitiae tribuerit. Atque etiam populum dicit ejus opinionis fuisse, ut scelere in Jacobum patrato suum interitum sibi excidiumque templi contraxerit.“ Hoc idem Origenes iterum narrat contra Celsum I, 10: 8, recoxitque Hieronymus. Nonnemo quidem, Patres ut expediret, commentus est, ab Josephio duas diversas Archaeologiae suae editiones confectas esse, quarum una hoc testimonio vacaverit, non item altera. Sed qua ratione putare licet, omnes codices Christianos potius posse esse editionis, hoc testimonio gratioris. Male profecto se habet, quum fides Patrum et scriptorum ecclesiasticorum talibus auxiliis perfugiisque indiget. Moshemius autem arbitratur Origenem memoria nimis fretum quae lecta sibi crederet tradidisse. Nam veteres auctores pleraque omnia testimonia, quibus opus videretur, non ex ipsis libris, sed ex ingenio sive memoria, litteris mandasse. Quae si ita sunt, quantillam fidei habere cum ratione licet sanctis Patribus, ubi rem aliquam testimonio agunt, non ex parte tantum, sed ex asse ficta commentitiaque proferentes? Sed qui fit, ut Eusebius qui eodem capite alium locum Josephi accurate exscriptum reddit, hunc ingenio promat, idque cum Origene mirabiliter consonans.

Tantam hoc exemplo aliisque multis cernimus fabulositatem et credulitatem principum scriptorum historiae ecclesia-

sticae, tantam falsitatem sive prudentem sive inprudentem, ut, sicubi rebus traditis interna probabilitas deficiat, eorum fidem et auctoritatem merito nihil pensi ducamus, adeo quum antiquiores nominatim laudant, nedum ubi tacent auctores, formulisque: *παλαιὸς ἔχει λόγος, ὡς ἡ παράδοσις περιέχει, φασὶν* et aliis ejusmodi utuntur.

Hegesippus auctor est apud Eusebium (H. E. 3: 19, 20). Domitianum imperasse homines de genere Davidis interimi. Necnon vero simile videtur ab eodem fabulatore profectum, quod Eusebius ibidem 3: 12 tradit, Vespasianum post expugnationem Hierosolymae omnes de stirpe Davidis, ut ne relinqueretur quisquam apud Judaeos de regia tribu, anquiri jussisse, maximamque inde Judaeis exagitationem importatam esse. Eodem pertinet, quod Hegesippus apud Euseb. ibid. 3: 22 testatur, imperante Trajano, Attico consulari legato Syriam administrante, homines de regia Judaeorum stirpe anquisitos ac de medio sublatos esse.

Hanc stirpis Davidicae, quam ne fando audiverant principes Romani, iteratam et tertiatam inquisitionem credat Judaeus Apella. Neque usquam neque apud Josephum neque apud Classicos et Patres ulla est umbra, turbarum, seditionum ac bellorum ab Judaeis motorum causam praetextumve fuisse stirpem regiam Davidis cum Zerubabelo intermortuam ante Chr. plus 500 annis, quantum quidem e monumentis rerum perspici et intelligi potest. Nam si qua proles agnatioque Zerubabeli superstes fuisset: cur nulla ejus mentio apud Esram, Nehemiam, Flav. Josephum, in libris Maccabaeorum ceterisque apocryphis? cur pontifices Judaeorum post Zerubabelum civilem toparchi (נָשִׂיא) potestatem obtinuerunt? Qui potuissent Asmonaei regium diadema pontificiae tiarae junctum gestare apud Judaeos, si quas reliquias de sanguine regio Davidis inde a Zerubabelo ad Herodem usque notas habuissent Judaei? At-

que hic saevus tyrannus, quem regiam domum Asmonaeorum totam extinxisse (A. J. l. 14. ult.) tradit Josephus, ita ut nec suis liberis parceret, quos e Mariamne, stirpis hujus femina, susceperat, is apud eundem nihil cogitasse de domo Davidis videtur. *Τὸ βασιλικὸν* genus ab Josepho (Biogr. 1) Asmonaeorum vocatur, non Davidis. Jam Jeremias Jechoniam vaticinatus erat nullam prolem habiturum esse, quae thronum Davidis occuparet aut regno Davidis praeficeretur. Jer. cap. 22. ult. Ergo quum ibid. 30: 9. promittitur, a Deo Davidem Judaeis regem suscitatum iri, non princeps de sanguine Davidis, sed virtute et felicitate Davidem referens, cogitari debet. Sic putabant, Baptistam esse Eliam alterum, recidivum, hoc est virum, in quo spiritus Eliae habitet per *μετενσωμάτωσιν*. Sic Herodes Jesum Baptistam opinabatur Matth. 14: 1. *ἐγερθέντα ἀπὸ τῶν νεκρῶν*, ab inferis reducem, *κατὰ τὴν ψυχήν*, non *κατὰ τὸ σῶμα*. Sic alii eum esse Jeremiam conjectabant aut *προφήτην τινὰ τῶν ἀρχαίων ἀναστάντα*. Matth. 16: 14. Luc. 9: 8. Eodem modo existimabant alii, Christum fore Davidem aut filium Davidis, id est alterum Davidem, non *κατὰ σάρκα*, sed instar Davidis virtute et felicitate. Nam *υἱὸς* per Hebraismum significat similitudinem, ex. c. *υἱὸς Ἀβραὰμ* dicitur, fide et integritate Abrahamum referens Luc. 19: 9. Jo. 8: 39. Rom. 4: 16. Gal. 3: 7. 4: 29, *αὐτῷ κατὰ πνεῦμα γεννηθείς*. Sic Baptista Judaeos commonuit, Deum unde libet posse, ex quavis gente, tribu, familia, *τέκνα τῷ Ἀβραὰμ ἐγεῖραι*. Similiter poterat filium excitare Davidi, quamvis non *κατὰ σάρκα*. Hae vero talesque notiones prorsus fugiebant Presbyterianos, in sola carne acquiescentes. Inde facile est enodare quomodo, quamquam scirent Jesum Nazarenum esse, non Bethlehemo Judae oriundum, illi homines (Matth. 21: 9. coll. v. 11) Davidis filium salutare eum potuerint; perinde atque Baptista Elias existimabatur, licet eum constaret in montana regione tribus Judae natum parentes habere Aaronitas, non This-

ba, oppido Galilaeae oriundum esse, Eliae veteris natali, Gileaditae, de tribu Gad.

3) Ergone Christiano homini nulla nec propior causa neque gravior succurrit debellationis quam nex Jacobi? Aliam certe causam commemoratam legimus apud Joseph. B. J. 6, 5: 4. Confer. Luc. 24: 28, 31. Matth. 23: 35 — 38.

4) „Extant, Jac. Hessius inquit, (Histor. Apostoll. T. 3. p. 154 sq.) tres in summa rerum congruentes narrationes hujus rei, Josephi, Hegesippi, Clementis. In unam earum fabulosa nonnulla irrepsisse videntur, quibus sepositis *) res ita se habet etc." Sed cognita causa Josephus nimium discrepat a duobus aliis, et Clemens Hegesippi tantum epitomator est, nullius igitur ponderis. Hegesippi narrationem si cum Josephi conferimus, haec historicum redolet, illa fabulatorem. Aethiopem lavit Hessius, dum hoc et illud nimis absurdum aut resecat aut diluit. Quod enim reliquum fecit, satis superque fuerit sapienti ad manu tenendam Hegesippi vanitatem. Vehementer dolendum, quod superstitiosa qua captus erat bibliolatria Hessium saepissime induxit, ut sophistarum illud: *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*, omnibus modis exerceret atque res a veritate, honestate sensuque communi

*) Exegetae, harmoniam Evangelistis quovis tormento exprimentes, dum aqua prorsus haeret, duplicare vel triplicare solent res, personas, ex. c. apographen, Lysaniam, Theudam Luc. 2: 2. 3: 1. Act. 5: 36 etc. Eodem modo duas editiones Josephi de H. J. fingunt. Talibus versutiis, si Deo placet, nulla non mendacia excusare licet, vel potius historiam sacram omni discrimine veri et falsi omnique probabilitate exuere omnique apud viros rerum peritos judicioque praeditos fide privare. Sic deliri causidici historici quem dicunt Christianismi vineta sua caedunt, homiuesque abalienant potius quam conciliant. Verumtamen sic bene est: incredulitatem, quam Classici dicunt, temerariam credendi facilitatem, dedecoram Christianis, adaugent, dum eradicare moliuntur. Quod supra diximus, de industria iterum atque iterum commonemus, ut aliquando tandem in mentibus insideat.

aversas defendere, excusare, approbare sustineret. Sed huc virum bonum praejudicata opinio detulit, obstinataque voluntas ac pervicacia, quam semel sibi confinxerat theocratiae speciem defendendi. Hinc venit, ut ex. c. Davidis patronum ageret, malitiosae perfidiae facinorumque tyrannicorum manifesti. Istius modi sacrarum litterarum et historiae ecclesiasticae studiis corrumpitur et enecatur veri et recti, ut ita loquar, sapor et odor, ac sensus denique communis, quo perdendo in verbi divini ministris *μωραίνεται τὸ ἅλας*. His artibus facile est vel fabulas, quibus anilius, futilius, prodigiosius nihil, approbare, ita ut omne discrimen veri et falsi tollatur, omniaque vestigia et argumenta fictionis, fraudis, mendacii oblitterentur in rebus, quas auditas acceptasque habemus. Sic apud Christianos quam plurimi Theologi, quemadmodum apud Judaeos Rabbini, lucem veritatis, historiam, in majorem scilicet gloriam Christi per longa secula suppresserunt, ac si fieri posset oppresserunt.

## L.

### Eusebius ipse de Jacobo Justo H. E. 2: 23.

*Ἰουδαῖοί γε μὴν τῷ Παύλῳ Καίσαρα ἐπικαλεσαμένῳ ἐπί τε τὴν Ῥωμαίων πόλιν ὑπὸ Φήστῳ παραπεμφθέντος, τῆς ἐλπίδος καθ' ἣν ἐξήρτυον αὐτῷ τὴν ἐπιβουλὴν ἀποπεσόντες, ἐπὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Κυρίου τρέπονται ἀδελφὸν, ᾧ πρὸς τῶν Ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος. Τοιαῦτα δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ κατὰ τοῦτο τολμήματα· εἰς μέσον αὐτὸν ἀγαγόντες ἄρνησιν τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἐπὶ παντὸς ἐζήτουν τοῦ λαοῦ· τῷ δὲ παρὰ τὴν ἁπάντων γνώμην ἐλευθέρᾳ φωνῇ καὶ μᾶλλον ἢ προσεδόκησαν ἐπὶ τῆς πληθύος ἁπάσης παῤῥησιασαμένῳ καὶ ὁμολογήσαντος, υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ τὸν σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστόν, μηκέθ' οἵοίτε τὴν τοῦ ἀνδρὸς μαρτυρίαν φέρειν, τῷ δικαιότατον αὐτὸν παρὰ τοῖς πᾶσι δι' ἀκρότητα ἧς μετῄει κατὰ τὸν βίον φιλοσοφίας τε καὶ θεοσεβείας πιστεύεσθαι, κτείνυσι,*

καιρὸν εἰς ἐξουσίαν λαβόντες τὴν ἀναρχίαν ὅτι δὴ, τῷ Φήστῳ κατ' αὐτὸ τοῦτο τοῦ καιροῦ ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας τελευτήσαντος, ἄναρχα καὶ ἀνεπιτρόπευτα τὰ τῆς αὐτόθι διοικήσεως καθεστήκει. Τὸν δὲ τῆς Ἰακώβου τελευτῆς τρόπον ἤδη μὲν πρότερον αἱ προτεθεῖσαι τοῦ Κλήμεντος φωναὶ δεδηλώκασιν, ἀπὸ τοῦ πτερυγίου βεβλῆσθαι ξυλῳ τε τὴν πρὸς θάνατον πεπλῆχθαι αὐτὸν ἰσορηκότος.

Judaei, quum Paulus Caesarem appellasset Romamque a Festo transmissus esset: spe qua struxerant ipsi insidias frustrati, in Jacobum vertuntur Domini fratrem, cui ab Apostolis episcopalis Hierosolymae concessus erat thronus [1]). Talia autem iis adversus hunc ausa. Ut produxerant in medium, abdicationem suae erga Christum fidei praesente omni poscebant populo. Is vero quum praeter universorum opinionem [2]), libera voce et plus quam expectaverant, coram multitudine universa pectus aperiret ac profiteretur, filium esse Dei soterem ac dominum nostrum Jesum Christum: non jam sustinere viri testimonium valentes, eo quod justissimus [3]) ab omnibus propter summam quam sectabatur in vita philosophiae et pietatis observantiam crederetur, occidunt occasione licentiae capta ex imperii vacuitate, quia, Festo id temporis Judaeae procuratore mortuo, imperio et administratione res ejus provinciae destitutae erant [4]). Modum vero necis Jacobi jam quidem superius prolatae Clementis voces declararunt, quibus a pinna eum dejectum esse et fuste ad mortem percussum retulit.

---

[1]) De episcopali dignitate in Jacobum Domini fratrem collata ejusque throno vide supra!

[2]) Non certe tam stulti fuerunt Judaei, τὴν τῆς πίστεως ὑπομονὴν καὶ παῤῥησίαν Nazoraeorum toties experti, ut praeter opinionem ipsis acciderit, si caput eorum omnia alia citius faceret quam fidei suae renuntiaret; praesertim quum justissimus Jacobus crederetur, qualem in virum minime cadit mentiri sui emolumenti causa vel intentato atrocissimae mor-

tis periculo. Nec magis credimus eos confessionem ab ipso flagitasse quam renuntiationem, sed continuo, ut Josephus refert, *ὡς παρανομήσαντα*, manifestum *τῆς ἀσεβείας*, tradiderunt supplicio.

[3]) Minime consentaneum est, inimicos Jacobi, praesenti omni populo, virum, qui justissimus vulgo credebatur, quum testimonium ejus de Christo nec redarguere neque convincere possent, occidisse. Quo facinore populus profecto irritatus paricidas extemplo trucidaturus erat. Vid. Marc. 14: 2. Triplex igitur improbabilitas urget jam Eusebii narrationem de morte Jacobi, ex Hegesippi fabula excerptam, quamquam omissis tot ineptiis et absurditatibus.

[4]) Hanc temporis opportunitatem Eusebius ex Josephi A. J. 20 8. hausit, apud quem de facinore nihil praeter haec verba: *παραγαγὼν ὁ νεώτερος Ἄνανος, ἀρχιερεὺς εἰς αὐτὸ (συνέδριον κριτῶν) τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἴακωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους.* Nihil absurdi, quod ab Eusebio hac in re traditum reprehendimus, Josepho commune est cum Hegesippo, quem Eusebius *ἀκριβέστατα τὰ κατὰ τὸν Ἰακώβου ἱστορηκότα* tradit. Ecce, qualia *ἀκριβείας* laude Eusebius ornaverit! Neque injuriam Jacobo factam, Flavius censet, sed potestatem ac ditionem Caesaris violatam eo quod Judaei provinciales tamquam sui juris hac in causa egissent.

## M.

## Ibidem 4: 22.

### Symeon, Jacobi Justi successor.

*Μετὰ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ὡς καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάλιν ὁ ἐκ θείου αὐτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ καθίσταται ἐπίσκοπος, ὃν προέθεντο πάντες, ὄντα ἀνεψιὸν τοῦ Κυρίου δεύτερον.*

Postquam Jacobus Justus martyrio perfunctus esset, [1] perinde ac Dominus eadem de causa: rursus Symeon, [2] e patruo ejus, Clopae [3] filius, constituitur episcopus, quem optarunt cuncti, quippe qui patruelis Domini esset secundus.

Ibid. 3: 11.

*Μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν καὶ τὴν αὐτίκα γενομένην ἅλωσιν τῆς Ἱερουσαλὴμ λόγος κατέχει, τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν τοὺς εἰσέτι τῷ βίῳ λειπομένους ἐπὶ ταυτὸ πανταχόθεν συνελθεῖν ἅμα τοῖς πρὸς γένους κατὰ σάρκα τοῦ κυρίου (πλείους γὰρ καὶ τούτων περιῆσαν εἰσέτι τότε τῷ βίῳ), βουλήν τε ὅμου τοὺς πάντας περὶ τοῦ τίνα χρὴ τῆς Ἰακώβου διαδοχῆς ἐπικρῖναι ἄξιον ποιήσασθαι. Καὶ δὴ ἀπὸ μιᾶς γνώμης τοὺς πάντας Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ, ὃν καὶ ἡ τοῦ εὐαγγελίου μνημονεύει γραφή, τοῦ τῆς αὐτόθι παροικίας θρόνου ἄξιον εἶναι δοκιμάσαι, ἀνεψιὸν ὥς γε φασὶ γεγονότα τοῦ Σωτῆρος. Τὸν γὰρ ὃν Κλωπᾶν ἀδελφὸν τοῦ Ἰωσὴφ ὑπάρχειν Ἡγήσιππος ἱστορεῖ.*

Post Jacobi martyrium et illico subsecutam expugnationem Hierosolymae, fama perhibet, quotquot apostolorum ac discipulorum Domini adhuc in vivis reliqui essent, eodem undique convenisse [4] una cum cognatis secundum carnem Domini (plerique enim et eorum tunc adhuc superstites erant), consiliumque simul iniisse, quem oporteret Jacobi successione dignum decernere. Jam omnes una sententia Symeona Clopae, quem etiam evangelii memorat scriptura, paroeciae illius loci throno dignum aestimasse, consobrinum, ut certe ajunt, Soteris [5]). Nam Clopam fratrem Josephi fuisse Hegesippus narrat.

---

[1]) Anno 58, auctore Josepho; ut Hegesippus voluisse videtur, 68. Ergo vel duodecim, vel duo saltem annos episcopatus Hierosolymitanus vacasse debet.

[2]) Hunc Symeonem Hegesippus (Euseb. 3: 23) narrat, 120 annos natum, Trajano imperatore, in crucem actum esse,

anno Christi 108, Trajani 10, ut Eusebius quidem in Chronico ratiocinatur. Ergo duodecim annis ante Christum hocm vidisse debet hic ejus patruelis, annosque 38 episcopatum gessisse. Cui tredecim episcopi successerunt spatio temporis inter annum Christi 108 et annum 119, quo Aelia Capitolina condita fuit, interjecto (Euseb. 4: 5, 6). Alterutrum prorsus incredibile, aut Symeonem 120 annos complevisse annosque 38 functum esse episcopatu aut tredecim successores intra undecim annos habuisse.

[illegible]

[illegible]) Clopas, quem fratrem Josephi Hegesippus fuisse tradit (Euseb. 3: 11), idem de quo fit (Luc. 24: 18) mentio, ut Eusebius refert eodem, ni fallor, auctore. Maria Clopae (Jo. 19: 25) soror matris Jesu dicitur, qui Clopas apud Matth. et Marc. Alphaeus, nomine Hebraico חַלְפַּי *) diversum in modum pronuntiato, vocatur. Hanc Mariam matrem habuerunt Jacobus minor et Joses (Marc. 15: 40. Matth. 27: 56); quem Jacobum Alphaei filium vocant Synoptici, i. q. Clopae. Jacobus autem, Joses, Judas, et Simon Marc. 6: 3. Matth. 13: 55 fratres **) Jesu nominantur. Unde quis

---

*) חלפי a חלף ni fallor, quod nomen est loci, in tribu Naphthali. Cfr. Matth. 4: 13.

**) De nihilo est quod Lexicographi N. T. volunt, ἀδελφὸν interdum fratruelem dici, cujus significationis nullum datur exemplum. Nam quum Elieser Mos. 1, 24: 27 dicit εἰς οἶκον τοῦ κυρίου μου, domum Nahoris (fratris Abrahami e Thara ibid. 11: 27) dicit, quam domum Charris sitam, Abrahami paternam, Bethuel filius Nahoris (ibid. 24: 15) tenebat, postquam Abraham in Chanaanem emigrasset. Mos. 5, 2: 4, 8. Esavitae fratres Israelitarum sive Jacobitarum vocantur, quas inter gentes fratrum ratio intercedebat. Mos. 3, 25: 48. אח, דוד, בן דוד disjuncti sunt, דוד autem LXX frequentissime vocabulo ἀδελφιδὸς reddunt, interdum ἀδελφὸς πατρὸς vel οἰκεῖος, semel πατράδελφος, בן דוד ἀνεψιός. Cant. 5: 2. vera lectio ἀδελφιδοί. Tob. 5: 6, 10. 7: 4 non magis ἀδελφὸς sobrinum vel consobrinum significat quam 1: 3. 14: 7. Ἀνεψιὸς autem ibidem Raguel vocat Tobiam patrem; quumque Tobias filius Saram

colligere possit, Jesu matrem uxorem Clopae*) fuisse Jesumque fratrem Jacobi minoris eat. uterinum, si non germanum. Nusquam vero in historia evangelica (nam Matth. cap. 1 et 2. Luc. cap. 1 et 2 cum genealogia cap. 3. mythici generis sunt nostra quidem sententia) maritum Mariae Josephum quisquam vocat, non magis quam Davidem, licet (Jo. 1: 45. 6: 42. Luc. 4: 22) Jesus υἱὸς Ἰωσὴφ, in synopticis Evangeliis frequenter υἱὸς Δαβὶδ vocetur; i. e. tum Josepho patriarcha, tum Davide prognatus. His incommodis ut mederentur, dici non potest, quam argutas et contortulas hypotheses excogitarint, ex. c. Nicephorus, qui Symeonem censet Josephi filium fuisse perinde ut Jacobum Justum, Clopae tamen filios dici ex adoptione. Certe Chrysostomus ac Theodoretus etiam Jacobum Justum Clopae filium faciunt; Hippolytus Thebanus et alii, nominatim Epiphanius, tradunt Josephum, Clopae fratrem, e prima uxore quatuor

---

quam duxit ἀδελφήν dicit, popularem suam dicit, non sobrinam dicit. Cfr. Cor. 1, 9: 5. Nulla igitur ratione grammatica sumunt interpretes, quos Evangelistae et Apostoli appellant ἀδελφὰς non fratres esse germanos, sed uterinos tantum, vel patrueles aut matrueles. Nec vero causam videmus, cur non per evangelicam historiam (mythos infantiae nihil moramur) Jesum pariter cum his quatuor fratribus Alphaei filium ex Maria habeamus; quo non obstante filius sive Davidis sive Josephi, hoc est sive Davide rege prognatus, sive Patriarcha Josepho, appellari potuit. Argutiis autem diversissimis utendum erat iis, qui virginem et ante et inter atque etiam post partum Mariam somniantes Josephum maritum Mariae mythicum pro historico ducunt, verum tamen τὸν νομιζόμενον tantummodo, non τὸν ὄντα.

*) Num consentaneum est ab Joanne 19: 25 Clopae uxorem et Magdalenam illam nomine vocari, non item matrem Jesu? Quare verba καὶ — αὐτῆ inculcata putamus. Et si mater Jesu in illud Pascha, quo filius cruci suffixus est commeavit ac spectatrix adstitit supplicii loco: una trium debet feminarum fuisse, Marc. 15: 40, 47. 16: 1. Matth. 27: 56, 61. 23: 1. nominatarum. Atqui non Salome fuit, non Magdalena. Ergo mater Jacobi, Josis etc. Confer. Marc. 6: 3.

filios genitos habuisse, Jacobum Justum, Josen, Symeonem et Judam. Eo tandem nonnulli confugiunt, ut fratribus Josepho et Clopae totidem cognomines adscribant filios. Jam conjectore opus Oedipo erit, ubi fratres Jesu commemorentur, ubi patrueles; nihilque omnino certum habemus.

4) Fatui sunt, quibus imponere possis, apostolos ac discipulos Domini post expugnationem Hierosolymae, dudum per orbem et Romanum et Parthicum longinque digressos, in unum coactos esse ad creandum Jacobi successorem, episcopum Hierosolymae, contra jus ecclesiae primaevae, per quod *ψήφῳ τῶ λαῶ παντὸς, τῶ τῆς ἐκάςης παροικίας κλήρῳ καὶ λαῶ* episcopus eligebatur **). At illi, qui episcopum Hierosolymae episcopum episcoporum fuisse animis Christianorum informare volebant, quo fidem facerent sibi, tam amplam synodum electricem commenti sunt, futuri conclavis exemplar.

Multum lucis huic rei affunditur e Clementinis, ut e Recognitt. 4: 35, ubi Petrus Tripoli, oppido Phoeniciae, populum graviter commonefacit, „ne cui doctorum credant, nisi qui Jacobi fratris Domini detulerit testimonium Hierosolymis, vel ejus qui post ipsum fuerit.“ Nisi enim quis illuc adscenderit et ibi fuerit probatus idoneus doctor et fidelis ad praedicandum verbum Christi; nisi, inquam, inde detulerit testimonium, recipiendus omnino non est. Neque apostolus in hoc tempore speretur a vobis aliquis praeter nos. Unus enim est verus propheta, cujus nos duodecim apostoli verbum praedicamus.“ Videat principium epistolae Clemen-

**) In Constitt. quoque Apost. (7: 46) scriptum legitur, ab Apostolis in vita eorum non solum Jacobum, fratrem Domini, sed etiam Symeonem Clopae adeoque Judam Jacobi, episcopos Hierosolymae ordinatos esse, ita ut Apostoli anno 116 conventum Hierosolymae habuerint, si quidem Judas Jacobi Symeoni successit, cujus successor, tertius episcopus Hierosolymae, apud Eusebium 4: 5. Justus nomine perhibetur, decimus autem quintus demum anno circiter 119 Judas.

tis ad Jacobum et Epitomes, si quem cernere lubet hierarchiae Hierosolymitanae speciem Jacobitis, ut ita loquar, designatam, cujus prima initia Gal. 2: 11 — 13. dispiciuntur.

[5]) Ergone cognationis gradu secundum carnem episcopatus Hierosolymitanus tamquam hereditas cernebatur, ita ut primus episcopus fieret Jacobus, maximus frater Jesu, secundus Symeon, patruelis? Siccine placuit discipulis ejus, cujus hoc audiverant verbum: *Τίνες οἱ ἀδελφοί μου; — Ὃς ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, οὗτος ἀδελφός μου.*

## N.

## Ibidem.

### Theudas

haereticorum, ecclesiae virginis corruptorum, primus parens cum filiis ac nepotibus.

*Μέχρι τότε ἐκάλουν τὴν ἐκκλησίαν παρθένον· ὅπω γὰρ ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις. Ἄρχεται δ' ὁ Θέβουθις, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὧν καὶ αὐτὸς τῶν ἐν τῷ λαῷ· ἀφ' ἧς Σίμων ὅθεν οἱ Σιμωνιανοὶ, καὶ Κλεόβιος ὅθεν Κλεοβιανοὶ, καὶ Δοσίθεος ὅθεν Δοσιθιανοὶ, καὶ Γορθαῖος ὅθεν Γορθαιανοὶ καὶ Μασβωθαῖος ὅθεν Μασβωθαιανοί. Ἀπὸ τούτων Μενανδριανοὶ καὶ Μαρκιανοὶ καὶ Καρποκρατιανοὶ καὶ Οὐαλεντινιανοὶ καὶ Βασιλειδιανοί. Ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγεν. Ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι, οἵτινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθορίμοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ.*

Ad hoc usque tempus [1]) ecclesiam vocabant virginem: nondum enim corrupta erat vanis doctrinis. Orditur autem Thebuthis [2]), propterea quod non factus erat episcopus, vitiare, de septem sectis quum esset et ipse, iis in

populo *), a quo profectus Simon unde Simoniani [3]); et Cleobius unde Cleobiani; et Dositheus [4]) unde Dositheani; et Gorthaeus [5]) unde Gorthaeani; et Masbothaeus **) unde Masbothaeani [6]). Ab his Menandrianistae et Marciani [7]) et Carpocratiani et Valentiniani et Basilidiani et Saturniliani (et Marcionitae ***). Suam quisque proprio diversoque modo opinionem insinuarunt. Ab his falsi Christi, falsi prophetae, falsi apostoli, qui diviserunt unitatem [8]) ecclesiae perniciosis dictis adversus Deum et adversus Christum ejus.

---

[1]) Ergo usque ad annum Christi circiter 70, si tempus est intelligendum quo Symeon inauguratus est. At vero finem Symeonis anno 116. cruce adfecti rectius cogitari, apparebit ex ejusdem Hegesippi verbis apud Eusebium H. E. 3: 2, quae infra exponentur.

[2]) Thebuthis (alia lectio Thebulis; apud Rufinum Theobutes ****) haeresiarcharum princeps, ex ipso gremio ecclesiae subortorum, quae virgo permanserat, usquedum Symeon Clopae episcopus vel creatus esset anno Christi 70 vel demortuus (nam sibi parum constat Hegesippus Euseb. 4: 22 et 3: 32), usque ad tempora ergo Trajani, vel quod eodem propemodum redit, auctore Clemente Strom. (7: 17) Hadriani.

---

*) Utimur conjectura Valesii τῶν pro ἣν; atque pro ἀφ' οὗ ὁ Σ. ex nostro ingenio rescribimus ἀφ' ὅ, a quo, nimirum principali magistro. Thebuthis enim primus inducitur parens eorum qui diviserint ecclesiam.

**) Pro *Μασβωθαῖος ὄθεν* videtur excidisse ac *Μασβωθαιανοὶ* legendum esse consimiliter antecedentibus. Vid. Nicephori H. E. IV. 17. Sic textum redintegravit Grabius.

***) Pro *Μαρκωνιται* rescripsimus *Μαρκιανοὶ*; quibus rationibus, docebitur infra. Marcionitas autem post Saturnilianos ultimo loco posuimus.

****) Nomen, ni fallit, origine hebraicum, sed allitteratione graeco accommodatum ori, atque insuper vitiatum. Quid si *Θεοβιλὶς* vel *Θεόβολος* vel tale quid subesset. Sic Orthodoxi Cerinthum vocare consueverunt Merinthum; Barbeliotas Borborianos.

Nam persecutio illa quae Trajani fertur, per quam Symeonem martyrio functum esse tradit noster, incidit in annum 116, ut Guil. Loydius et Dodwellus nostra sententia recte censuerunt; anno autem 117 Hadrianus potitus est imperio.

Haeresiarchae ex illa tempestate extiterunt nostro quidem auctore Marcus, Carpocrates, Valentinus, Basilides, Saturnilus, Marcion (Euseb. 4: 22), quos excepto Carpocrate Justinus quoque commemorat (Dial. 35. Apol. 1: 26). Cerdonem, qui ante Marcionem fuit, adjungit Irenaeus (3: 4); Carpocratem autem post Basilidem tempore praeponit Cerdoni. Ita septeni reperiuntur communis nominis Gnostici, qui Presbyterianos maxime inimicos et infestos habebant.

Nequidquam scriptores et aevo et studiis Hegesippo conjunctissimos pervolvimus investigaturi Thebuthin sive Theobuten. Vigilius autem Thapsensis Theodae*) juxta cum Dositheo haeretici mentionem facit, et Clemens Str. 7: 17. Theodam**) commemorat, quo Valentinus usus fuerit ma-

*) Theodas sive Theudas (תּוֹדָה, ni fallor) nomine suo arguitur Hebraeus.

**) Lucas Act. 5: 36. duplicem commisit parachronismum in oratione, quam Gamalielem habentem inducit, primum, quod Theudam non solum Jesu, sed etiam Juda Galilaeo, qui anno 12 tumultum moverat, tempore facit priorem; deinde, quod Gamalielem rem post mortem Agrippae demum (Act. 12: 23) factam, aliquot annis antequam acciderat, exempli causa commemorare facit. Id quod nobis quidem satis manifestum est inter alia vestigium, orationes, quibus Lucas Apostolorum Acta decoravit, in modum Livii conflictas esse. Nihil est illud artificium fingendi duos cognomines, alterum sub Herode Magno vel sub Archelao exortum, priusquam Jesus in medium prodiisset, alterum post Agrippae obitum. Sic enim Grotio, Casaubono, Heumanno, Krebsio, Moro, Rosenmullero, aliis, novissime Kuinoelo, placuit, Lucam parachronismi crimine purgare, quibus praeiverat Origenes. Strothius ad Euseb. H. E. 2: 11. conjectat, per anticipationem a Luca Gamalielis orationem Act. cap. 5. datam esse, quae, si temporis ordinem servasset, ultimo cap.

gistro. Sic habet locus Classicus: *Περὶ τὰς Ἀδριανῦ τῦ βασιλέως χρόνας οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπιπονήσαντες γεγόνασι — καθάπερ ὁ Βασιλείδης, κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχῦσιν αὐτοὶ, τῦ Πέτρυ ἑρμηνέα. Ὡςαύτως δὲ καὶ Οὐαλεντῖνον Θεοδᾶ διακηκοέναι φέρυσι· γνώριμος δ' ἦτος ἐγεγόνει Παύλυ. Μάρκος γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο· μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τῦ Πέτρυ ἐπήκυσε.* Hoc in loco Potterus post Js.

---

12. proferenda erat: nam placuisse scriptori actiones Apostolorum apud synedrium Hierosolymae in unum colligere. Sed ante obitum Herodis Agrippae Petrus Hierosolyma secesserat (ibid. 12: 17). Unus igitur parachronismus alio sic mutatur. Porro Josephus, cui memoria Judae Galilaei luculenta debetur ac Theudae, in eum prorsus congruens, quem Lucas memorat, excepta temporis ratione, Theudam priorem adeo parem et aequalem non praetermisisset silentio. Ceterum istius modi duplicatio personarum et rerum ad purgandos errore sacros scriptores auxilium tam irritum quam precarium videtur. Rectissime ad Euseb. 2: 11. Valesius: „Duos Theudas fuisse, qui se prophetas mentiti, alter post alterum, Judaeos ad spem novarum rerum concitaverint, nunquam adduci possum ut credam. Conferantur Lucae ac Josephi loca, in quibus uterque illorum de Theuda locutus est; et unum eundemque Theudam ab utroque esse memoratum manifestissime deprehendemus. Certe in utriusque narratione cuncta ad amussim ita conveniunt, ut Josephus Lucam interpretatus esse videatur (vel potius ex Josepho Lucas notitiam hausisse). Unum discrimen est in tempore, quod tanti momenti tamen non est, ut idcirco duos Theudas comminisci debeamus. Nam quotiescunque hujusmodi narrationis discrepantia apud veteres scriptores occurrit, si ob hanc causam statim negotia ac personae dirimantur necesse est, cavendum erit, ne ex uno eodemque homine duos temere faciamus. Quanto satius est, ubi duos scriptores inter se dissentire viderimus, alterum illorum falli affirmare? Quod cum de sacris litteris nefas sit dicere, in Josephum omnis culpa conferenda est.“ Falsi ergo accusamus Josephum, disertis verbis tradentem *Φώδυ τῆς Ἰυδαίας ἐπιτροπεύοντος Θευδᾶν* exortum esse, propterea quod dubitare nefas, quin canonicus scriptor sit *ἀναμάρτητος*. Eodemque jure nulli non auctores cum scriptoribus ecclesiasticis male congruentes falsorum damnandi erunt. Vivat credulitas et pereat fides!

Vossium, Dodwellum, Valesium frustra satégit, non intelligens, legendum esse *Μάρκος* ut nos rescripsimus, non *Μαρκίων*. Nam in Constitutt. Ap. 6: 8 Marcus Basilidem et Saturnilum praecedit; quanam alia ratione quam aetatis nescimus. Apud Justinum *) Marciani Valentinianos et Basilidianos praecedunt, qui Epiphanio Marcosii, Augustino Marcitae vocantur. Apud Hegesippum quoque ceteri Gnostici omnes, nominatim Basilidiani, Valentiniani, succedunt *Μαρκιανοῖς*, quos rescribere pro *Μαρκιωνίτας* nulli dubitamus. Ubique Marcionitas juniores Marcianis esse apparet, ex. c. apud Epiphanium, qui hanc haeresin tricesimam quartam facit, illam quadragesimam secundam. Sic Marcus eodem quo Basilides et Valentinus tempore vixit, sed aliquot lustris major Clemente quidem auctore, Glauciae ac Theodae fere aequalis, Petri pariter atque Glaucias discipulus, post quem Simon paulis-per Petrum audiit. Propterea justius videtur Valentinum Marcianum vocare, quam cum Moshemio Marcum Valentinianum.

Ferunt Marcum, Petri comitem, evangelium ex ore Petri exceptum litteris consignasse, et accepimus, eos, „qui Jesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est, in usu habuisse evangelium“ (Iren. 3, 11: 7). Jam vero sententiam istam dogma Gnosticorum fere commune fuisse constat, Presbyterianos autem omnia contraria decrevisse. Quin etiam Petrus in epistola catholica (3: 18) diserte dicit Christum *θανατωθέντα μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθέντα δὲ πνεύματι*, leto quidem affectum esse carne, vivum autem permansisse spiritu; hoc est impassibilem perseverasse pro ea, qua Christus, Dei filius censendus est, virtute (R. 1: 4, Cor. 2, 13: 4); passum autem ac demortuum esse secundum

*) Dial. 35, ubi falso Maranus contra Thirlbium Marcianos Marcionis esse discipulos censet.

eam naturam, secundum quam unus fuit de γεννητοῖς γυναικῶν, nomine Jesus, quod nomen multis popularibus ante ipsum atque ipsius aevo impositum nemo ipsi denegabat, ne vehementissimi quidem adversarii, Christi nomine nequaquam Jesum dignati. Nihil denique sacrarum litterarum a sensu et more Presbyterianorum magis avocare videtur hac epistola catholica Petri. Serapion, episcopus Antiochiae, qui tertio seculo ineunte floruit, quum Rhossi, oppido Ciliciae, evangelium Petri usitatum reperisset, nolens interdicto μικροψυχίαν παρέχειν, ut porro legeretur in ea paroecia, concessit; comperit autem postea, cujus sectae ille Marcus*) esset. „Ab aliis enim, inquit, hujus ipsius Evangelii studiosis, hoc est a successoribus auspicantium illud, quos Docetas vocamus (plura enim placita sunt istorum doctrinae); ab iis igitur commodatum pervolvere potuimus et invenire plura quidem rectae rationis Soteris (τῆ ὀρθῆ λόγῳ τῆ Σωτῆρος); aliqua vero in quibus exceptione et cautione opus videtur, quaeque vestra causa relegavimus.“ **) (Euseb. 6: 12),

Utinam Serapionis ille λόγος περὶ τῦ λεγομένυ κατὰ Πέτρον ἐναγγελίυ extaret! Attamen ex hoc fragmento didicimus, Docetis hoc evangelium idoneum fuisse, quod idem vel de canonico evangelio Marci, quamvis ab illis orthodoxiae pariter atque unionis ecclesiasticae principalibus magistris castigato, ex parte saltem adhuc valet. Ex. c. silentio praetermittit τὴν γέννησιν καὶ τὴν γενεαλογίαν synopticorum solus evangelista Marcus, quo mytho Presbyterianorum dogma praecipuum constat. Nullum item datur documentum Jesu, τῦ ζωοποιηθέντος σαρκί. Alia quoque in hoc evangelio Presbyterianis praeter optatum tum insunt, tum desunt, quae nunc inqui-

*) Ὁ Μάρκος rescripsimus pro ὁ Μαρκιανός. Quis enim cum ratione dixerit: Compertum habeo, cujus sectae sit ille Socinianus.

**) Ἀπεστάξαμεν flagitat argumentum consiliumque epistolae: Seposuimus, relegavimus, ut inutilia, nocitura; non ὑπεστάξαμεν. Castigavit episcopus Rhossensi paroeciae evangelium Petri.

rere non vacat. Redire enim debemus eo, quo digressi sumus, nostramque conjecturam, pro Thebuthis sive Theobutes rescribendum esse Theodas, proponere et quoad valemus, probare.

Ut odio invidiaque operirent Gnosticos et omnibus modis infamarent, auctorem iis quam maxime execrabilem commenti sunt. Nam Irenaeus quum universos Gnosticos tum Valentinianos primam originem ducere perhibet a Simone Mago, eumque principem facit omnium haereticorum, praefatione libri secundi ac tertii et 4, 33: 3. Tertullianus item (de Praescriptt. 46): „Eorum qui ex evangelio haeretici esse voluerunt, est primus omnium Simon Magus — post hunc Menander — secutus est post haec Saturninus — Carpocrates, Valentinus, Marcus, Cerdon, Marcion, Tatianus." Eusebius (2: 12): *Πάσης μέν ἐν ἀρχηγὸν αἱρέσεως πρῶτον γενέσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν* etc. Dr. Bullus Defens. Fidei Nic. p. 184. „Apud veteres, inquit, scriptores ecclesiasticos Haereticorum dux sive princeps tam constanter significat Simonem Magum quam apud auctores profanos Latinos poetarum princeps Virgilium designat."

Rectissime autem Moshemius et recentiores Simonem et Menandrum ex agmine Christianorum haereticorum, nedum principatu exemerunt. Priorem ut Christianum fuisse opinarentur, occasionem dedit locus ille Act. 8: 18 sqq. quod Tertullianus (de idol. 9) his verbis declarat: „Simon Magus jam fidelis — maledictus ab Apostolis de fide dejectus est;" idemque (de anima 34): „Simon Samaritanus, in Actis Apostolorum, redemtor Spiritus Sancti, posteaquam damnatus a Petro cum pecunia sua in interitum frustra flevit, conversus ad veritatis expugnationem etc." Simon Magus, qui prinsquam Samariae Philippi opera percrebruit Evangelium, populum ibi praestigiis obstupefactum tenuerat: apostolos impositis manibus spiritum sanctum distribu-

entes pro magis, aliquanto majoribus, existimasse et artem quam callerent ipsi deficientem licitatus esse videtur. Fidelem vero Simonem hoc fecisse, Christiano fideli exsecratos et male precatos esse apostolos ac de fide quemquam dejecisse nefas est dictu. Fabulam Lucas narrat omni probabilitate destitutam. Posito enim, Simonem a Petro diris devotum esse: continuo poena pressit culpam, usquedum poenitentiam veram et mansuram ageret; vel apostoli comminatio irrita cecidit. Atqui tantum abfuit, ut poenitentiam Simon ageret maleficaque professione abstineret (nam fidelem esse et *μαγεύειν* pugnantia sunt), ut potius ex illa die „ad veritatis expugnationem conversus," ut ait Tertullianus infinita detrimenta ecclesiae crearet ac (Petri voce utimur ex Act. 8: 23) *σύνδεσμον ἀδικίας* sese praestaret. Annon oportuerat cum Simone multis modis nocentiore non lenius agi quam cum Anania et Barjesu (Act. 5: 5. 13: 11)? Quantum Simon gratia valere perrexerit media in Palaestina, ex Josepho Flavio A. J. 20: 5 perspicitur. Anno 54 circiter Felici, Judaeae et Samariae procuratori, tanta cum Simone amicitia et familiaritas intercedebat, ut ejus opera Drusillam, Azizi Emesenorum regis uxorem, ad deserendum maritum nuptiasque Felicis pelliceret praestigiator fatidicus, *μαχαρίαν ποιήσειν ἐπαγγελλόμενος μὴ ὑπερηφανήσασαν αὐτόν.* Priusquam de provincia decederet Felix, haud vero simile est Simonem, ejus ac Drusillae necessarium, Romam venisse, falsoque Justinus dicit, in regia Roma Claudio Caesare Simonem versatum esse. Apol. 1: 56. Sero, si fabulae fides est, imprecatio Petri Romae magum daemonum ministerio in aerem evectum praecipitem dedit, sic tamen ut Simon vehementi casu deturbatus non exspiraret, sed coxam modo pedumque plantas frangeret; attamen vel sic nonnulli *παρέμειναν αὐτῷ τῇ μοχθηρᾷ διδασκαλίᾳ.* (Constitutt. Ap. 6: 9) Eandem fabulam narrant Ar-

nobius, *) Ambrosius, Augustinus, Sulpicius, Cyrillus Hieros., Theodoretus, Isidorus Pelus., Anastasius aliique multi. Vid. Suic. Thes. Eccl. sub nomine Simon. Cotelerius (ad Constit. Ap. 6: 9): „Ego, inquit, praeclarae illius sententiae memor: Periculosum est credere et periculosum non credere, nec assevero nec pernego. — Qui ad diffidentiam propendebit magis, quo morbo magna pars eruditorum hodie jactatur, retardabitur ab assensu partim narrationis origine" etc. Nobis, Deo gratia! sesquiseculo post Cotelerium tam felicibus esse contigit ut, quae per se incredibilia sunt omnique interna probabilitate carent, ita comparata, ut si credere simulares ac pro veris narrares, de Christi suorumque Apostolorum honore nimium deminueres, non periclitemur negando ac pernegando. Periculum autem adeoque damnum vos facitis populo christiano et noxam meretis, si qui hodieque haec talia pro veris credere simulatis, quoniam ficta et commentitia, quorum inanitas et anilitas nostro seculo patet in promtuque est, admixta rebus ecclesiasticis adeoque evangelicae historiae, non dico mythologiae, magis magisque taedium neglectumque conflant. Hinc nobis religio est committere, ut quae falsa esse cognovimus, diutius pro veris habeantur; *κατὰ τὴν συνείδησιν* futiles fabulas explodimus, quae superstitionem quidem lactant, inutiles autem pietati *ἀπὸ τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν* declinant; homines cordatos autem et intelligentes necessitate quadam *προσκόπτουσι καὶ σκανδαλίζουσι.*

Justinus vanitate semet ipsum superat, quum Simonem, Samaritanum fingit, (confer. A. J. 20: 5), suaque gloriatur

*) „Viderant currum Simonis magi et quadrigas igneas Petri ore difflatas et nominato Christo evanuisse. Viderant inquam fidentem Diis falsis et ab iisdem metuentibus proditum pondere praecipitatum suo cruribus jacuisse perfractis; post deinde perlatum Brundam cruciatibus et pudore defessum ex altissimi culminis se rursum praecipitasse fastigio." Adv. Gentes. 2: 12.

παρρησίᾳ, quod οὐδὲν οὐδενὸς φροντίζων ἢ τοῦ ἀληθὲς λέγειν verba faciat, οὐδένα δυσωπήσεσθαι μέλλων, κἂν δέῃ παραυτίκα ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων μιλισθῆναι. Neque enim, inquit, meos gentiles, dico Samaritanos, quidquam curans, cum Caesare scripto conferens, dixi errare eos πειθομένους τῷ ἀπ τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι Dial. 120. Confer. Apol. 2: 15. Quid autem Justinus subs gentiles vocat Samaritanos, eos qui Jacobum patrem suum habebant? (Jo. 4: 12) Quid eos respicere vel timere debet homo incircumcisus (Dial. 28), Prisci filius, Baqhii nepos, Flaviae Neapolis in Syria Palaestina civium? Quid Samaritani circumcisi attinent ad hominem ἐξ ἀκροβυστίας, civem coloniae, quam Flavius Vespasianus anno Chr. 72 deduxit Flaviamque Neapolin nominavit? Nihil magis profecto quam Judaei iique Hierosolymitani extorres ad illos Graecos, qui Aeliam Capitolinam ab Hadriano conditam inde ab anno 119 incolebant. Sin autem verus gentiles suos dicit ethnicos, qui coloniam juxta Samariae rudera extructam occupaverant, tum eos arguere alicujus erroris, in quem 40 annis ante conditam Neapolin Simon Samaritanos jam 90 annos patrio solo mulctatos impulerat, ab omni ratione est alienum.

Effrontius tandem nihil, quam quod in apologia, si qua fides homini tot falsorum convicto, Caesari Antonino Pio Augusto et Marco Aurelio Lucioque filiis oblata, Justinus ausus est scribere, Claudio Caesare, annis prope 110 abhinc, τὴν ἱερὰν σύγκλητον καὶ τὸν δῆμον Ρωμαίων Simonem, Samaritanum, ὡς θεὸν νομίσαι καὶ ἀνδριάντι ὡς τὰς ἄλλας παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις τιμωμένας θεὰς τιμῆσαι, adeoque adjicere monitum, ut ὁ ἀνδριὰς tolleretur ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχων ἐπιγραφὴν Ρωμαϊκὴν ταύτην Σίμωνι θεῷ σάγκτῳ· Apol. 1: 56, 26. Imperatores, quos modo nominavimus, in regia urbe profecto non peregrini et hospites, rerumque a senatu populoque Romano patrum memoria ge-

starum ac monumentorum tam recentium gnari, manu tenuissent hominis crassissimum mendacium, et antiquitatum Romanarum inscientiam ridiculam, quae Deum Sabinum urbe Roma antiquiorem cum praestigiatore seculi octavi ab urbe condita permutare posset ac legere in ara Semoni Sango inscripta Simoni Sancto. Hunc tamen errorem amplexi sunt ac per manus quasi tradiderunt Irenaeus, Tertullianus, Sulpicius, Eusebius, Theodoretus, Nicephorus, auctores pariter cum Justino sive indocti sive fraudum piarum amantes. Vid. Valesius ad Euseb. 2: 13, et Suicerus Thes. Eccl. sub nomine Simon. Lapides *) hodieque Patribus falsis reclamant. Maranus quidem Prolegg. ad Justin. etc. III. 6. Aethiope lavando tantum profecit, ut quam ater esset, eo magis appareat. „Quomodo, rogat, tam insigne erratum tamque ad oculos feriendos idoneum ita latuit, ut in dialogo et in Apol. 2. Justinus fidens ac tutus confirmet quod in prima dixerat?“ At vero primum Justinus Apologia secunda apotheosin Simonis nulla syllaba commemorat; deinde, si non dementissimus hominum fuit Justinus, neutram apologiarum suarum nec vero dialogum in manus virorum peritorum ac doctorum tradidit, sed cum vulgo Christianorum, cum nostris ut ita loquar, communicavit, instar fanaticorum hodiernorum, qui suos libellos etiam apologeticos et polemicos inter sui gregis homines, inter vulgum et rerum scientia et judicio carentem, furtim quasi distribuentes publici juris facere nolunt, ut ne prostantes in hominum omnis generis notitiam perveniant, ac *διαχρίνεσθαι* et *ἐλέγχεσθαι* ab omnibus possint. Ex quo nec vestigium nec vola apparet apud Classicos, Tacitum, Suetonium, Plinium, Arrianum, Antonium apologiarum ab Justino etc. imperatoribus et magistratibus oblatarum. Quid quod apologiae Justini certe ita comparatae sunt, ut harum partium Christianos potius pro-

*) Vid. Gruteri Inscriptiones p. XCVI. 4.

didissent criminumque adeo capitalium convicissent, quam ut eorum innocentiam comprobassent.

Apud Hegesippum certe Simon ὁ ἀρχηγὸς non est omnium haereticorum Christiani nominis et inprimis Gnosticorum, sed diversum agmen haereticorum ducit, socius Cleobii, Dosithei, Gorthaei, Masbothaei. Eodem jure Menander huic seriei contribuendus videtur, mali fortasse Aristarchi arbitrio loco motus atque in Gnosticorum genus Christiani nominis cum Marco, Carpocrate, Valentiniano etc. redactus. Menandrum enim Justinus diserte Simonis discipulum facit pariter Samaritanum e vico Capparetaea (Apol. 1: 26, 56), et ambos non Christianismi nostri adulteratores, verum hostes apertissimos, Antichristos declarat. Ex quibus tamen Irenaeus Saturninum esse dicit idemque Eusebius et Epiphanius volunt Basilidem adjungentes, reliquosque Gnosticos a Menandro Simonis discipulo profectos Irenaeus (1: 24. 3: 5) perhibet.

De Cleobio, Dositheo, Gorthaeo, Masbothaeo, apud Justinum et Irenaeum nulla mentio. Cleobius adjungitur Simoni (Const. A. 6: 8) et ambo discipuli Dosithei perhibentur quem Tertullianus (de praescr. 48) tradit primum ausum esse prophetas quasi non in spiritu sancto locutos repudiare. Origenes (de Princip. 4: 7) Dositheum Samaritanum inter eos de circumcisione unumque nominatim numerat, qui οἴονται ἐπὶ τῷ σχήματος, ἕ ἂν καταληφθῇ τις ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῷ σαββάτῳ, μένειν μέχρις ἑσπέρας. — „Simon et Cleobius ἐπ' ὀνόματι Χριστῷ *) καὶ τῶν ἀποστόλων ἰώδη συνέταξαν βιβλία (Constit. Ap. 6: 16), non agnoscentes Jesum pro Christo neque ejus apostolos pro Christi judicantes, sed Christum sese uterque suosque apostolos Christi praedicantes. „Samaritani, unum verum prophetam ex Moysis vaticinationibus recte expectantes pravitate Dosithei iinpediti sunt, ne eum quem

*) Matth. 24: 5. Luc. 21: 8.

expectabant crederent, Jesum." Recogn. 1: 54. „A Samaritanis Dositheus quidam exortus profitebatur se esse τὸν προφητευμένον ὑπὸ Μωσέως Χριστόν, abs quo huc usque sunt Dositheani, ferentes etiam libros Dosithei, et fabulas quasdam de eo narrantes, ὡς μὴ γευσαμένα θανάτου, ἀλλ' ἐν τῷ βίῳ που τυγχάνοντος." Orig. in Joann. 4: 25. Tom. 13: 27. Id. c. Cels. 1: 57. „Dictum est de Joanne, ipsum esse Christum. (Jo. 1: 25. Act. 13: 25) Quod quidem nonnulli etiam de Dositheo dixerunt, alii vero de Juda Galilaeo." Id. Homil. 25. in Luc. „Simon se dicebat Dei virtutem (Act. 8: 10), Dositheus autem adeo se ipsum filium Dei. — Judas Galilaeus voluit haberi magnus quidam et ante illum Theudas." Id. c. Cels. 6: 11.

[11] „Interfecto Baptista Joanne Dositheus haereseos iniit exordium cum triginta principalibus discipulis unaque femina quam Lunam appellarunt. Simon malae gloriae cupidus accedit ad Dositheum precans, ut si quis aliquando ex illis triginta obiret, in locum defuncti subrogaretur ac simulata officiositate impetravit, ut, ubi locus intra numerum factus esset, eum Dositheus introduceret. Mox magister superatus magicis artibus decessit, magisterio, atque cum suis principem agnovit Simonem." Cl. Recogn. 2: 8 — 11. Homil. 2: 23. Ἰωάννης τις ἐγένετο ἡμεροβαπτιστής, ὃς καὶ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ κατὰ τὸν τῆς συζυγίας λόγον ἐγένετο πρόοδος *) Καὶ ὥσπερ τῷ Κυρίῳ γεγόνασιν δώδεκα ἀπόστολοι τῶν τοῦ ἡλίου δώδεκα μηνῶν φέροντες τὸν ἀριθμὸν· ὡσαύτως δὲ αὐτῷ ἓξ ἀρχοι ἄνδρες γεγόνασι τριάκοντα, τὸν μηνιαῖον τῆς σελήνης ἀποπληροῦντες λόγον. Ἐν ᾧ ἀριθμῷ μία τις ἦν γυνὴ λεγομένη Ἑλένη, ἵνα μηδὲ τοῦτο ἀνοικονόμητον ᾖ. Ἥμισυ γὰρ ἀνδρὸς ἔσα γυνὴ ἀτελῆ τὸν τῆς τρακοντάδος τέθεικεν ἀριθμόν· ὥσπερ καὶ σελήνης ἡ πορεία τοῦ μηνὸς ἀτέλειον ποιεῖται τὸν δρόμον. Horum autem triginta Joanni primus et probatissimus fuit ille

*) His verbis ὃς καὶ — πρόοδος vacat Clem. epitome, cap. 26.

Simon, qui quidem quo minus principatum obtineret post finem Joannis, hoc in causa fuit. Cap. 24. Nam ipse peregre quum profectus esset in Aegyptum addiscendae Magiae causa: Joanne occiso Dositheus, qui principatum appetens mortem Simonis falsam renuntiaverat, successionem sectae obtinet. Simon autem paullo post supervenit, et locum ut proprium magnopere affectans locum quidem non repetit sciens, eum, qui anticiparit principatum, praeter voluntatem non depositum iri. Quapropter per simulatam amicitiam brevi quidem in secundum a Dositheo locum semet ipsum insinuat; eumque gradum adeptus non multos post dies triginta condiscipulis sensim extenuare coepit Dositheum, quasi non tradentem integre disciplinas (*τὰ μαθήματα*), idque facere dicebat eum, non ut invidentem, sed ignorantem. Et aliquando Dositheus, quum subsensisset Simonis artificiosam calumniationem, solventem suam apud vulgum existimationem, *) ut non ipsum esse putarent Stantem **) (*τὸν Ἑξῶτα*): prae ira, in solitam quum adfuit scholam, virga verberat nactus Simonem; ea autem Simonis corpus instar fumi trajecisse visa est. Hac re perculsus Dositheus ei: Si tu es, inquit, *ὁ Ἑξὼς*, etiam adoro te. Ut Simon dixit: *Ἐγώ εἰμι*, Dositheus semetipsum cognovit non esse *τὸν Ἑξῶτα* et prolapsus adoravit, atque cum undetriginta principibus (*ἑξάρχοις*) sese dejecit atque in suae existimationis loco (*εἰς τὸν ἑαυτῆ τῆς ὑπονοίας τόπον*) constituit Simonem. Et sic non multo post Dositheus, illo Stante, ipse lapsus obiit ***) Cap. 25. Simon

*) *Διαβολὴν, λύσαν αὐτῆ πρὸς τὰς πολλὰς ὑπόνοιαν.* „Lege *φύσαν αὐτῆ* etc. quae de illo apud multos suspicionem crearet.“ Davis. Vocem, quae sub finem hujus loci recursat, *ὑπόνοιαν* in mendo esse, citius ego putaverim, ac rescribendum *ἐπίνοιαν* vel *διάνοιαν*, existimationem, opinionem, i. q. *δόξαν*. Ita Isocr. *διάνοιαν ἔχειν περί τινος*, de aliquo sentire. Aristot de Mundo: *ταῦτα χρὴ περὶ θεῦ διανοεῖσθαι.*

**) „Simon affirmabat se esse quemdam Stantem, hoc est alio nomine Christum“ etc. Cl. Recogn. 1: 72. Vid. Coteler. ad h. l.

***) Ab epitomatore totum cap. 24. extrusum est.

autem assumta Helena circuit, et huc usque ut vides, sollicitat turbas.“

Ne quid reliqui faciamus, quod Clementina de Joanne tradidere, in Recogn. 1: 54, 60. ita scriptum legitur: „Ex discipulis Joannis, qui videbantur esse magni, segregarunt se a populo et magistrum suum veluti Christum praedicarunt. — Ecce unus ex discipulis Joannis adfirmabat Christum Joannem fuisse et non Jesum; in tantum, inquit, ut et ipse Jesus omnibus hominibus et prophetis majorem nuntiaverit Joannem (Matth. 11: 9, 11). Si ergo, inquit, major est omnibus, sine dubio et Moyse et ipso Jesu est major habendus. Quod si omnium major est, ipse est Christus. Ad haec Cananita Simon respondens adseruit Joannem majorem quidem fuisse omnibus prophetis et omnibus qui sunt filii mulierum; non tamen majorem esse filio hominis *). Et ideo Jesus quidem et Christus est; Joannes vero solum propheta etc.“

Caesarea Palaestinae et Laodicea Syriae in Clementinis campi sunt, ubi Petrus ab Jacobo archiepiscopo missus cum Simone Samaritano disputasse perhibetur. (Recogn. 1, 12, 72. 2: 19). „Postea, quum Antiochiae Simon animos plebis odio et invidia Petri praevertisset, fugatus est a Cornelio, centurione, qui per amicos divulgaverat, se jussu Cae-

*) In Clementinis filius hominis non est unus de γεννητοῖς γυναικῶν, sed בן אדם praecipua quadam ratione, filius illius Adami mystici, quem insimulare peccati nefas est (confer. Sap. 10: 1. 2. Tim. 1, 2: 13, 14). „Ille homo ὑπὸ χειρῶν τοῦ θεοῦ κυοφορηθεὶς solus habebat τὸ ἅγιον τοῦ Χριστοῦ πνεῦμα, quod ab initio aevi ἅμα τοῖς ὀνόμασιν μορφὰς ἀλλάσσων τὸν αἰῶνα τρέχει (Sap. 7: 27) μέχρις ὅτε ἰδίων χρόνων τυχὼν διὰ τὰς καμάτους θεοῦ ἐλεεῖ χρισθεὶς εἰς ἀεὶ ἕξει τὴν ἀνάπαυσιν etc. Conjux autem feminea natura multo deterior — τοῦ νῦν κόσμου ὡς θηλείᾳ ὁμοίᾳ ἄρχουσα πρώτη προφῆτις εἶναι πεπίστευται, μετὰ πάντων τῶν ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφητείαν ἐπαγγελλομένη. Ὁ δὲ ἕτερος, ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἀρσὴν ὢν τὰ διαφέροντα ὡς ἄρσενι, τῷ μέλλοντι αἰῶνι πρωτεύει. Vid. Clem. Rec. 1: 47. Hom. 3: 17 sqq. 42. sqq. 8: 10. Paulus contra Jesum (Gal. 4: 4) γενόμενον ἐκ γυναικὸς dicit.

saris eo venisse, ut hunc magum prehenderet cum ceteris maleficis ejusdem generis perimendum. Quo rumore Simon exterritus repetiit Judaeam. Ibid. 10: 54. sqq. Simon autem (Constitutt. Ap. 6: 7. Cl. Recogn. 1: 12. 2: 7. Homil. 2: 22.)" patre Antonio, matre Rachel natus, gente Samaraeus, ex Gitthis, vico qui sex schoenis ab urbe distat." — „Antequam, inquit (Cl. Rec. 2: 14), mater mea Rachel conveniret cum Antonio, adhuc virgo concepit me; quum esset in potestate mea vel parvum esse vel magnum et hominem inter homines apparere."

Hactenus de Simone, quem Irenaeus ejusque socii summum magistrum ferebant etiam eorum, qui κύριον Ἰησοῦν profitebantur, sed a Presbyterianis dissidebant itaque heterodoxi videbantur. Falso, si verum quaerimus, et malitiose. Nam Simon est unus eorum vel adeo princeps Antichristorum, qui sese singulos, non Jesum Christum professi sunt, quantum quidem ex Patribus cognoscere licet. Vix ac ne vix quidem dijudicare possumus, quantillum ejus, quod Patres de Simone narrant, historicum sit; plurimum fictum et commenticium esse, certum habetur. Clementinorum scriptores hanc personam omnino famosam commodissimam esse rati sunt, quacum Petrus concursans de rebus theologicis in Oriente maxime controversis iisdemque ad summam doctrinae suae pertinentibus disceptantem inducerent. Historiae igitur tanta ratio in his dialogis habenda, quanta in dramatibus aut in dialogis philosophicis ac politicis Graecorum; itaque mirandum non est, si multiformes occurrunt nobis Simones, Petri et id genus alii, in quibus sive loco et tempore sive mente et consilio inter sese conciliandis oleum et opera perderetur. Hic Simon vero non magis quam Petrus veritatem habet, ab Justino primo in alienum solum Occidentis Romamque adscitus. Utamur modo paulisper uno historiae oculo, chronologia, et falsitatem deprensam habebimus, ex eo, quod praeses Antiochiae de parentibus Cle-

mentis, Fausto et Matthidia, refert ad Tiberium Caesarem (Clem. epit. 143). Utamur altero historiae oculo, chorographia, conferentes cum Fl. Josepho Justinum, Clementina, Eusebium, ceteros denique Patres, eosque falsos cernemus, qui Simonem Magum Judaeum natione fecerunt Samaritanum, Cyprium suo natali, Gitthis *) oriundum vico sex schoenis a Samaria distante.

De Simone Mago in N. T. nihil praeterquam quod Act. 8. traditum habemus; ubi τὸ ἔθνος τῆς Σαμαρείας ab eo defecisse totum videtur ad Philippum Evangelistam et apostolos omnemque ibi suam existimationem ille perdidisse. Quando et quibus modis denuo suam divinitatem ibidem recuperaverit, Justinus, quod debebat, non enarravit. De Dositheo et Cleobio eorumque sectatoribus prorsus nihil in N. T. monimentis, nisi forte sub Dositheo Matthias ille lateat, cujus traditiones, (libera Cl. Strom. 2: 10. 3: 4. 7: 13. laudatus) praesertim placebant Marcosianis, Valentinianis, Basilidianis. Vid. Cl. Strom. 7 17. Cleobium quoque suspicamur ex Hebraeo nomen fictum sive nomen auribus graecis consuetum ob similitudinem cum Hebraeo commutatum, fortasse idem cum Cleopa, קְלֹפִי. Nihil autem exstat in litteratura patristica, quod non Cleobio, condiscipulo, commune sit cum Simone vel cum Theodoto (Theoda). Cleobium nusquam memorant Irenaeus ac Tertullianus. Alius est Cleobulus Epiphanii (Haer. 51 et 66), Claudii socius, Manetis sectator post medium tertii seculi, quibus per ingentem parachronismum Demam et Hermogenem e Tim. 2. 1: 15 et 4: 10 adjungit.

Gortheni item et Masbothaei apud Irenaeum ac Tertullianum frustra requiruntur; illosque adeo Constitutiones Ap. ignorant. Quod Epiphanius de Gorthenis narrat, unde

*) Num Citium, oppidum Cypri, cum Gitta sive Gittis, vico Samariae, confusum est?

sumserit, nullum vestigium; et vix ac ne vix quidem a suspicione temperare nos possumus, conjectura tantum aliquid auguratum esse Epiphanium, quod huic haeresi, cujus nomen nonnisi Hegesippus reliquit, adscriberet. Nobis quoque augurari liceat! In mentem venit Karaitarum, „qui a Sapientibus, Sadducaei quoque et Baithuseani dicuntur. Coeperunt oppugnare Cabbalam aut traditiones, textumque prout ipsis visum erat exponere, nulla interpretationis Sapientum habita ratione.“ Avoth, Perek. 1. Zadok et Baithus, discipuli Antigoni Sochaei, annis fere 300, ante Christum natum principes esse traduntur Sadducaeorum et Baithusaeorum, quos in Aegypto Karaitas vulgo appellatos esse, Rambam tradit ibidem. Non esse seculum nisi unum docebant, atque vel praemium vel poenam aut ullam expectationem negabant. Videsis Lightf. Vol. 1. p. 520. Vol. 2. p. 273, 441. Ponamus nomina Karaitarum et Baithusaeorum depravata esse in Gorthenorum et Basmothaeorum, ut in Constitt. Ap. 6: 6. legitur, Masbothaeorum in Eusebio; tum pulchre inter Judaicas ante Christum haereses cum Sadducaeis numerantur cognatissimi, re quidem iidem, nomine tantum diversi. Socordiae autem Hegesippi tribuendum est, ut eosdem Masbothaeos illic ante Christum viguisse facit cum Sadducaeis et Pharisaeis, hic post Christum a Thebuthi profectos.

3) De Simonianis nihil amplius habemus animadvertere praeterquam quod Origenes adv. Celsum 1: 57. tradit. „Sunt circa Palaestinam *σφόδρα ἐλάχιστοι* Simoniani; reliqui autem orbis nusquam nomen ejus pro ea, quam voluit de se dispergere, opinione. Apud quos enim fertur, ex Actis Apostolorum fertur. Christiani vero sunt, qui haec de ipso dicant; et res manifesta declaravit, nihil divinum Simonem fuisse.“ — Quae si ita sunt, Justinus amplius aliquid de Simone narrans, de apotheosi ejus et statua, qua *ὡς οἱ ἄλλοι παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις νομιζόμενοι θεοὶ*, honoratus sit, mendacii tacite arguitur. Nec vero

quid a fide alienius dici potest, quam seculo primo aliquem Romae inter Deos a populo senatuque relatum eique statuam publice dedicatam esse, de quo nullam memoriam apud Graecos Romanosque scriptores medio seculo tertio repererit Origenes, nedum hodie in litteratura quae dicitur profana eruere liceat.

4) De Dositheo reliquum est, ut Constitutt. Ap. 6: 8. laudemus: „Quum digressi sumus ad praedicandum in Gentibus verbum vitae tum diabolus effecit in populo (Judaico), ut post nos mitteret pseudapostolos ad verbi profanationem. Ac missus est Cleobius quidam adjunctus Simoni; hi autem sunt discipuli cujusdam Dosithei, quem et improbatum ejeceramus de principatu (ἐξ ἀρχῆς). Deinde alii quoque aliorum absurdorum dogmatum auctores extiterunt Cerinthus, Marcus, Menander et Saturnilus." Hic Dositheo fere imputatur quod apud Hegesippum Thebuthi. — Clementina faciunt — Dositheum continuo post occisum Baptistam haereseos exordium facere, aequalem Jesu, non aliquanto post Jesu decessum.

5) Gorthaeanorum nusquam alicubi mentio nisi apud Epiphanium ac Theodoretum. Ille Gorthenos tertiam commemorat haeresin Samaritanorum, non Christianorum, nulloque usu sunt ejus relata. Theodoretus septem haereses a Simone procreatas dicit Cleobianos, Dositheanos, Gorthenos, Masbotheos, Menandrianos, Eutychitas, Canistas, quae duo nomina postrema supra excussimus.

6) Masbothaei sive Masbothaeani apud Eusebium paulo infra inter haereses non ecclesiae Christianae, sed Israelitarum, tribui Judae et Christo adversarias numerantur, quas supra, quoad licuit, persecuti sumus. Qua ratione eosdem mox in censum haeresium Judaicarum, mox in Christianarum retulerit idem ipse Hegesippus, Oedipo conjectore opus est.

?) Quae Justinus, Irenaeus, Tertullianus atque cramben recoquens Epiphanius cum Gnosticos universos, tum Menandrianos praecipue insimulant, maximam partem ab inquisitoribus istis haereticae pravitatis vel perperam intellecta vel calumniose afficta esse, haud injuria suspicamur. Ex. c. sit ita, ut Irenaeus tradidit; docuerit Menander, *τὸς τῦ μεταδιδομένε πρὸς αὐτῦ βαπτίσματος καταξιωθέντας ἀθανασίας ἀΐδιον ἐν αὐτῷ τότῳ μεθέξειν τῷ βίῳ, μηκέτι θνήσκοντας, αὐτῦ δὲ παραμένοντας εἰς τὸ ἀεὶ ἀγήρως καὶ ἀθανάτος ἐσομένος*, persuaserit, ut Justinus scripsit, *τὸς αὐτῷ ἑπομένος, ὡς μὴ ἀποθνήσκοιεν. Καὶ τῖν τινές εἰσιν ἀπ' ἐκείνε τῦτο ὁμολογῦντες* (Euseb. 3: 16)! quidnam vero stultius cogitatu, quam Menandrum de baptismate proprio locutum esse, non *περὶ τῆς μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, cujus symbolum sit baptisma, per metonymiam; non de illo baptismate, quod Paulus intellectum vult Rom. 6: 4, 5. Gal. 3: 27, quo suscepto *ἐνεδυσάμεθα Χριςόν*, Christum autem induti, *τῆς ἀναςάσεως ἀντῦ* participes *συγκαθήμεθα ἐν τοῖς ἐπερανίοις ἐν Χριςῷ* (Eph. 2: 6)? Quod idem Christus *τοῖς πιςεύσι τῷ πέμψαντι αὐτὸν* (Jo. 5: 24. 11: 25, 26) spopondit. Cetera sine dubio Irenaeus affinxit, pollicitum esse Menandrum, efficere baptisma quod communicaret, ut homines hac in terra perpetuo degerent omni senio immunes. Nam haec vanitas intra paucos annos deprehensa mox omnem fidem vel inter maxime credulos amisisset; Menandri autem doctrina in tertium seculum duravit, Irenaei tempore nondum emortua. Sicut Paulus de suo evangelio, sic Menander de baptismate suo loqui poterat, nempe spiritali, mystico (Tit. 3: 5. Cor. 1, 6: 11. Eph. 5: 26), non quale Presbyteriani administrabant, *δικαίωμα σαρκός*. Per calumniam denique ex eo, quod suum Menander baptisma impertiret, criminari potuerunt adversarii, eum in suum nomen baptizare ac dicere: *ὅτι ἐγώ εἰμι*.

*Μαρκιωνιςαί*, in Mss. et Editt. Rescripsimus *Μαρκιανοί*, quos apud Justinum (Dial. 35) itidem Valentiniani, Basilidiani, Satur-

niliani excipiunt. Agmen rite claudunt *Μαρκιωνιϛαί* septenarium numerum explentes. Nisi fallimur, librariorum imperitia exciderunt, qui Marcianos sive Marcosios, quorum auctor Marcus, et Marcionitas recentiores ac notiores, quorum princeps Marcion, discernere nesciebant, et prioribus Marcianis qui secundum haeresium locum tenent in Marcionitas mutatis, suo loco septimo Marcionitarum nomen iterare noluerunt. Essenos, Sebuaeos, Gorthenos, Dositheos quatuor Samaritarum haereses facit Epiphanius; Simonianos autem primam earum haeresium, quae inter Christianos extiterint, secundam Menandrianos. Sin autem Dositheus magister Simonis et Cleobii: tres istae haereses Samaritanorum fuere, non Christiani nominis, Dositheani, Simoniani, Cleobiani; idemque probabiliter existimare licet de Gorthenis ac Masbothaeis, quos Epiphanius Sebuacos vocasse videtur. Hegesippus autem septem haeresibus in populo serpentibus primum septem haeresiarchas ambiguos, incluso Thebuthi, submittit, atque ex his tandem haereses certas Christiani nominis benigne derivat.

Omnia denique Hegesippus pro mero arbitrio miscet atque confundit, ut nihil ejus pro vero habere possimus. Peregrinorum nominum strepitu nihil aliud nisi obstupefacere volebat Romanos et efficere, ut ipsius doctrinam et scientiam ex abundantia novorum et inauditorum nominum, quae venditabat, metirentur. Vocabula legentibus ingerere, quorum sensu et intelligentia carent, nec tamen docere, quid ea sibi velint, vel stulti hominis est, vel obscuri, astuti, fallacis. Ad Romanos Graecosque nihil attinebant septem illae sectae Israelitarum; intererat autem Hegesippi ac Presbyterianorum, Marcianos, Carpocratianos, Valentinianos, Basilidianos, Saturnilianos, Marcionitas, uno vocabulo Gnosticos, odio et invidia opprimere. Quid autem plus invidiae creare poterat, quam injecta legentibus opinio, has partes Christianorum propagines esse sectarum de sectis Judaicis, quarum contagione originalis unitas et virginitas ecclesiae

vitiata sit. Quod quidem cognoscere ac dijudicare non datum erat Romanis; nihil autem proclivius quam Hegesippis bibulas aures dare.

*) Jam videre juvat unitatem quam Hegesippus derivat ecclesiae, salvam et incolumem, usque dum sacer chorus apostolorum exspirasset nemoque superesset eorum, qui falsos Christos, Prophetas, Apostolos coërceret. Quod commentum quale sit, haud opus est monstrare iis qui evangelia scriptaque apostolica perlegerint. Non una via et ratione jam ipsi Apostoli sui temporis homines instituere debebant ingenii captu, eruditione, victu et cultu, moribus inveteratis ac praejudicatis opinionibus tantopere diversos, *Ἕλληνάς τε καὶ Ἰουδαίους, σοφάς τε καὶ ἀνοήτους.* Quare Paulus de industria *ἐγένετο τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, ἵνα Ἰουδαίους κερδήσῃ, τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, τοῖς ἀσθενέσιν ὡς ἀσθενὴς τοῖς πᾶσι γέγονε τὰ πάντα, ἵνα πάντως τινὰς σώσῃ.* Ne Hebraeos quidem eadem ratione ad evangelium institutos esse, sed aliter Judaeos, aliter Israelitas angustiore sensu nominis et Samaritanos, diversitas Evangelistarum synopticorum et Joannis declarat, ut supra vidimus. Utut ergo veri Apostoli omnes ubique unam eandemque rerum divinarum summam, eandem *τῆς εὐσεβείας* vim atque naturam proponerent, idemque *παραγγελίας τέλος* tenerent: aliis tamen et aliis utebantur, ut ita loquar, involucris, aliis et aliis auctoritatibus, aliis et aliis loquendi formulis; multasque et hic illic diversas opiniones, quibus elidendis nondum maturitas temporis adfuit, tolerabant itaque temperare satis habebant, ut uni necessariae veritati parum nocerent eamque indies amplius, altius ac sincerius cognoscendam non impedirent; ac ritus praesertim ad regionum populorumque *φύσιν* ut ita loquar, ad morem vulgarem communemque vitam, accommodabant vel potestatem optionemque eorum hominibus faciebant, modo cautum esset, ut ne quid inde *ἡ λογικὴ λατρεία τῷ θεῷ* et *φιλαδελφία* detrimenti caperet.

Quid quod ipse Jesus apostolos diversos diversis praeceptis formavit, diversis mandatis instruxit; primum antequam supplicio suo emancipatus esset a lege, κατηργημένος ἀπὸ τοῦ νόμου, Petrum, Jacobum, apostolos circumcisionis; tum vero postquam Ἰσραηλίτης esse desiit atque ἄνθρωπος tantum ἕνα μεσίτην ἐκὸς θεῦ καὶ πάντων ἀνθρώπων se praestare omnibus partibus coepit, Paulum apostolum praeputii. Inter ipsos autem apostolos circumcisionis quantum differre videmus, inter institutionem Joanneam, Israelitis orientalibus accommodatam, et eam quae synopticis Evangeliis continetur, Judaeis citra Euphratem occidentalibus accommodatam, ita ut qui illam imbibissent, verbis ac sententiis multis uterentur, quibus hujus institutionis alumni carebant, multisque vacarent, quibus alteri abundabant! Sic a primordio Evangelii, si quis Hegesippus aut Irenaeus ampliorem ἑνότητα quam in necessariis exegisset, suorum placitorum proprietatem lapidem Lydium ratus τῶν ὀρθογνωμόνων κατὰ πάντα Χριστιανῶν, tam multos fere variosque Haereticos invenisset quam ineunte seculo tertio.

Accesserunt etiam sua natura, ut Christus ipse praevidit ac praemonuit, falsi apostoli, statim ut evangelium aliquem successum habebat ecclesiaque efflorescere coeperat, jam apostolico aevo. Annon quod Christus praedixit Marc. 13: 22, longe ante Hadriani tempora evenisse cernimus? annon graviter conqueritur Paulus, ecclesias, quas ipse vix condiderat, διχοστασίαις, αἱρέσεσι, σχίσμασιν infestas, capitibus quatuor primis primae epistolae ad Corinthios, ibid. 11: 19, et secundae capite 11, et 12, Gal. 5: 20. Phil. cap. 3. Tim. 1, 1: 4 — 11. 4: 7. Tit. 1: 14 — 16. et alibi? Duplex autem genus haereticorum: alteri enim Judaicis mythis credenda, Judaicis cerimoniis agenda, refercire atque evangelii sinceritati fideique simplicitati Mosis auctoritatem legemque cum τῇ παραδόσει τῶν πρεσβυτέρων admiscere, qua ratione consilium institutumque Christi pessum ivisset. Alteri, quos non veri studium, non sancta pietas erga Deum, non admirabilitas

Christi, non sincera benevolentia et fides erga homines, non ipsius officii religio, sed κενοδοξία, πλεονεξία, κολακία, ζῆλος, ἐρίθεια instigabat ad munera capessenda ecclesiae, ut alios gratia et auctoritate florentes obscurarent, elevarent, supplantarent, deturbarent, tum lenociniis quibusdam orationis titillare aures eorum, qui stulta libidine pruriebant nova et arguta potius audiendi quam salutaria et utilia (Jac. cap. tertium totum; Tim. 2, 2: 3—9. 4: 3, 4); per Sibyllina carmina et apocalypses inebriare vulgum, conversionem omnium rerum, aurea secula, millenarium regnum pollicentes; tum affectata sanctitate, coelibatu etc. praestringere animos imperitorum; tum alios ἑτεροδοξοῦντας, i. e. ab illorum opinionibus placitisque alienos, ψευδοδοξίας accusare et condemnare, atque unitatem ecclesiae, qualis nulla unquam fuerat, restituendam, id est dictaturam quandam sacram sive dominationem moliri, cui universi et singuli sese submittere debeant, qui haereseos damnari consortioque Christiani nominis ab arbitris illis, si Deo placet, et custodibus ecclesiasticae unitatis nolint excludi.

Istud igitur arbitrium, istam custodiam unitatis ecclesiae, cujus speciem primi commenti fuerant, vel summam principalitatem, ut Irenaei verbo utar, Presbyteriani et Chiliastae ecclesiae Romanae ultro detulerunt, ut eadem urbs domina rerum ut humanarum, sic divinarum existeret, spe quidem praesumta fore, ut ipsorum disciplina, hierarchiae nimirum officiosissima, ceteris omnibus praeferretur opulentiaque Romana mercedem maximam ipsis penderet. Verum enim vero jam Eleutherus, episcopus Romanus annis 171—192, ad quem et Hegesippus et Irenaeus (Euseb. 5: 3, 4) sese applicuerant, hoc sibi sumsit, ut Montanistarum, quorum furori ecclesiae Asianae occurrere coeperant, patrocinium susciperet. Victor autem, qui Eleuthero successit, primus omnium coepit, ἀπόντας, φιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, ἀποκηρύττειν τῆς κοινωνίας, quod quidem majores omnes et ipsi apostoli

non modo acceperant a Christo, sed etiam alios idem suo jure docuerant*) (Euseb. 5: 28. Clem. Recognitt. 3: 3. Ho-

*) Theodotiani contenderunt eam quam ipsi profitebantur sententiam: Jesum hominem ex hominibus natum esse, τὰς μὲν προτέρας ἅπασας καὶ αὐτὰς τὰς ἀποστόλους παρωληφέναι τε καὶ διδιδαχέναι ταῦτα, καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν τῷ κηρύγματος μέχρι τῶν Βίκτορος χρόνων — ἀπὸ δὲ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ζεφυρίνου παρακεχαράχθαι τὴν ἀλήθειαν, initio seculi tertii. Adversarii contra dixerunt: „Hoc probabile videri posset, nisi refragarentur primum scripta divina" (scilicet ab Justino, Irenaeo, Tertulliano in sui commenti gratiam detorta invitis omnibus et orationis et rationis legibus), deinde fratrum quorundam scripta Victore antiquiorum, Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, Irenai, Melitonis. „Sed Justinus, Miltiades, Irenaeus, Melito, necnon Tatianus, Justini discipulus, unius familiae fuerunt, Presbyteriani, Chiliastae. Clementem autem quem laudaverint auctorem, ambiguum est. Ceterum, etiam si Clemens Alex. (Paedag. 1: 2) et Tatianus (adv. Graecos 5) τὸν λόγον Christum divinant, non tamen cum Chiliastis Christo τὸ κατὰ σάρκα, quem ex Israelitis esse Paulus docet, deitatem tribuunt. Illa contemplatio est mystica, haec autem Chiliastarum historicam se esse et haberi vult." Confer. Clem. Homil. 3: 20 et 16: 15, 16. Ceterum Tertullianus ipse fatetur, dogma de filio Dei Deo suis temporibus novum fuisse et insolens plebi Christianorum itaque Theodotianis, quibuscum ineunte seculo tertio quum floruerit, idoneum testem se praebet, duobus primis seculis ipsorum persuasionem, qua Jesum Deum esse negabant, ecclesiasticam fuisse (adv. Prax. 3): „Simplices quique, inquit, ne dixerim imprudentes et idiotae, quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus Diis — ad unicum et verum transfert — expavescunt ad — numerum — trinitatis — Itaque duos et tres jam jactitant a nobis praedicari." Utris, jam quaesumus, initio tertii seculi, ecclesiam constitisse putandum est? Nostrisne, quos Tertullianus dicit, an simplicibus, quae major semper credentium pars est. Chrysostomus autem (prooemio Homil. in Acta) fatetur, nec Petrum nec Paulum Deitatem Christi docuisse.

Ebionaei, qui Jesum hominem ex hominibus partum esse crediderunt, Spiritum, quo perfusus extiterit Christus, ab aeterno fuisse persuasum habebant (Vid. fragmenta evangelii secundum Hebraeos); atque tum, quum Deus Jesum spiritu ac virtute inauguraverit, hoc divini spiritus munere patrem coelestem eum generasse (id quod Justinus ipse docet. Dial. 88). Τὸν λόγον au-

mil: 16: 15, 16.). Atque ob differentiam temporis in celebrando Paschate ab ritu Romano *ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα τοῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας ἀποτέμνειν, ὡς ἑτεροδοξούσας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως* conatus est idem *καὶ ἐγκλίτευσέ γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἅρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύξας ἀδελφούς*. Euseb. H. E. 5: 24. Sed nondum opinio principalitatis illius tantum invaluerat per ecclesias Christianas, ut serviliter imperata facerent, ac Nicaena demum synodo pervicit Hierarchia Romana, ut Quartodecimani haereseos nota inurerentur. Haud igitur mirum, quod Presbyteriani et Chiliastae Justinus, Irenaeus, Tertullianus et alii hujus generis inter Patres ecclesiae Catholicae primas tenent, Hierarchiae nimirum primi auctores et actores; *τῶν ἀντιπάλων* contra tantum non omnia sint e medio sublata posteritatique surrepta.

---

tem, rationem, ante mundi constitutionem, in Deo fuisse, quae ratio ipsius sensus sit; rationalem Deum ante primordium rerum Tertullianus adv. Prax. 5. profitetur. Unde sequitur, ut ὁ λόγος pariter ac Deus sit ἀγέννητος, nisi forte quis arbitretur, antequam ὁ λόγος natus fuerit, sensu Deum caruisse atque vacuum sensu sensum sibi procreasse. Quare Evangelista: *Θεὸς ἦν ὁ λόγος*, non *ἐγένετο*, qui idem: *σὰρξ* (ergo Jesus, ut homo, *κεκοινωνηκὼς σαρκὸς καὶ αἵματος παρὰ τοῖς τῆς σαρκὸς αὐτῷ πατράσιν*) *ἐγένετο ὁ λόγος*, hoc est, ut Apol, 2: 5 Justinus ait, *λογικὸς τὸ ὅλον*, non *ἦν*, inquit, sed *ἐγένετο παρὰ πατρὸς τῶν πνευμάτων*, itaque *γενόμενος τὸ ὅλον λογικὸς*, sive *τελειωθεὶς ὁ Χριστὸς γέγονεν Ἰησοῦς*. Haud aliter itaque Ebionaei Theodotianique discreverunt quam Paulus. Christum, *τὸν κατὰ σάρκα*, hominis filium, nomine Jesum, et *τὸν κατὰ πνεῦμα* Dei filium nomine Christum. Jesum autem factum esse Christum quod nomen dignitatis est ac potestatis, non cum ea dignitate natum, docemur Act. 2: 36. Hebr. 5: 9. Phil. 2: 9. Cor. 2, 5: 16; illum Jesum femina natum, hunc Christum e spiritu Rom. 1: 3, 4. 9: 5. Quod contra Presbyteriani voluerunt filium hominis a Deo procreatum, filium Dei a mortali muliere partum; humanae naturae feminam *θεοτόκον* esse, Deum *βροτοτόκον*, sacrarum litterarum integritati non magis quam sensui communi repugnanter. Ceterum animadvertendum est, hujus dogmatis patronos vetustiorem auctoritatem non reperisse quam Justini post medium seculi secundi exorti; eumque virum ecclesiasticum fuisse merito negamus.

Hoc omnino constat, ante Hegesippum, Justinum, Irenaeum nullos fuisse αἱρεσιποιούς, id est qui ceteras Christiani nominis varietates praeter suam capite, ut ita loquar, deminuerent earumque ecclesiarum, quas apostolicas decernere placebat, pace et communione privatas esse vellent (Tertull. de Praescr. 32). Justinus (Dial. 80): „Si in nonnullos incidistis, qui Christiani quidem vocantur, qui tamen ἀνοικοδομηθῆναι τὸν τόπον Ἱερουσαλὴμ καὶ συναχθήσεσθαι τὸν λαὸν τῶν Ἰουδαίων καὶ εὐφρανθῆναι σὺν τῷ Χριστῷ ἅμα τοῖς πατριάρχαις καὶ τοῖς προφήταις καὶ τοῖς ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου (Judaeorum) γένους ἢ καὶ τῶν προσηλύτων γενομένων, πρὶν ἐλθεῖν ὑμῶν τὸν Χριστὸν, non profitentur adeoque elevare student Deum Abrahami, Isaaci, Jacobi, *) qui etiam negant esse νεκρῶν ἀνάστασιν, sed statim, quo expirent momento, animos piorum suscipi in coelum **), eos nolite existimare Christianos.“ Similiter Irenacus 5: 31. Hi Patres igitur, et quocum consentiunt, Hegesippus Christiano nomine mulctant omnes, qui non sint Chiliastae, qui Deum et patrem Jesu Christi non magis Hierosolymis quam in monte Garizim, sed ubivis terrarum similiter adorandum agnoscant, qui credant, ut primum corpus terrenum resolutum fuerit, supremo hujus vitae die animos τῶν πιστευσάντων non terrenos ferri sursum in coelum, mortis ac sepulchri prorsus immunes, ita ut ne ad horam quidem re et veritate sint νεκροὶ (Marc. 12: 26. Jo. 5: 24. 11: 25. 14: 2, 3. 6: 40); hos cunctos illi primi ἀντὶ Χρι-

*) Id est, qui talem qualem Moses adumbravit, Israelis Jehovam, et quem Jesus ἐδηγήσατο ἕνα θεὸν, cujus ipse ἕνα μεσίτην se gessit, unum eundemque esse negant.

**) Justinus nullam νεκρῶν ἀνάστασιν esse voluit quin ea sit σαρκὸς; quasi ἀνάληψις εἰς οὐρανὸν non dici haberique νεκρῶν ἀνάστασις optimo jure possit. Confer. Jo. 6: 39. 14: 2, 3. 12: 26. Si quidem ἀνιστάναι est efficere, ut stet aliquis, non cadat, ut permaneat, non intereat; ἀνάστασις ergo sustentatio, elevatio in altiorem locum, non restitutio in pristinam conditionem; quam notionem Zuinglius ex Hebraico usu verbi קוּם pro sua solertia eruit primus.

cę judicium agentes ex ecclesia regnoque Dei exsulare jubent. Carnis salus (Iren. 1: 19. 4. praefat. 5: 2), adventus secundus Christi in eadem carne, qua passus est (3: 18), et alia ejusmodi sunt Schibbolet hujus factionis, cui exordium discidiorum bellorumque intestinorum praeprimis acceptum refert orbis Christianus.

Ceterum celandum non est, ad summum eorum magistrum Joannem Presbyterum hanc pestem referendam esse, qui primus Antichristum esse pronuntiavit *τὸν μὴ ὁμολογοῦντα Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον* *) *ἐν σαρκὶ* et jussit, si quis hoc dogma non profiteatur *μὴ λαμβάνειν αὐτὸν εἰς οἰκίαν καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγειν*; (Vid. prior Presbyteri epistola), qui *φαγεῖν τὴν εἰδωλόθυτα*, quod Paulus (Cor. 1, 10: 25—27) *τοῖς ἔχουσι γνῶσιν* permisit, crimini maximo duxit (Apocal. 2: 15, 20). Ex quo Justinus (Dial. 35), quum Trypho diceret, multos esse *τῶν τὸν Ἰησοῦν ὁμολογούντων*, qui idolothytis vescantur

*) Probe animadvertendum Presbyterum non *ἐληλυθότα* scripsisse, sed *ἐρχόμενον*, venturum, ita ut dogma de secundo adventu Christi in carne, quod Irenaeus, quem modo laudavimus, a Presbytero didicit, criterium Antichristi habeatur. Quasi Christus redux in carne non rursus *περικείμενος ἀσθένειαν* veniret, rursus *παθητὸς*, rursus *τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν* objectus, rursus *πειραζόμενος καὶ μανθάνων ἀφ' ὧν ἔδει παθεῖν τὴν ὑπακοήν*, quam obedientiam demum perdoctus *τελειωθεὶς*, *χωρὶς ἁμαρτίας* evaderet, rursus ergo *τῇ ἁμαρτίᾳ ἀποθανόμενος*, rursus fato illo (Hebr. 9: 27) obnoxius. Quod contra Apostoli declarant, Christum haec omnia *ἐφάπαξ* tolerasse, suisque autem secundo conspectum iri *ἐκ δόξῃ αὐτὸ χωρὶς ἁμαρτίας*, non in terris, sed *ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον*. *Ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας*, *ἐν ἀσθενείᾳ* et *ἐν δόξῃ χωρὶς ἁμαρτίας*, *ἐν δυνάμει* mutuo sese tollunt. R. 8: 3. Heb. 5: 2. Cor. 1, 15: 43. 2, 13: 4. Pet. 1, 3: 18, 22. 4: 13. M. 16: 27. 24: 30. — Heb. 9: 28. *ἐκ δευτέρου ὀφθήσεται*, sicut *ὤφθη τοῖς καθαροῖς τῇ καρδίᾳ θεὸν*, *τὸν πατέρα*, *καθὼς ἐστί*, cernetur mentis acie, non corporis oculis, *ἐν τῷ πνεύματι*, *ἐν ᾧ ἐζωοποιήθη καὶ ἐπορεύθη εἰς τὸν οὐρανὸν*, non *ἐν σαρκὶ*, *ἐν ᾗ ἐθανατώθη*. Hoc mente concipere Presbyteriani, quos Tertullianus Spiritales vocat, nullo modo intelligebant, et intelligentes damnabant.

et nihil ex hoc laedi se dicant, in hunc modum respondit. *τούτων δὲ νῦν κοινωνοῦμεν οἱ γνωρίζοντες ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς καὶ ἀδίκους καὶ ἀνόμους αὐτοὺς ὑπάρχοντας, καὶ ἀντὶ τοῦ Ἰησοῦν σέβειν, ὀνόματι μόνον ὁμολογεῖν* etc. Idem Presbyter Ebionaeos damnavit, qui Jesum quidem a Deo Christum ejus factum esse credebant, *ἀρχιερέα* (Act. 2: 36. Hebr. 3: 1, 2); at vero Jesum, *ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον, ἐληλυθότα ἐν σαρκὶ* non *ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ* fuisse Christum, sed *κατὰ προκοπὴν ἤθους αὐτὸ μόνον δεδικαιωμένον καὶ ἐκλογῇ* (non *φύσει*) *γενόμενον ἐκ τὸν Χριστόν* (Justin. Dial. 48. Euseb. 3: 27). Negabant igitur Χριστὸν (quod muneris ac majestatis est nomen, non *ἀνθρώπου τινὸς ψιλοῦ*) *ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα*, credentes, *ἐληλυθότα ἐν πνεύματι, δεδικαιωμένον ἐν πνεύματι, ὡρισμένον υἱὸν θεοῦ κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης* (non *κατὰ σάρκα*), *τὸν Ἰησοῦν μαθόντα τὴν ὑπακοὴν καὶ διὰ παθημάτων τελειωθέντα γενέσθαι τὸν ἁγιάζοντα, αἴτιον σωτηρίας αἰωνίου*, i. e. Χριστόν. Tim. 1, 1, 3: 16. Rom. 1: 4. Hebr. 5: 8, 4. 2: 10, 17). Eos igitur, qui ita docerent, non *ἐκ τοῦ θεοῦ* esse, hoc dogma *τοῦ Ἀντιχρίστου* esse, Presbyter ejusque sectatores censebant. Nam locum primae epistolae Joannis 4: 1—7. cum aliis polemicis ejusdem epistolae a Presbytero intertextum esse, persuasum habemus.

Posito, unitatem ecclesiae non tantum in eis, quae ad religionem et pietatem sunt necessaria, sed in dogmatis dubiis, ad salutem pertinere eamque unitatem inde ab eo tempore, quo ultimus eorum, qui Dominum suis oculis viderint, expirasse, tum sane aliae personae in hac terra degentes ac florentes circumspiciendae erant, quae unitatem ecclesiae universam conservarent ac vindicarent; eamque Presbyteriani episcoporum esse volebant, sed in iis tantum ecclesiis, quarum annales ordinem episcoporum ostendant ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et an-

recessorem: hujusmodi ecclesias heredes esse apostolorum.“ — „Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum et verum quod sit prius *) traditum; id autem extraneum et falsum quod sit posterius immissum. Ea sententia autem permanebit adversus posteriores quoque haereses, quibus nulla constantia et conscientia concedit ad defendendam sibi veritatem.“ (Iren. 4: 43. Tertull. de Praescript. 31, 32. et alii). Jam suo arbitrio hunc honorem Apostolicarum ecclesiarum in metropoles provinciarum deferebant, in Romam maxime omnium, ut caput orbis Romani. Nam quotam quamque apostolicarum ecclesiarum ab Irenaeo ac Tertulliano nominatam reperimus? Harum urbium episcopis deferebant principatum ac potestatem unitatem ecclesiae tuendi ac vindicandi omnesque a pace et communione excludendi, quorum opiniones ac ritus dominis fidei parum arriderent. Quid mirum, si auctores et actores unitatis hunc in modum constituendae apud episcopos, quos, ut Hegesippus ambire solebant, praecipuam gratiam inierint, suamque doctrinam, quae talem majestatem tribueret episcopis, facillime approbaverint? Plenae sunt Ignatii epistolae hujusmodi dictis: „Quodcunque episcopus probaverit, hoc est Deo bene placitum.“ — „Bene habet Deum et episcopum respicere. Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo quid agit, Diabolo praestat obsequium.“ Ad Smyrn. 8. 9. „Presbyterio subditi sitis, ut apostolis Jesu Christi. — Cuncti simul reverentur Diaconos, ut Jesum Christum et episcopum, ut Patrem.“ Ad Tral. 2, 3. Haud secus ille Panegyricus (Euseb. H. E. 10: 4): „In episcopo ἴσως αὐτὸς ὅλος ἐγκάθηται Χριστός.“ Quantum obligabantur episcopi Romani talibus verbis, cujusmodi apud Iren. 2: 3. leguntur: „Ad Romanam ecclesiam, maximam et antiquissimam et omnibus cognitam, a gloriosis-

*) Jam specimen modo cepimus artis, qua prius traditum esse aliquod dogma probatum iverint Presbyteriani.

simis duobus apostolis Petro et Paulo fundatam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper conservata est ea quae est ab apostolis traditio.“ Interim magnopere dolendum est, quod ipse Paulus testatur ecclesiam Romanam ortam esse, antequam ipse Romam venerit, idemque neque in epistola ad Romanos neque in litteris Romae scriptis ullam syllabam consignarit, unde Petrum ibi unquam fuisse suspicari liceat. Legendae autem, Hegesippo certe non priores, tum fabulositate futilissima tum quod sibi manifesto contradicunt ac ratione temporum secum conciliari minime possunt, Petrumque faciunt non martyrem veritatis, non ὡς Χριστιανὸν, sed ὡς κακοποιὸν poenam luisse, sese invicem jugulant. Deinde jam Irenaeus ac Tertullianus auctoritatem ecclesiae Romanae Romanorumque episcoporum, quum ipsis ea parum conveniret, in causa Montanistarum atque in controversia de Paschate, ipsi rursus detrectarunt. Quo tandem loco essemus, si veri falsique discrimen in rebus divinis ex argumentis a prioritate historicis, ut ita loquar, apta et suspensa esset, quum historiam ecclesiasticam supra medium seculi secundi nullam habeamus, quam primam periodum incredibilis fabulae et legendae absurdissimae obsitam habent, certis vel probabilibus rerum monumentis fere vacuam.

Nos certe fugit, qui falsam illam opinionem unionis ecclesiasticae principatu quodam humano per universum orbem stabiliendae, inde hierarchia et pontificatus demque Romanus evasit, ante Hegesippum historicis, si Deo placet, rationibus comprobaverit. Sub idem fere tempus ad hujusmodi unionem obtinendam foedus quoddam factum videtur Polycarpi, ni fallor, molimine, qui circa 157 convenit Anicetum episcopum Romanum, sub quo eodem Hegesippus Romam sese contulisse testatur, unus fortasse de Polycarpi hoc in negotio legatis vel sociis, pariter ut Irenaeus. Nec multo post ecclesia-

rum hoc foedere junctarum societas ecclesia catholica nominari coepta est; sed etiam singulae ecclesiae in hanc societatem adsumtae, quippe quum in epistola illa ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi hic loquendi usus reperiatur.

Dominationem ergo quandam Christiani nominis commenti sunt in agnatis Christi hereditariam, unitatis et orthodoxiae custodem, Hierosolymis usque ad suam fere aetatem perennem, unde sua dogmata permanasse Presbyteriani jactarent. Quum vero hanc auctoritatem nihil morantes ecclesiae per Asiam maximam partem Paulinae fanatico furore per concilia (Euseb. 5: 16) suis interdicerent, ut ne Christianum nomen detrimentum inde caperet et quae jure plectebantur peccata Presbyterianorum plus minus fanaticorum Christianis generatim imputarentur, communionemque iis renuntiarent: tum Romanorum episcoporum favorem ambire tutelamque implorare coeperunt per Irenaeum, Tertullianum, Hegesippum. Jam vero haud secus ut olim, quum seditiosi homines exterarum civitatum, novis in rebus quas moliti erant occumbentes, auxilio vocarunt, veteres Romanos semper paratos opitulari vel iniquissimas ob causas, dummodo arriperent occasionem rebus aliorum populorum sese immiscendi et civitates ac regna circa sub suum imperium ditionemque subjungendi: sic episcopis Romanis principatus auctoritatis a Presbyterianis hunc in modum delatus arridebat. Principio quidem virorum ecclesiasticorum eruditissimus et peritissimus quisque, ut Cajus presbyter, ejusque similes, quos Psychicos Tertullianus contumeliose appellat, refragabantur, ecclesia sua indignum rati cum hominibus male sanis, vanis, turbulentis rem habere, Eleutherumque tunc episcopum Romanum, agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae, Maximillae et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem (id est, fanaticis ut grassandi licentiam darent, praescribentem) — coëgerunt et litteras pacis revocare jam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare." Tertull. adv.

Prax. cap. 1. Euseb. H. E. 5: 3. ult. cum animadversione Valesii. Veruntamen subinde episcopi Romani magis magisque callide et feliciter hanc prudentiam politicam exercebant, donec fastigium pontificale attingerent. Hinc venit, ut controversorum dogmatum vel rituum semper illud approbaretur et ratum fieret episcopis Romanis, cujus auctores et actores ad Romanos primi confugissent, aut quod per se Romanis opibus augendis et amplificandis utilius videretur. His principiis catholicae doctrinae et disciplinae sanctitatem veritatemque justissime licet metiri. Primas autem scintillas fomiti insperserunt Hegesippus, Irenaeus, Presbyteriani denique, almam Evangelii simplicitatem, quoad ejus fieri poterat, fermento Pharisaico subacturi, ita ut Hierarchia Judaica et Romana Politica consociarentur.

Sex vel septem sectas, quas Hegesippus notat, Christiani nominis accuratius cognoscere quibus lubet, historias dogmatum evolvant! In eo certe similes inter sese videntur, quod omnes a partibus Hegesippi alienae et aversae fuerunt. Nam minime judaizantes doctrinam praecipue tum Paulinam, tum Joanneam excolebant. Valentiniani ex. c. eo quod est secundum Joannem evangelio plenissime utebantur, Irenaeo teste; Marcionitae epistolis Pauli et evangelio secundum Lucam; alii evangelio secundum Marcum, in quo nihil traditur de generatione Jesu praeter communem legem naturae. Haec autem scripta non canonica habebant, id est non ejus recensionis, quam auctores canonis adornarunt, iidem, ni fallor, a quibus ecclesiae catholicae fundamenta sunt jacta. Jis vero Joannea et Paulina ὄντα καὶ ἴδια fuisse Presbyterianis adscita atque arcessita, ex eo liquet, quod multa, quae illi recte perceperant, hi perperam intellecta vix ac ne vix quidem ad sua placita contorquere poterant; quia adeo critice interna istos falsorum arguit ut per suppositia Joannem et Paulum docuisse probent, quae a scriptorum mente et sententia prorsus aliena sunt, ex. c. Jo. 4: 22. 5: 28, 29.

Thess. 1, 4: 13—18. 2, 2: 1—12. Cor. 1, 15: 51, 52. 7: 25—60. Licentius adhuc egerunt cum scriptis ab origine Hebraicis, quae Galilaeorum. Nazarenorum sive Ebionaeorum propria fuerant. Evangelium enim, quod secundum Matthaeum dicitur, canonicum non una certe adulterandi opera nimium quantum differt a nativa simplicitate evangelii Hebraici. Errores Gnosticorum (nam communi hoc nomine haereses ab Hegesippo commemoratae comprehendi possunt) e duobus fontibus manasse videntur: primum, quod facile ignoscendum, apostolos interdum non satis assecuti, quae *κατ' ἄνθρωπον*, ex aliorum mente, dixerant vel sic acceperunt ea, quasi suas proprias notiones ac sententias scriptores prodidissent. Ex. c. quum disertissime dicit apostolus, Jesum Christum unum *μεσίτην θεῦ*, *μόνα ἀληθινῦ*, quem Judaei pariter cum reliquo *κόσμῳ* ante Christum ignoraverint, inde collegerunt, alium a Deo et patre Christi Deum illum esse, per sacra volumina Hebraeorum celebratum; conditorem Veteris Testamenti, cujus *μεσίτης* Moses perhibeatur; alium rursus eum, quem Apostolus *τὸν θεὸν τῦ αἰῶνος τύτα* vocaverit (Cor. 2, 4: 4. Eph. 2: 2). Qua ratione Marcion eo devenit, ut Deum bonum, Deum malum ac Deum medium sive justum, demiurgum, discerneret in iisque cogitatione persequendis multus esset, non intelligens, Paulo unum nonnisi Deum fuisse *τὸν ὄντα*; ergo si quem alium dicat, *λεγόμενον* duntaxat intellectum velle, *δοκοῦντα*, *μὴ φύσει ὄντα*, commentitium, opinatum. Vid. Cor. 1, 8: 4—6, quem locum etiam Origenes male intellexit, neque Beza et Clericus penitus perceperunt. Valentinianis, dum praefationem evangelistae Joannis argutius commentantur, id accidisse videmus, ut complures hypostases mente et cogitatione conciperent, quos aeonas vocabant, atque in eorum conjugiis et propaginibus nullum fere modum ingenio ponerent. Sed Catholici, quamvis una hypostasi *τῦ λόγυ* contenti, nocentius dogma ecclesiae obtruserunt, dum quod essentiale attributum sive prima Dei pro-

prietas est, qua demta Deus nullus foret, a Deo sejungerent, alterumque Deum ponerent, parem et aequalem; non item Gnostici suos aeonas.

Deinde ex Orientali philosophia praesertim Gnostici placita multa ac vitae instituta Christi religioni admiscuerunt, quibus simplicitas, veritas, sinceritas adeoque divinitas aeque ac humanitas ejus multum detrimenti cepit.

Ebionaei hac in re fuerunt Gnosticis affines, quod Jesum et Christum discernentes hunc ἐκ τῦ πνεύματος γεγεννημένον esse volebant, ἐξ ἀρανῦ, illum autem ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γεγεννημένον, ἐκ τῆς σαρκός. Iidem pariter et Gnostici libris V. T. parum auctoritatis tribuebant, ita ut per sese nihil valerent, sed in tantum probabiles essent, in quantum congruerent cum doctrina et praeceptione unius veri prophetae Christi.

O si Catholici contra e Mosaica religione et Judaica traditione Pharisaeorumque superstitione religionem et cultum Christiani nominis parcius contaminassent vel certe adversariorum peccatis non sua cumulassent! Nam et coelibatus et ἐγκράτεια illa in matrimonio justo quod λιμὴν σωφροσύνης *) vocatur a Chrysostomo, et jejunia, quae si non plebi, at clericis certe injungebant hominibusque ad sanctitatem adspirantibus, eremitarum monachorumque honor, haeresin Encratitarum, dogma autem de peccato originali et quae inde sequuntur, damnabiles Manichaeorum errores nimis manifesto referunt. Quid quod etiam Constantini tempestate ac deinceps per-

*) Adeoque ἁγιασμὸν τί φησι; τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν κοσμιότητα τὴν ἐν γάμῳ. Chrysost. Homil. 30. in Epist. ad Hebr. Idem Homil. 30. in Jo. Ἁγιασμόν, inquit, Apostolus vocat τὴν σωφροσύνην, ὅτε ἔκαστον ἀρκεῖσθαι τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ καὶ μὴ περιβλέπειν ἑτέρᾳ. Cfr. Thess. 1, 4: 4, ubi Chrysostomus certe τὸ σκεῦος interpretatur, sicut Wetstenius ad h. l. Pet. 1, 4: 5. ἁγίαι γυναῖκες haudquaquam dicuntur αἱ ἄγαμοι, sed ὕπανδροι. Ergo falsum illud et Antipaulinum Cor. 1, 7: 32 — 34. virginem nonnisi esse ἁγίαν καὶ σώματι καὶ πνεύματι, coelibibus cordi esse divina, non curare maritatam τὰ τῦ Κυρίυ etc.

multa ethnica in cultum Catholicorum plurima irrepsisse historiae monimenta testantur. Ut maximum omnium damnorum taceam, libertatem, quam Christus pepererat, hierarchiae tyrannide populis Christianis ereptam. Unio igitur illa errores et vitia non prohibuit, sed semel insinuata sanxit, auxit et ab expurgatione si qua tentabatur defendit, praesertim hierarchiae lucrosa.

Deus si unionem ecclesiae voluisset, qualem Presbyteriani moliebantur, eadem ratione perrexisset, qua usque ad aevum Trajani res tam feliciter cessit, si nostri Hegesippi fabula vera. Quemadmodum populus Israelitarum *ἐπὶ τῆς λευιτικῆς ἱερωσύνης νενομόθητο*, ita ut *κατὰ τάξιν Ἀαρὼν, κατὰ τὸν νόμον ἐντολῆς σαρκινῆς* per annos 1636 pontifices 83 deinceps haberet: sic providendum erat orbi Christiano, ut ecclesia, dum stabit, per continuas successiones pontifices adipisceretur *κατὰ τὴν τάξιν Δαβὶδ, ἐκ φυλῆς Ἰούδα*, cognatos Jesu Christi *κατὰ σάρκα*, quorum imperio auspicioque unitas ecclesiae integra inoolumisque servaretur. Sed eheu! hoc pontificium genus et unitas ecclesiae ultra nepotes Judae, fratris Jesu, aetatem non tulit.

## O.

## Ibidem 3: 32.

*Μετὰ Νέρωνα καὶ Δομετιανὸν, κατὰ τοῦτον ἕ νῦν τὰς χρόνους ἐξετάζομεν, μερικῶς καὶ κατὰ πόλεις ἐξ ἐπαναστάσεως δήμων, τὸν καθ' ἡμῶν κατέχει λόγος ἀνακινηθῆναι διωγμόν, ἐν ᾧ Συμεῶνα τὸν τῦ Κλωπᾶ ὃν δεύτερον καταςῆναι τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας ἐπίσκοπον ἐδηλώσαμεν, μαρτυρίῳ τὸν βίον ἀναλῦσαι παρειλήφαμεν. Καὶ τότε μάρτυς αὐτὸς ἐκεῖνος ἕ διαφόροις ἤδη πρότερον ἐχρησάμεθα φωναῖς, Ἡγήσιππος· ὃς δὴ περί τινων γῆν αἱρετικῶν ἱστορῶν ἐπιφέρει, δηλῶν ὡς ἄρα ὑπὸ τούτων κατὰ τόνδε τὸν χρόνον ὑπομείνας κατηγορίαν πολυτρόπως ὁ δηλούμε-*

νος, ὡς ἂν χριστιανὸς, ἐπὶ πλείσαις αἰκισθεὶς ἡμέραις αὐτόν τε τὸν δικαστὴν καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν εἰς τὰ μέγιστα κατεπλήξας τῷ τῆ Κυρίῳ πάθει παραπλήσιον τέλος ἀπηνέγκατο. Οὐδὲν δὲ οἷον καὶ τῆ συγγραφέως ἐπακοῦσαι, αὐτὰ δὴ ταῦτα κατὰ λέξιν ὧδέ πως ἰσορροῦντος·

Ἀπὸ τούτων δηλαδὴ τῶν αἱρετικῶν κατηγοροῦσί τινες Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ, ὡς ὄντος ἀπὸ Δαβὶδ καὶ χριστιανοῦ. Καὶ ἔτως μαρτυρεῖ ἐτῶν ὢν ἑκατὸν εἴκοσιν ἐπὶ Τραϊανοῦ καίσαρος καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ. Φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς, ὡς ἄρα καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ζητουμένων τότε τῶν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς Ἰουδαίων φυλῆς κἀκεῖνος ἂν ἐξαυτῆς ὄντας ἁλῶναι συνέβη.

Λογισμῷ δ' ἂν καὶ τὸν Συμεῶνα τῶν αὐτοπτῶν καὶ αὐτηκόων εἶποι ἄν τις γεγονέναι τοῦ Κυρίου, τεκμηρίῳ τῷ μήκει τοῦ χρόνου τῆς αὐτοῦ ζωῆς χρώμενος, καὶ τῷ μνημονεύειν τὴν τῶν εὐαγγελίων γραφὴν Μαρίας τῆς τοῦ Κλωπᾶ, ἣ γεγονέναι αὐτὸν καὶ πρότερον ὁ λόγος ἐδήλωσεν. Ὁ δ' αὐτὸς συγγραφεὺς ἀπὸ γένους ἑνὸς τῶν φερομένων ἀδελφῶν τοῦ σωτῆρος, ᾧ ὄνομα Ἰούδας, φησὶν εἰς τὴν αὐτὴν ἐπιβιῶναι βασιλείαν μετὰ τὴν ἤδη πρότερον ἰσορροθεῖσαν αὐτῶν ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἐπὶ Δομετιανοῦ μαρτυρίαν. Γράφει δὲ ἔτως·

Ἔρχονται ἔν καὶ προηγοῦνται πάσης ἐκκλησίας ὡς μάρτυρες καὶ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου. Καὶ γενομένης εἰρήνης βαθείας ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ μένουσι μέχρι Τραϊανοῦ καίσαρος, μέχρις οὗ ὁ ἐκ θείου τοῦ Κυρίου ὁ προειρημένος Συμεὼν υἱὸς Κλωπᾶ, σὺκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων, ὡσαύτως κατηγορήθη καὶ αὐτὸς ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ ἐπὶ Ἀττικοῦ τοῦ ὑπατικοῦ, καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αἰκιζόμενος ἐμαρτύρησεν, ὡς πάντας ὑπερθαυμάζειν καὶ τὸν ὑπατικὸν, πῶς ἑκατὸν εἴκοσι τυγχάνων ἐτῶν ὑπέμεινε· καὶ ἐκελεύσθη σταυρωθῆναι.

Post Neronem ac Domitianum, sub eo cujus tempora nunc exploramus Trajano, particulatim et oppidatim ex civitatum tumultu accepimus motam esse nostrorum exagitationem [1]), in qua Symeonem Clopae, quem secundum Hierosolymitanae ecclesiae episcopum docuimus, martyrio vi-

tam posuisse memoria extat. Hujus rei testis ipse ille, cujus diversis jam superius usi sumus vocibus, Hegesippus, qui de quibusdam Haereticis mentione facta subjungit narrationem, ut ab iis circa hoc tempus accusatus multis modis is quem diximus, ut Christianus, per dies plurimos excruciatus, quum ipsum judicem et assessores maxima admiratione percussisset, similem Domini finem supplicio reportaverit. Nihil autem obest, quo minus etiam scriptorem audiamus, ea ipsa disertis verbis huno in modum fere narrantem:

De his videlicet haereticis accusant quidam Symeonem Clopae, ut oriundum a Davide et Christianum [2]), et sic martyrium obit annorum centum viginti [3]) sub Trajano Caesare et consulari Attico. Memorat autem idem auctor evenisse, ut etiam accusatores ejus, dum eo tempore inquirerentur in homines de regia [4]) Judaeorum tribu, condemnarentur."

Cum ratione autem etiam Symeonem ex eorum numero fuisse quis dixerit, qui Dominum suis ipsi oculis spectaverint, suis auribus audierint, documento utens longitudine spatii ejus vitae; et mentione quam evangelia faciunt de Maria Clopae [5]), cujus natum eum fuisse etiam superius enarravimus. Idem auctor alios quoque de stirpe unius eorum, qui ferebantur fratres Domini, nomine Judae, dicit in idem Trajani imperium produxisse vitam, postquam suae erga Christum fidei testimonium reddidissent supra relatum. Scribit autem in hunc modum:

„Eunt igitur et praesunt omni ecclesiae, ut martyres ac de genere Domini, et alta pace in omni ecclesia facta manent ad Trajanum Caesarem, quousque ille a patruo Domini quem supra diximus Symeon filius Clopae, delatus ab haeresibus, similiter in capitis periculum venit eandem ob causam sub Attico consulari, et in multos dies quum flagellaretur, testimonium perhibuit [6]), ut cuncti supra modum admirarentur et ipse Consularis, quomodo vir centum viginti annorum sustineret, et jussus est in crucem agi."

¹) Operae pretium esset cognoscere, quam late patuerit illa de nomine Christiano quaestio, imperante Trajano. In Asia nempe propria exercebatur, ab Arrio Antonino, incertum quo. Ambigitur, de illone quem Nervae amicissimum dicit Aurelius Victor, avo paterno Arrii Antonini, cognomine Pii. qui Adriano successit imperatori, an de hoc Pio, an de alio quodam, qui sub Antonino Commodo floruisse videtur: nam hos tres Antoninos constat Asiam gubernasse. Cum Gibbone alterum cogitandum esse ducimus. „Arrius Antoninus in Asia quum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtulerunt, quum ille paucis duci jussis reliquis ait: *Ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὸς ἢ βρόχους ἔχετε.*" Tertullian, ad Scap. 5. Sine dubio Epictetus, qui circa 138 obiit, notitiam eorum, quos Galilaeos vocat (Vid. Epict. Arrian. 3: 7), ex hoc tempore collegit, necnon Lucianus, item sub Adriano et Antoninis florens; et Marcus Antonius Philosophus (11: 3). In confini Bithynia quoque Trajani tempore, Plinio Secundo Propraetore, Christianos impietatis reos postulatos esse, constat.

Ubinam terrarum Atticus fuerit Legatus sub Trajano, non indicavit Hegesippus; nec Fastis Consularibus ullum Atticum consignatum reperimus per annos 65—135. Veteriorem 43 annis post consulatum legatum factum esse, nemo crediderit; recentior post necem Symeonis demum consul creatus. Hinc Hegesippi Atticum parachronismi suspectum habemus.

Quantum igitur memoria extat, in Asia propria videmus terrisque confinibus, Bithynia, Phrygia, civitatum tumultus in causa fuisse, quod rectores provinciarum in Christianos inquirerent. Ejusmodi autem tumultus non temere oboriebantur, sed Christiani Ethnicos, quorum in medio habitabant, varia insolentia dictorum et factorum adeoque probris et contumeliis offenderant et irritaverant, ita ut per pacem civitatum tolerari non possent. Sacra Ethnicorum avita Deosque

populares cavillabantur et execrabantur, omniumque templorum vaticinabantur eversiones, cum δημόταις ethnicis non magis convictum aliaque hujusmodi communia habere volebant quam Judaei, omnibusque artibus feminas, pueros, famulos in suam societatem pellectos instituebant, ut maritis uxores, liberi parentibus, dominis servi officia solita detrectarent. Legem illam, universis civibus provincialibusque orbis Romani constitutam antequam Christus natus esset, manifesto violabant, qua capite sancitum erat, ne quis carmina Sibyllina aliaque praedicta id genus haberet, circumferret. Quod contra faciebant Christianorum quidam, ex. c. Justinus Martyr, Sibyllina, Prophetas, non N. T. illos quidem, sed recens confictos, Hystaspen, et Joannis Presbyteri Apocalypsin in vulgus edendo, id est libros haud obscure conversionem rerum publicarum, excidium Romani nominis et imperii*), perniciem Caesarum, novaque omnia divinantes. Haec talia vero minime universos Christianos admisisse putandum est, sed eos tantum quos Origenes vocat Sibyllistas et ab Joanne illo, Apocalypseos auctore, Ephesino, sociisque Philippo Hierapolitano et Aristone, ni fallor Smyrnensi, profectos, in Asia Propria et circum vigentes, quorum „magistros principales Tertullianus (adv. Valentin. 5) recenset, Justinum philosophum et martyrem, Miltiadem ecclesiarum sophistam, Irenaeum, omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem, Proculum (Montanistam apud Euseb. 6: 20), virginis senectae et christianae eloquentiae dignitatem." Certum est ab iisdem partibus stetisse illa, quae Polycrates episcopus Ephesi laudat apud Eusebium (5: 24) κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγάλα στοιχεῖα, Polycarpum, episcopum Smyrnae, Thraseam Eumeniae, Sagarin Laodiceae, martyres, et Melitonem, epi-

*) Vide Sibyllina carmina, quos Christiani ἄχρηστοι illo tempore finxerant ante Joannem Apocalypticum, qui paulo cautius eandem artem exercuit. „Quid quod toto orbi et ipsi mundo cum sideri-

scopum Sardium, eunuchum *), qui inter alia de diabolo scripsit, de revelatione Joannis, de corporali Deo et catalogum librorum V. T. apud Judaeos Palaestinos canonicorum. Papias quoque adnumerandus, Hierapolitanus episcopus, Joannis auditor Presbyteri, Polycarpi socius, ex quo compertos habemus harum partium primos auctores, Joannem, qui discipulum Jesu sese ferebat, alterum ab Joanne apostolo, Zebedaei filio (Euseb. 3: 39), et Aristionem, parem ejus, Philippumque apostolum suae professionis, cum filiabus tribus prophetissis (sive Sibyllis) quarum duae cum patre Hierapoli degere solitae et ibidem mortuae sint, tertia Ephesi, ut verosimile est, amica Joannis Presbyteri. Ecce certam quandam familiam sive scholam Christiani nominis, Presbyterianam, quam discernere plurimum refert ad historiam ecclesiae dogmatumque corrigendam et emendandam. Ex hac schola profecti Chiliastae illique ulteriores Montanistae et Semimontanistae, sed etiam unionis illius, si Deo placet, et hierarchiae praesertim Romanae primi suasores, catholicae ecclesiae inventores, canonis conditores, haereticae pravitatis inquisitores, quorum dogmata vel mera vel plus minus temperata et castigata in doctrinam ecclesiasticam abierunt; ex. c. deitas Christi, quae ante Victorem certe, episcopum Romanum, anno 192, immo Tertulliani tempore, nondum in regulam fidei recepta fuit; generatio Christi secundum carnem divina; unde caro ejus justa et sancta, comesa, per digestionem et assimilationem nostra cum carne suam justitiam, sanctitatem, immortalitatem communicat, Justins qui-

---

bus suis minantur incendium, ruinam moliuntur? — Nec hae furiosa opinione contenti aniles fabulas adstruunt et adnectunt. Renasci se fernnt" (scilicet Presbyteriani, Sibyllistae, ἀναζαοιν σαρκὸς pariter cum Pharisaeis docentes). Minucius 10: 7. 11: 1.

*) Eunuchus dicitur fortasse, quomodo Tertullianus Joannem Christi vocat spadonem.

dem auctore primo, cujus haec verba: *Τὴν δὲ εὐχῆς λόγῳ τῷ παρὰ Ἰησοῦ Χριστῷ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν* (concoctionem) *τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνης τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι* (Justin. Apol. 1. 66); secundus adventus Christi in carne; resurrectio carnis etc.

Nobis quidem tam ingratum quam mirabile accidit, quod ne recentissimi quidem Historiae Ecclesiasticae cultores, Neander, Gieseler, alii, praejudicio non antiquitatis certe, sed vetustatis Romano-catholicae capti, hanc haeresin omnium capitalissimam nondum dispexerunt, penitus explorarunt ac pro jure meritoque exagitarunt. Vid. N. Annalium Theol. 1828. pag. 900 sqq.

Nulla certe sunt vestigia historica, Hadriani et Trajani tempore a magistratibus Romanis vim Christianis illatam esse hujus nominis causa in Achaja, Macedonia, Italia, Aegypto etc. illis, qui Pauli et Petri doctrinae obtemperantes tranquillam quietamque vitam agebant cum omni pietate et honestate, de novandis rebus tacentes, conjugibus ethnicis ea, quae capite 7. primae ad Cor. epistolae praecepta sunt, officia praestantes, in convictu autem sic se gerentes, ut Paulus ibidem 10: 27. suasit, in omnibus, denique negotiis quemadmodum Petrum auctorem habebant (1, 2: 11 sqq. 3: 13 sqq. 4: 15 sqq.) Confer. Rom. 12: 17. Tit. 2: 8. Col. 4: 5. Thess. 1, 4: 12. Quid mirum vel indignum, si contra facientes in crimen adducti confessique legitimas poenas luerunt, non ut Christiani, sed ut *κακοποιοί*? (Pet. 1, 4: 15, 16). Quum vero non in jus vocati ultro sese cum reis obtruderent judicibus, sese eadem lege obnoxios esse clamitantes ac simul plecti flagitantes, cujusmodi exemplum supra dedimus: quid tum, si judices minus clementes et placidi quam Arrius Antoninus, istam *παράταξιν*, ut Marci Antonini voce utar, sive Epicteti Arriani, *μανίαν*, *ἀπόνοιαν*, pessimi certe exempli, severius compescere tentabantur? Ea

certe gloriositas, qua Ignatius, episcopus Antiochiae, cum Presbyterianis consociatus, ad nauseam usque venditavit, ingenium Christi, ut ita loquar, sapientiamque Evangelicam minime sapit. Ceterum quo crimine damnatus fuerit, non liquet. Refert Joannes Malela Antiochenus, quo auctore hac in re nihil certius habemus, damnatum Ignatium, quod Trajanum convitiatus esset, optimum Romanorum imperatorem. Vid. Judae comma 8. Pet. 2, 2: 10. Ergo passus est non ut Christianus, sed ut praecepto exemploque Christi parum obsecutus Pet. 1, 3: 9, 2: 23, Cor. 1, 4: 12. — Clemens (Strom. 7: 11): „Alii, inquit, propter gloriae cupiditatem, alii, ut vitent aliud gravius supplicium, alii propter voluptates ac laetitias post mortem futuras martyrium oppetunt, pueri in fide etc.“ Exemplo sit Alexander ille apud Euseb. 5: 18, qui Eumeniae, oppido Cariae, propter latrocinia supplicium dedit, apud Montanistas tamquam Martyr celebratus.

Ubicumque prudentiores erant ecclesiarum rectores, non dubitare licet, quin omnibus modis prospexerint, ut ne sui ethnicos vel cives et accolas vel adeo magistratus prater necessitatem exacerbarent. Justinus ipse (Apol. 1: 26) alios Christianos, sua sententia haereticos, non vexari neque occidi testatur, saltem ob ipsorum dogmata. Ex quo loco manifesto cernitur, sub Trajano et Antoninis non Christianum nomen, neque opiniones ullas vel placita de rebus divinis in judicium vocata esse, sed facta, quibus Presbyteriani leges communes violassent, rei publicae et imperii statum affectassent animis hominum ad res novas excitandis, civilem concordiam et quietem turbassent adeoque domesticas necessitudines conjugum et parentum diremissent, quaestionibus illis causam et materiem suppeditasse. Inspiciatur modo quae secunda habetur apologia Justini, ubi divortium matronae ad Christianam religionem conversae maritum desertum lacessivit, ut Ptolemaeum quemdam, *διδάσκαλον τῇ γυναικὶ τῶν Χριστιανῶν μαθημάτων γενόμενον*, capitis accusaret. Ab suis

viris abalienasse matronas, ut religionis nomine officium conjugate denegarent, Legendae*) fabulantur Petrum principem apostolum proptereaque supplicio affectum esse; quo crimine, si verum fuisset, haud injuria condemnatus esset capitis. Presbyteriani autem volebant, matrimonia gentilium fideles obeuntes stupri reos esse (Tertullian ad uxor. c. 3. de cor. mil. c. 13) non ex praecepto evangelii, sed propter legem V. T. allophylorum nuptias ubique prohibentem, ex. c. Nehem. cap. 9, 10 (adv. Marc. 5: 7). Idem vetabant nuptias secundas, suadebant vel coelibatum vel continentiam in matrimonio, adeoque Tertullianus ibidem: „Christus, inquit, quum praecipit, mulierem a viro non discedere; aut si discesserit, manere innuptam" (quod posterius affictum est Christo), „repudium permisit, quod non in totum prohibuit." Ibid. 4: 34. „Si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem: non in totum prohibuit. Et quod non prohibuit in totum, (divortium) permisit."

Quis non intelligat, ex hac disciplina multas offensas et inimicitias importatas esse vitae communi ac familiari, odiumque ac taedium matrimoniorum, in quod per luxuriam illius seculi homines proni erant, supra modum adauctum.

Trajanum acerbiorem in Christianos fuisse, quam duos successores ejus, nemo crediderit. Nam Dio Cassius (70: 3): „Quum neminem, inquit, sui imperii Antoninus Pius duriter tractabat, tum tantum aberat, ut Christianos inimice tractaret, ut potius bene existimaret de iis, quamque Nerva prius et Hadrianus eorum egerant curam amplificaret." Nerva enim edixerat, ne quis servus aut libertus in causa sui domini accusator vel delator admitteretur, neve ab aliquo ali-

*) Libellum Lini de passione S. Petri spurium esse nulliusque fidei, etiam Catholici doctiores censent, Baronius, Possevinus et alii. Sed Justinum ceterosque Presbyterianos jam medio seculo secundo idoneos fuisse istiusmodi fabulis comminiscendis, nulli dubitamus.

eno in crimen majestatis adduceretur aut reus ageretur de more cultuque Judaico (Dio Cass. 68: 1). Judaeos autem et Christianos tum adhuc Romani nullo discrimine juris habebant. Vid. ibidem 37: 17. 67: 14. De Hadriano videatur Eusebius 4: 9. Suam ipsius autem mentem ac voluntatem Pius ad Plinium Secundum (Plin. epist. 10: 98) ita pronuntiavit: „in universum aliquid, quod quasi certam formam haberet, in Christianos constitui non posse; sine auctore vero propositos libellos in nullo crimine locum habere *): nam et pessimi exempli nec nostri seculi esse.“ Si verum quaerimus, magistratus Romani Christianos, quantum in ipsis erat, contra plebem Ethnicorum tum segregatione eorum exacerbatam tum a sacerdotibus instigatam potius defendisse videntur, quam ultro saeviisse in eos.

2) Nihil profecto vanius quam sub Trajano, optimo principum Romanorum, qui de regia tribu Judae superforent, requisitos et interemtos esse, quod vix ac ne vix quidem caderet in suspiciosissimum tyrannum. Ter igitur stirps Davidis ab imperatoribus Romanis extirpari jussa traditur a Vespasiano, Domitiano, Trajano (Euseb. 3: 12, 19, 32). Falsum quoque Christianum nomen per sese criminis loco fuisse.

3) Admodum largi sunt annorum nostri fabulatores. Joanni quam longum aevum tribuerunt, item Symeoni, Ignatio, Polycarpo, Pothino, episcopo Lugdunensi! hoc certe consilio, ut semetipsos *παρ' ἀνοπτῶν καὶ αὐτηκόων μαθητευθέντας* et *χειροτονηθέντας* fingant (Euseb. 3: 36. 4: 14. 5: 20, 23), suos autem adversarios vitiatores ecclesiae, qui statim ex illorum obitu virginem contaminare coepissent.

4) Non tantum ergo de stirpe Davidis, verum etiam de tribu Judae cunctos imperatores Romani extinctos volebant. Similiter apud Euseb. 3: 12. *φυλὴ* et *οἶκος*

*) „Nullo crimine.“ Sine varietate lectionis Ernestius. Nos rescripsimus necessitate sententiae: in nullo crimine.

confunduntur, quod idem obvenit in Jacobi protevangelio. — Apocal. 5: 5. Christus ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα praedicatur. Presbyteriani enim oraculum, quod in N. T. nusquam citatur Mos. 1, 49: 9, 10, in Christum contulerunt (Just. Apol. 1. 32, 54. Dial. 120). Christum adeo Judam appellari apud Mosen Justinus perhibet (ibid. 126). Presbyteriani ex hac nobilitate generis et familiae potissimum aestimasse videntur Christum, eorumque studiis evangelia infantiae et genealogias accepta referenda esse putamus. Longe aliter Paulus censebat Cor. 2, 5: 16. Tim. 1, 1: 4. Nec vero Ebionaeis genealogia Christi aut partus e mortali femina curae fuit; Israelitis propriis autem et Samaritanis Messias, Davidis filius e tribu Juda, σκάνδαλον esse debebat. Hoc igitur dogma perutile erat schismatis creandis.

5) „Clopam fratrem fuisse Josephi testatur Hegesippus." Euseb. 3: 11. Istam genealogiam cum evangelio infantiae congruere, cujus summarium extat canonico Matthaeo praefixum, facile intelligitur ex Epiphanii Haer. 78: 3, ubi hoc legitur: „Hic ipse Josephus, Cleopae frater, Jacobi filius, cognomento Pantheris. Ambo inquam illi Panthere patre nati sunt etc." Hoc autem evangelium infantiae ansam praebuisse videtur fabulae, quam confinxit seculo jam secundo *) malitia Judaeorum, hodie nunc in libello qui Toldos Jeschu inscriptus habetur extantem; id quod ex Origenis libro adversus Celsum perspicitur, vel potius ex iis, quae Celsus post medium seculi II. scripsit, eodem fere, quo Hegesippus floruit, tempore: „Josephum Pantheris ferunt, Mariae accolam, alteri cuidam desponsae, irrepsisse furtim

*) Vel primo. Nam Clemens Alex. Strom. 8: 16. „Quidam, inquit, dicunt, Mariam postquam peperisset, inspectam ab obstetrice repertam fuisse virginem;" quae fabula extat in Protevangelio Jacobi cap. 19, 20, quod, si non Hegesippus noster, aliquis ingenio simillimus, eodem fere aevo commentus esse videtur.

nocte obscura cubiculum puellae eamque imprudentem supervenisse stupro.“ Sic fabula fabulam prolicere solet.

6) Quem in finem, quaesumus, complures dies Symeonem viginti annos supra centesimum natum consularis Atticus flagellari jussit? Utrum propterea, quod suam cum Christo necessitudinem contumaciter infitiabatur? nam hoc sufficit convictum et confessum esse, dum eo tempore in homines de regia tribu nullo discrimine orthodoxos heterodoxosve inquireretur. An ut virum talem ad fidem Christo renuntiandam adigeret tormentis? an experturus, quantis doloribus et quamdiu senex annosissimus perpetiendis par esset? Nihil profecto absurdius hac fabula. Quid tandem Hegesippus egisse censendus est? Hoc primum credimus, ut homines tam credulos quam rerum omnium ignaros martyriorum monstruosis tragoediis delectaret, quemadmodum glodiatoriis ludis ac bestiariis delectari solebant. Huc pertinet, ut martyribus suis vires omnem hominis modum excedentes affingerent, quo diutius, quidquid atrocium et immanium tormentorum excogitari potest, sustinerent. Vid. martyrologium Blandinae, Sancti etc. apud Euseb. 5; 2. Polycarpi 4; 15. — Tertull. de Praescr. 2; 35. Joannes in oleum igneum demersus et nihil passus; apud Euseb. 3: 39. Barsabas veneno letifero poto nihil affectus. Quam longe isti martyres Christum post se relinquunt et vivacitate et duritie, qui *πεντήκοντα ἔτη μήπω ἔχων* intra sex, vel ut Joannes tradit, intra tres horas expiravit in cruce? — Deinde Hegesippus fanaticos sui aevi martyres exemplo Symeonis commendaturus erat; unde rursus argumentum ducimus, Hegesippum Presbyterianum fuisse.

P.

Ibidem.

*Επὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ διηγούμενος τὰ κατὰ τὸν δηλωμένον ἐπιλέγει, ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος καθαρὰ καὶ*

ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία, ἐν ἀδήλῳ που σκότει γοῦν τῶν τότε τῶν, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κάνονα τῦ σωτηρίυ κηρύγματος. Ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν ἀποςόλων χόρος διάφορον εἴληφει τῦ βίυ τέλος, παρεληλύθει τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέυ σοφίας ἐπαξιωθεισῶν κατηξιωμένων τηνικαῦτα τῆς ἀθέυ πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύςασις διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκαλῶν ἀπάτης, οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν ἀποςόλων λειπομένυ, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ, τῷ τῆς ἀληθείας κυρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν αντικηρύττειν ἐπεχείρυν.

Post haec idem auctor subjungit, usque ad illa tempora virginem puram et incorruptam mansisse ecclesiam [1]), in coecis alicubi tenebris ad illud usque momentum (anno 108) delitescentibus iis, si qui erant, qui depravare sanam regulam salubris praedicationis cogitarent. Ut autem sacer apostolorum chorus diversum vitae finem cepisset atque effluxisset illa aetas virorum, quorum aures eadem institutione divina sapientia dignata erat: tum vero impii erroris conspiratio initium sumsit per fraudem secus docentium magistrorum, qui etiam utpote nullo jam superstite Apostolorum, nudo deinceps capite, adversus praeconium veritatis falsi nominis scientiam proferre audebant."

---

[1]) Intelligentes haud opus est monere, quam inanem opinionem hoc loco severit Hegesippus *), a Clemente Strom.

*) Eodem redeunt sive ex una schola profecta sunt Irenaei verba, quae (3, 12: 6) sic habent: „Hae voces (Act. 4: 22) ecclesiae, ex qua omnis habuit ecclesia initium; hae voces metropoleos Novi Foederis civium, hae voces apostolorum, hae voces discipulorum Domini, vere perfectorum, post assumtionem Domini per spiritum consummatorum et invocantium Deum, qui fecit coelum et terram et mare, per prophetas praedicatum, et hujus etiam filium, quem unxit Deus et alium nescientium. Non enim fuit tunc Valentinus ibi neque Marcion, nec reliqui et suimet ipsorum et assentientium ipsis eversores" etc. Hoc loco non abs

7. recoctam his verbis: „Circa Hadriani imperatoris tempora exorti sunt, qui haereses excogitarent et usque ad Antoninum, natu majorem, prorogarunt aetates, quemadmodum Basilides“ etc. Quasi donec omnes ad unum discipuli Jesu decessissent vita, ecclesiae castitatem et integritatem nulla haeresis infecerit; quasi Symeonis illius, qui episcopatu ecclesiae Hierosolymitanae ad annum usque octavum secundi seculi auctoritas et potestas tanta fuerit, ut per universum orbem cunctae ecclesiae uno ejus imperio atque auspicio continerentur nullaque nec placita neque instituta praeter Symeonis arbitrium invaluerint. Quasi non jam Paulus Cor. 2, 11: 3. aliquem scierit corruptorem ecclesiae, ac pseudapostolos plures ibid. vs. 13 notos habuerit, multosque *καπηλεύοντας*, *δολοῦντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ* ibid. 2: 17. 4: 2, *μεταχρέφοντας τὸ εὐαγγέλιον* Gal. 1: 7. 2: 4. Eph. 4: 14. Phil. 3: 2, 18. Col. 2: 4. 8, 18 sqq. Tit. 1: 10 sqq. etc. Quid quod eam,

---

re erit inquirere, quando Hierosolyma ex Irenaei mente metropolis N. T. esse desierit. Annis circiter 115 et 116 Judaei Cyrenenses, deinde Aegyptici et Cyprii rebelles in Graecos Romanosque imanissime saeviebant. Quibus maxime per Lusium Quietum debellatis, et compressis huic duci praemii causa Trajanus Palaestinam provinciam decrevit; Adrianus autem, ut radicem quasi rebellionis elideret, anno 119. Hierosolymam, quam Judaei sensim recoluisse videntur a Tito eversam, patria pulsis circumcisis omnibus, Romani juris coloniam fecit nomine Aeliam Capitolinam, et quo loco templum Jehovae steterat, aliud extructum Jovi dedicavit. Tum demum ut vidit illa ecclesia Judaeorum, *τῶν περιτετμημένων*, qui tamen nihilominus omnes *ζηλωταὶ τοῦ νόμου* adhuc permanserant, *τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, ἐφὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ*, demigrare coacta est. „Irenaeus 4: 2, 3. Quoniam a Moyse Lex inchoavit: consequenter in Joannem desivit. Ad impletionem ejus advenerat Christus; et propter hoc Lex et Prophetae apud eos usque ad Joannem, et Hierusalem itaque inchoans a David et adimplens tempora sua etc. Et quid de Hierusalem dicimus, quandoquidem et figuram mundi universi oportet praeterire etc. Viderint Chiliastae, quomodo sibi constet idem Irenaeus 5, 35: 1, 2. docens, Hierosolymam terrenam reaedificandam esse.

quam Presbyteriani volebant unitatem nunquam minus in ecclesia reperire licuit quam primis ecclesiae seculis. Tunc enim ecclesiae omnes, ut Mosheimius de rebus Christ. ante Constant. M. Sec. 1. §. 48. docet, pro suo quaeque jure agebant; independentes, ut ita loquar, ac secundo demum seculo sensim haec libertas circumscribi coepta est, postquam parvae ecclesiae, quae in provincia quadam sedebant, consilium ceperant, communis commodi causa in foedera coëundi etc. Nascebatur hoc institutum, incertum quibus auctoribus — atque finibus Asiae, quod multa suadent, hoc seculo non excedebat. Ibid. Sec. II. §. 22. Quousque seculo tertio unitas ecclesiae processerit, idem (Sec. 3. pag. 584 sqq.) docet. Sed quantum abfuerit Paulus, ut ecclesias ab ipso conditas imperio episcoporum Hierosolymitanorum, Jacobi successorumque ejus, vellet subjectas ac dogmata inde dimissa fidelibus e praeputio ratas haberet, e Gal. 2: 12, Cor. 2, 10: 25 — 27 (Confer. Act. 16: 4), Tim. 1, 4: 3. manifesto compertum habemus. Si qua unio fuit, ea tantummodo fidelium ecclesiis e circumcisione, *τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ*, constitit, quas ecclesia Hierosolymitana per legatos lustrare solebat. Sed Hierosolymae excidio hic principatus infractus Aeliaque Capitolina ejus loco condita prorsus abolitus esse videtur.

Hoc sine dubio noster Hegesippus voluit, hoc spectavit, ut quam conceperat priscam integritatem doctrinae homines ex ipso sciscitarentur ejus laudatore, persuasumque haberent, omnem praeceptionem quam ipse nativae veritatis unice gnarus improbasset, falsam esse; quam commendaret, sinceram et rectam, suamque assentationem cum alii episcopi, tum opulentissimus Romanus, maximo pretio vel quovis obsequio redimeret.

## Q.

## Ibidem 3: 19, 20.

*Τῷ Δομετιανῷ τῆς ἀπὸ γένους Δαβὶδ ἀναιρεῖσθαι προστάξαντος παλαιὸς κατέχει λόγος τῶν αἱρετικῶν τινας κατηγορῆσαι*

τῶν ἀπογόνων ἰδδα· τοῦτον δὲ εἶναι ἀδελφὸν κατὰ σάρκα τοῦ Σωτῆρος, ὡς ἀπὸ γένους τυγχανόντων Δαβὶδ, καὶ ὡς αὐτοῦ συγγένειαν τῷ Χριστῷ φερόντων. Ταῦτα δὲ δηλοῖ κατὰ λέξιν ὧδέ πως λέγων ὁ Ἡγήσιππος·

Ἔτι δὲ περιῆσαν οἱ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου υἱωνοὶ Ἰούδα, τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου αὐτοῦ ἀδελφοῦ, ὅς ἐδηλατόρευσαν ὡς ἐκ γένους ὄντας Δαβίδ. Τότος ὁ Εὐόκατος ἦγαγε πρὸς Δομετιανὸν Καίσαρα· ἐφοβεῖτο γὰρ τὴν παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ ὡς καὶ Ἡρῴδης. Καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς, εἰ ἐκ Δαβὶδ εἰσι, καὶ ὡμολόγησαν. Τότε ἠρώτησεν αὐτοὺς πόσας κτήσεις ἔχουσιν ἢ πόσων χρημάτων κυριεύουσιν. Οἱ δὲ εἶπον ἀμφότεροι· ἐννάκις χίλια δηνάρια ὑπάρχειν αὐτοῖς μόνα, ἑκάστων αὐτῶν ἀνήκοντος τοῦ ἡμίσεως. Καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ἀργυρίοις ἔφασκον ἔχειν, ἀλλ' ἐν διατιμήσει γῆς πλέθρων τριάκοντα ἐννέα μόνων, ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν καὶ τοὺς αὐτουργοῦντας διατρέφεσθαι· εἶτα δὲ καὶ τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτῶν ἐπιδεικνῦναι, μαρτύριον τῆς αὐτουργίας, τὸν τοῦ σώματος σκληρίαν καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἐργασίας ἐναποτυπωθέντας ἐπὶ τῶν ἰδίων χειρῶν τύλους παριςάντας. Ἐρωτηθέντας δὲ περὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὁποῖά τις εἴη καὶ πότε καὶ ποῦ φανησομένη, λόγον δοῦναι ὡς οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει, ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος γενησομένη, ὁπηνίκα ἐλθὼν ἐν δόξῃ κρινεῖ ζῶντας καὶ νεκροὺς καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. Ἐφ' οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανὸν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλευθέρους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι δὲ διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμόν· τοὺς δὲ ἀπολυθέντας ἡγήσασθαι τῶν ἐκκλησιῶν, ὡς ἂν δὴ μάρτυρας ὁμοῦ καὶ ἀπὸ γένους ὄντας τοῦ Κυρίου, γενομένης τε εἰρήνης μέχρι Τραϊανοῦ παραμεῖναι αὐτοὺς τῷ βίῳ.

Quum Domitianus genere Davidis natos interimi jussisset [1]): vetus fabula est, haereticorum quosdam accusasse nepotes Judae (hunc autem esse fratrem secundum carnem Soteris), ut a Davide genus ducentes atque ut ipsius consangui-

neos Christi. Haec autem exponit Hegesippus, ad verbum sic fere dicens:

Adhuc supererant e genere Domini nepotes Judae, qui secundum carnem frater ejus dicebatur, quos delatos, ut qui essent de genere Davidis, Evocatus [2]) agebat ad Caesarem Domitianum: timebat enim adventum Christi ut Herodes [3]). Interrogavit eos num e Davide essent; idque confessi sunt. Tunc sciscitatus est quanta praedia haberent vel quam pecuniosi essent. Ac dixerunt ambo, novem millia denariorum ipsis suppetere sola, ita ut dimidium in utrumvis ipsorum caderet; eas autem facultates se non habere in numis, sed in aestimatione soli jugerum undequadraginta tantum, unde et tributa redderent et semetipsos opera insumta sustentarent. Deinde etiam manus suas ostendunt, documentum dantes negotii, asperitatem corporis et ab operatione assidua callos in suis manibus procusos [4]). Rogati autem de Christo et ejus regno, quale id fere sit et quando et quo loco sit appariturum, responderunt, non mundanum esse nec terrestre, sed coeleste et angelicum; in fine aevi venturum, quando praesens factus cum gloria sit judicaturus vivos et mortuos ac redditurus pro suis cuique studiis [5]). His auditis nihil decrevit in eos Domitirnus, sed, aspernatus ut exiguos, liberos eos absolvit, sedavitque edicto illam vexationem ecclesiae [6]). Absoluti autem rexerunt ecclesias, ut pote martyres simul et agnati Domini [7]); factaque pace usque ad Trajanum vitam produxerunt.

---

[1]) Qui factum est, ut si Caesar interimi jussisset omnem si qua reliqua esset progeniem Davidis, hi nepotes Judae ad ipsum Domitianum transmitterentur; non statim ut confessi erant imperatoris jussu occiderentur? Haud enim cives Romani fuerunt, quibus ad Caesarem appellare jus esset. Nec vero Symeon, eorum patruus, iisdem criminibus

arcessitus apud Caesarem causam dixit, sed ab rectore provinciae causa cognita judicatus ac supplicio traditus.

[2]) De hoc Evocato quantum scimus, memoria nulla. Qui sint evocati, notum est ex Dione Cassio 55: 24. milites nimirum honoratioris loci, qui confectis jam stipendiis emeriti ad militiam evocabantur a Principe. Hoc loco autem Evocatus nomen proprium esse videtur.

[3]) Romanos de stirpe Davidis et adventu Christi anxios unquam et sollicitos fuisse, praesertim eversa Hierosolyma, credat Judaeus Apella.

[4]) Inde omnino Caesar sibi persuadere poterat, eos non esse, qui orbem Romanum facultatibus opibusque suis in periculum discrimenque adducerent; non item neminem ex iis oriundum, per quem fatali necessitate oracula prisca eventum haberent. Ceterum non liquet, quid crediderit Domitianus, veneritne jam Christus ejusque adventum secundum, quem expectabant Presbyteriani, timuerit; an sicut infideles Judaei, nondum venisse Christum. Si prius: qui poterat cogitare de stirpe Davidis delenda, ut ne Christus ex ea prodiret? Sin posterius: qui animum inducere poterat, ut simplices istos et rusticos homines oraculi instar consuleret de regno Christi, quale sit futurum, quando, ubinam?

[5]) Haec inter se pugnant. Nam qui cum majestate affuturus dicitur, ut vivos mortuosque judicet, ei pariter mundanum ac terrestre imperium tribuitur. Si quid intelligimus, hoc sibi vult oratio ista: Inpraesentia regnum Christi conspicuum nullum est; in fine autem aevi apparebit, ac mundum terrasque coelitus angelorum copiis occupabit. Quibus dictis Domitianus contentus esse non poterat. Quaerere enim debebat ex hominibus, quid sibi vellet angelicum regnum et quando finis mundi futurus sit. Tum Domitianus audivisset, ratione Cabbalistica ipsos indicatum habere nomen Antichristi, Caesaris gentilitium (Iren. Haer. 5: 30. Vid. Wetsten. ad Apocal. 13: 18); jamjam igitur expectari

ipsum Antichristi personam susceperunt, ac tribus cum dimidio annis post superventurum Christum, qui Caesarem perimeret oris sui gladio Thess. 2, 2: 8. Apocal. 19: 15, 20 sq. Sic demum Domitianus prorsus edoctus fuisset.

Fallitur profecto, si quis opinetur, nihil aliud subesse responso nepotum ex fratre, si Deo placet, Christi quam illi dicto (Jo. 18: 36 sq.), quod quidem apertum ac perspicuum, illud obscurum, ac verba dantium *). Ceterum non abs re erit moneri, nusquam apud Patres, qui perhibentur Apostolici, neque apud Justinum et quos adjecit patres Maranus, neque apud Irenaeum ac Tertullianum hanc vocem Christi gravissimam reperiri illam quidem, sed heterodoxam Chiliastis; id quod Loescherus ostendit in Decimis Evangel. I. p. 474 sq. Sibyllistae et Chiliastae vaticinabantur, glorioso Christi adventu secundo Romanum imperium perditum iri; Jesus contra procuratori Romano disertissime asseveravit, regnum suum non esse hujus generis, cujus Caesareum sit regnum; ipsum ergo nihil affectare, quod affectatum laedere possit Caesaris majestatem." Erasmus (Paraphrasi Jo. 18: 36). Pari modo incommodum est hoc dictum Papistis, nec nisi παρερμηνείᾳ quadam sese expediunt. Apud Joannem profecto non de futuro loquitur Jesus, sed de imperio jam nunc per ipsum condito veritatis. In eo, quod Jesus Pilato dedit, responso nihil non liquet. Quum dicit, quod isti nepotes reticent vel potius ignorant, in hoc se natum esse atque in hoc prodiisse in medium, ut commonefaceret veritatis, quae res immortalis et aeterna est, ut Epictetus ait; vel ut prophetam veritatis sese praestaret. Quisquis veri sensum desideriumque habeat, omnem amicum cultoremque veritatis non posse non ipsi obtemperare haud secius quam regi,

*) Κοσμικὸν apud Patres idem quod ἐθνικὸν Tit. 2: 12. Canon. Apost. 23. κοσμικοὶ ἄρχοντες, seculares magistratus, non ecclesiastici. Constit. Apost. 52. καὶ κοσμικὰ (ethnica) δικαστήρια.

atque in ea, quam vox veritatis apud ejus amicos habeat, necessaria auctoritate suum regnum constare: satis edoctus erat Pilatus, ut nihil ad ipsum pertinere, politicum virum, causam Jesu perspiceret. Sed ibi coeleste et angelicum esse non dixit Jesus regnum suum; non, se venturum in fine mundi cum gloria tumque judicaturum se esse vivos et mortuos. Si coeleste et angelicum, quid veniat opus est in orbem terrarum? Omnem ipsi datam esse potestatem, non coelestem tantummodo, sed in terris quoque, docet Jesus, eamque non in fine mundi exercet, sed ubicunque homines μαθητευθέντες διδάσκονται τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετείλατο, atque κρίνει i. e. κυριεύει αὐτῶν, καὶ νεκρῶν (ἐν ἐρανῷ) καὶ ζώντων (ἐπὶ τῆς γῆς). Nam quum vitam aeternam iis dederit, ita ut nunquam perire nullo que leto ex ipsius manu eripipossint, etiam mortui κατ' ἀνθρώπους, opinione hominum, in coelis ipsius ditione tenentur, qui, dum vitam egerunt humanam, legibus Christi paruerunt.

6) Nos quidem omnino fugit, ut in hac de Christo ejusque regno notitia Domitianus acquiescere ac permoveri potuerit ad comprimendam omnem de Christianis quaestionem. Nec vero ex Oriente opus erat acciri homines, qui de nomine Christiano ipsum edocerent, quum in ecclesia Christiana praesto essent, e quibus haec talia luculentius et copiosius cognosci possent. Nihil tandem vero dissimilius, quam Domitianum, ad summam vecordiam et immanitatem provectum, talibus hominibus tam commodas aures praebuisse.

Persecutio illa sub Domitiano non Christianorum fuit, sed Judaeorum, quorum quidem numero habebantur omnes Judaico more viventes sive Ethnici sive Christiani. Quid mirum, si Domitianus indignatus fuerit Judaismum patruelis sui, cujus filios etiam tum parvulos Caesar successores palam destinaverat, atque suspicionem inde conceperit.

Reputemus illos Juvenalis versus, qui Domitiani tempore floruit:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem

**Nil praeter nubes et coeli numen adorant*) etc.**
**Romanas autem soliti contemnere leges**
**Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus etc.**

Praeterea Judaeis maxime diros et execrabiles esse Titos ignorare non poterat, per quos urbs eorum excisa, templum combustum, ipsi debellati atque tributum illud odiosissimum in capita Judaeorum impositum erat Jovi Capitolino ferendum, ut quod olim Jehovae Hebraeo, nunc Jovi Romano penderetur. Quo pacto conveniebat Clementi, Caesaris agnato, patri puerorum, quos Caesar successores destinaverat, conjungere necessitudinem cum Judaeis et Romani imperii et Caesaris insidiosissimis hostibus? Haud igitur inanis Domitiani suspicio fuit, ex qua patruelem suum, contemtissimae quamvis inertiae, interemit. Astutis enim Judaeis vel talis homo, sed proxime cognatus et praesenti principi et futuro, ad sua consilia exequenda peridoneus erat. Exiguum autem hac in re quidem discrimen aut pene nullum inter Judaeos fuit et Christianos judaizantes, Sibyllistas vel Apocalypticos.

De nihilo tandem persecutio ecclesiae vel potius quaestio de Judaismo ab hoc imperatore sedata, quod beneficium Nervae, successori Domitiani, debetur. Vid. Dio Cassius 68: 1. Nam Domitianum intra octo menses, ex quo Clementem Fl. interfecerat, occisum peregisse haec ab Hegesippo relata et edictum in Christianorum favorem constituisse, nequaquam probabile est; quod si ullum fuisset, Apologetae profecto, ut Hadriani (Euseb. 4: 8, 9, 26) commemoraturi essent.

*) Homines, qui non, ut Christus voluit, Evangelii causa domos agrosque suos, sive latos sive angustos, reli-

*) Hinc Atheismi accusabantur, fictorum Deorum contemtores, quales a Graecis Romanisque colebantur.

querant, sed rusticis laboribus occaluerant, annosque et vires consumserant, quamvis martyres et agnati Christi, sub annum 96 impares fuisse videntur gubernandis tot ecclesiis, per latum orbem conditis.

## R.

### Apud Photium in Bibl. CD. 132. col. 893. referente Stephano Gobaro.

„Quae praeparata sint justis bona, neque oculus vidit, neque auris concepit neque mens hominis cogitavit." (Paulus Cor. 1, 2: 9) Hegesippus, licet antiquus vir et apostolicus, in quinto Commentariorum nescio quid passus, temere haec dicta censet falsoque contendere haec fatos [1]) contra divinas scripturas et Dominum (Matth. 13: 17) ita loquentem: Beati oculi qui cernunt, et aures vestras qui percipiunt etc."

---

[1]) Gnosticos facile crediderim, hunc locum ex apocrypho libro, qui adscensio Jesajae inscriptus erat teste Origene, Georgio Syncello, Zacharia Chrysopolitano (Vid. Fabritii CD. Pseudepigr. V. T. p. 505, 814 sq.) opposuisse Presbyterianis in hanc sententiam, ut Christi beneficia et munera non ex iis, quae vates Judaeorum animis conceperant et litteris consignaverant, sententiis metienda esse vellent. Et recte omnino. Nam Paulus Cor. 1, 2: 9, coll. v. 7, 8, 10. respicit *μυστήριον* illud *χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον* (Rom. 16: 25), *ἐν ἑτέραις γενεαῖς μὴ ἐγνωρισμένον τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, νῦν δὲ ἀποκεκαλυμμένον* (Eph. 3: 5. Col. 1: 26. Tim. 2, 1: 10). Neque aliter accipi debet hoc dictum Cor. 1, 2: 9, nisi in hanc sententiam, ut Paulus dicat, e sacris litteris, quas Hegesippus vocat *τὰς θείας γραφὰς*, beneficia per Christum in homines conferenda quam alma et immensa sint, parum intelligi posse; priscos vates, qui oraculis suis Messiam, qualis futurus sit, adumbrasse tentaverint, ejus *δόξαν*, id est *τὸ πλήρωμα τῆς χάριτος καὶ ἀληθείας* minime assecutos esse.

Alia res est, quum Dominus (Matth. 13: 16): „Beati, inquit, vestri oculi qui cernunt; et aures vestrae quae audiunt.“ Quidnam quaeso? Annon haec ipsa, quae (v. 17) tot prophetae et justi, auctores illi τῶν θείων γραφῶν, quantumvis eorum desiderium fuerit, nec spectaverunt neque audierunt, neque ergo ἐξηγεῖσθαι potuerunt? — „Non ideo credendum est Jesu, quia de eo prophetae praedixerunt; sed ideo credendum est potius prophetis, quia eis Christus testimonium reddit.“ Clem. Recognitt. 1: 59.

Hinc manifesto cernitur, Hegesippo, sicut Justino evangelium quod ipse vocat secundum Hebraeos notum fuisse, unde majorem partem Matthaeus noster canonicus haustus videtur; non item Paulina. Nam si cognitum habuisset illud verbum: „Quae praeparata sint justis“ etc. esse a Paulo laudatum, non contendisset temere dictum esse.

Irenaeus autem ac Tertullianus, qui jam bibliotheca N. T. canonica utebantur, hunc locum pro suis artibus in suum dogma detorserunt, ille 5: 36. his verbis: „Qui hereditatem terrae promisit patribus, qui eduxit illam in resurrectione justorum et promissiones adimplet in filii sui regnum, postea praestans illa paternaliter, quae neque oculus vidit“ etc. Tertullianus autem (de resurr. carn. 26): Sic et apud Esajam (cap. 1: 9): „Bona terrae edetis.“ Bona carnis intelligantur quae illam manent in regno Dei reformatam et angelificatam et consecuturam, quae nec oculus vidit“ etc.

„Multi Cor. 1, 2: 9 referunt ad futurum in coelis gaudium; at si et antecedentia et consequentia paulo accuratius expendantur, patebit, ea ad cognitionem Messiae pertinere, quae in N. T. propterea longe illustrior, quia ipse erat praesens etc. Haec omnia Apostoli aliique fideles suis viderunt oculis.“ Sic Macarius Homil. 27, ac Theophyl. ad h. l. Suicerus Thes. Eccl. sub ὀφθαλμός I. 1.

# CORRIGENDA ET ADDENDA.

## Ad pag. 25.

### Galilaei Zelotae.

Retractamus nostram de Galilaeis, quos Hegesippus commemorat, cogitationem. Eos enim intelligendos esse didicimus, qui venisse Christum voluerunt (Judam puto Galilaeum) „et docuisse eos, ne dicerent dominum Caesarem neve ejus monetis uterentur.“ Vid. index Haereticorum ab Hieronymo confectus. Josephus Fl. eosdem vocat Zelotas, qui duce Menahemo, filio Judae Galilaei, maxima pars Judaici belli fuerunt et capitalis causa Hierosolymae expugnatae anno 70 templique combusti. Vid. Jahn, Archaeol. Bibl. P. II. pag. 154. Ab iis ortos Assasinos putat Lightfootus H. H. in Jo. 16: 2. et Vol. II. p. 578. sq. Est apud Plinium (5: 23) Nazarinorum tetrarchia, Marsya amne divisa ab Apamia, quam regionem hodie tenere Niebuhr (P. 2. p. 439) Nassairier testatur. Ibidem vero sedent Assasini (Vid. Mannert Geogr. Gr. et Rom. VI. 1. p. 422. sq.) Nazarorum civitatem latrociniis infamem fuisse animadvertit Lightfootus ac nomine נצר בן significare Judaeos Jesum Nazarenum suspicatur. Luc. 4: 16. pro *Ναζαρὲτ* A. 33. *Ναζαρατ*, quam varietatem a Wetstenio datam praetermisit Griesbachius. *Ναζάρων* et *Ναζάροις* apud Orig. Tom. 10: 1. in Joannem aciem vel novissimorum Criticorum fugit. Idem ibid. cap. 16. ter *Νάζαρα*. Qui *διὰ τὴν πρὸς σωτήριον γένος συνάφειαν*

διεσπάσαντο vocabantur, ἀπὸ Ναζάρων καὶ Κωχάβα reliquam terram obierunt et genealogiam Jesu exposuerunt (Euseb. 1; 7), quae loca ἐπέκεινα τῶ Ἰορδάνου (hoc est ἀνωτέρω, ad laevam partem Damasci, non πέραν) fuisse Eusebius, Hieronymus, Epiphanius tradunt. „Hebraeorum sedes, qui credentes in Christum omnia legis praecepta custodiant et Ebionitae nuncupentur.“ Vid. Reland, sub vocibus Nazara et Cochaba, qui (Palaest. p. 728): „Quid si dicamus, hinc ortum esse Pseudomessiam Bar Cochab, et inde nomen traxisse?“ Judas Galilaeus ab Josepho tum Galilaeus (B. J. 2; 12), tum Gaulanites (A. J. 18; 1) vocatur, ἐκ πόλεως Γάμαλα, quae κατοικία Συρίας fuit, ut Steph. in Ethnicis docet. Unde apparet, Galilaeum amplíori sensu vocatum esse Judam, ita ut patria ejus non Galilaea intra fines Palaestinae sita fuerit, sed extera, ταῖς Φοινίκων πόλεσιν ὁμορός τε καὶ γείτων (Vid. Reland. ibid. p. 183), quae Galilaea Gentium vocari solita erat.

Ex evangeliis autem conjectare licet, patriam Jesu Nazaret non in Galilaea propria sitam fuisse: nam Matth. 4; 12, 13. Jesus ἀνεχώρησεν εἰς Γαλιλαίαν καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲτ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ. Si dum Nazaretum reliquit et Capernaumum se contulit, in Galilaeam secessit, Nazaretum intra fines Galilaeae propriae certe situm non fuit, Luc. 4; 31. Ἀπὸ Ναζαρὲτ κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας. Superius ergo Nazaret fuit, quam Capernaum; illud in Galilaea Gentium situm (Matth. 4: 15), hoc in Galilaea propria circa lacum Gennesaret. Ceterum in geographia et biblica et profana frustra investigaveris Nazaretum intra fines Palaestinae situm; Patres autem seculi quarti his in rebus tam saepe multumque errarunt atque etiam licenter quodlibet confinxerunt, ut iis confidere non possimus; immo temperare suspicioni nequimus, quemadmodum crucem et sepulchrum Christi, sic patriam ejus placito loco inventam et adornatam esse. Locus enim nomine Nazara, latrociniis infe-

stus, unde incredibile erat boni quidquam venire posse, minime conveniebat.

Utcunque vero se habeat situs Nazareti, certum est, Zelotis ab Juda Galilaeo profectis, ergo Galilaeis, Judaeos praecipue suas rebelliones et excidium Hierosolymae crimini dedisse apud Romanos; ac vero simillimum est ab Judaeis, adversariis Jesu, Romanos in eam opinionem adductos esse, ut crederent, Jesum popularem Judae Galilaei famosi ejus vestigiis ingredi, *διαστρέφοντα τὸ ἔθνος καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι — καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας.* Luc. 23: 2. Jesus ergo in idem crimen vocatus est apud Pilatum, quo Judas Galilaeus maxime famosus erat, quasi jam Jesus princeps Zelotarum existeret. Per Judaeos igitur, opinamur, Galilaeos Romani Christianos vocare didicerunt, ut Arrianus Epicteti et Julianus. Invidiosum certe fuit in Christianos, quod puero Jesu Galilaeus Judas et quadraginta fere annis post ejus necem Menahemus, filius Judae Galilaei, et anno Christi 132. Bar Cochab ex ea regione, ubi *οἱ δεσπόσυνοι* domi erant, turbas bellaque funestissima movissent.

Ubi vero Patres, Hesychius Justinus, Hieronymus Galilaeos in haereticorum indicem referunt, non Christianos intellectos volunt, sed Judae Galilaei sectatores, Zelotas.

Praetermittere non possumus, quin hac occasione Jo. 4: 43 sqq. excutiamus, ad quem locum Origenes: *Πάνυ ἀνακόλουθος ἡ λέξις φαίνεται.* Quid enim commune habet hoc dictum; „Ipse enim testatus est prophetam in sua patria honorem non habere", ad illud, quo (v. 42) exierit post biduum a Samaritanis apud quos deverterat, in Galilaeam" (et quod v. 44. legimus: *ἐδέξαντο αὐτὸν οἱ Γαλιλαῖοι*, i. q. *τιμὴν εἶχε παὰ αὐτοῖς*). *Ὡς ἰδιώτης δὲ τῷ λόγῳ ὁ Ἰωάννης δυσπαραστάτως* (obscure) *ἔφρασεν, ὃ νενόηκεν* etc. At vero nobis religio est evangelistas et apostolos tam infantes et rudes

judicare, ut haec talia, in quibus non artificio, opus fuit, sed sana mente tantummodo, inscite ac praepostere narraverint.

Quare potius credimus, nonnulla v. 43 inter ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν et ἀπῆλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν a castigatoribus et interpolatoribus originalis Joannis extrusa esse, quae Luc. 4. Marc. 6: 4. leguntur: nempe Jesum Nazaretum profectum, sed ibi male habitum in Galilaeam demigrasse. Vel si brevissimum facere volumus Joannem, scripsisse debet: καὶ ἀπῆλθεν οὐκ εἰς Ναζαρὲτ, ἀλλ' εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ob eam causam, quae v. 44 redditur. Patriam certe Jesu et Galilaeam ut discernamus, exigit omnino, si quid sibi vult, hic versus 44. Quod quidem aliter fieri nequit, nisi si Nazaretum ultra fines Galilaeae situm fuisse putemus.

## Ad pag. 46 et 49.

## Porta Jesus.

Species probabilitatis, quam prae se fert illa ingeniosa eruditi cujusdam Galli conjectura, supra pag. 46 allata, adeo me praestrinxit, ut eam non dubitarem recipere in textum. Curis autem secundis me falsum esse agnosco. Approbat enim, quod medica manu indigere visum erat, vocabulum locus Clementis ad Cor. I: 48. „Πύλη δικαιοσύνης ἀνεῳγυῖα εἰς ζωὴν αὕτη (ἡ φιλαδελφίας ἁγνὴ ἀγωγὴ) καθὼς γέγραπται· Ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης· εἰσελθὼν ἐν αὐταῖς ἐξομολογήσομαι τῷ κυρίῳ. Αὕτη ἡ πύλη τοῦ κυρίου· δίκαιοι εἰσελεύσονται ἐν αὐτῇ. (Ps. 117: 19.) Πολλῶν δὲ πυλῶν ἀνεῳγυιῶν, ἡ ἐν δικαιοσύνῃ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐν Χριστῷ, ἐν ᾗ μακάριοι πάντες οἱ εἰσελθόντες ac dirigentes iter suum in pietate et aequitate, sine turba omnia obeuntes. Sit quis fidelis, sit potens in eloquenda scientia, sit sapiens in dijudicatione dictorum, sit stupendus in factis, sit castus: tanto magis modestus esse debet, quanto videtur major esse, et quaerere communiter utile omnibus, non autem suum commodum.“ Hoc ergo epitheton Christi apud Patres e V. Test. depromtum videtur. Stromateus Clem. Ro-

mani quem protulimus locum semel et iterum citat 1: 7 et 6: 8.

Apud Pastorem Hermae 3, 9: 12. „Petra haec et porta filius Dei est — nec in regnum Dei aliter potest intrari, nisi per nomen filii ejus — qui solus est accessus ad Patrem."

Alius est locus alio ingenio, mea quidem existimatione, Hegesippi quam simillimo, scriptus apud Pseudo-Ignatium ad Philad. 9. „Hic est ad Patrem ducens via, petra, septum, clavis, pastor, victima, janua cognitionis: per quam intrarunt Abrahamus et Isaacus et Jacobus, Moses et universus Prophetarum chorus et — apostoli et sponsa Christi" etc.

Moshemii vero conjectura legentis σωτηρίου pro τοῦ Ἰησοῦ necessaria manet, si quis exire debet ex hoc loco graecis auribus intellectus, nisi legere velis δικαιοσύνης.

Tum vero infra (pag. 49) ubi repetuntur voces: τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ; eadem emendatio locum habebit: σωτηρίου pro Ἰησοῦ, ita ut Jacobus paronomasiam iteret, quam inaudimus vocibus nativo sermoni redditis; ac rogatus סה שער ישועה, respondeat: ישוע.

Ad pag. 77.

## Lucae parachronismus in anno Christi natali.

Dexterrime Valesius contra Scaligerum defendit nostro quidem judicio, quod Eusebius (H. E. 1: 5) tradit in hunc modum: „Annus jam agebatur 42. imperii Augusti, a subacto autem Aegypto et fine Antonii et Cleopatrae 28, quum Jesus Christus ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου τῆς Συρίας, γεννᾶται. Scaligerum, qui duas ἀπογραφὰς τῆς Ἰουδαίας commentus tempore prioris Jesum natum esse fingit, graviter falli docet, quum unam tantummodo fuisse et Josephus et Lucas ipse confirmet. Non enim Lucam Act. 5: 37. τῆς δευτέρας ἀπογραφῆς, sed tantum τῆς ἀποφραφῆς dicere, itaque unicam descriptionem innuere; atque

etiam Origenem contra Cels. 1: 57. consentire Eusebio. Addere poterat Valesius primam auctoritatem Justini (Apol. 1: 46 et 64), qui sub Cyrenio Christum ante 150 annos natum dicit. Jam si anno quo census a Quirinio actus est, decimo post obitum Herodis Magni, 762 U. C. adjeceris 150 a Christo nato, quo anno Justinus orationem suam se scripsisse dicit, habebis 912 U. C. 150 aerae Christ. vulgaris. Christus ad summum 790, quo Tiberius vita, Pilatus provincia decessit, crucis supplicium tulit, ergo anno 39; sin autem Jesum anno U. C. 784. vita defunctum esse sumimus cum Silberschlagio et aliis, annos 33 natus secundum aeram vulgarem; ex indicio autem Lucae et Justini, annorum 23 vel ad summum 29. Quod credat Judaeus Apella. Verum secum ipse pugnat Lucas, qui ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας Baptistam, sex mensibus tantum Jesu majorem natum esse tradit, ergo decem annis ad minimum ante censum Quirinii. Matthaeus Jesum sub Herode M. natum perhibet, atque ex Jo. 8; 47. Irenaeus recte collegit circiter 45. annos Jesum vitam egisse; ergo annus ei natalis ad minimum 745 U. C. septimus annus ante mortem Herodis M. Fallit ergo Lucas hoc indicio anni Christi natalis, ac tota ejus narratio de partu Mariae manifesta fabula est. In eo quidem Eusebius reprehendendus est quod non vidit, censum Quirinii in annum 52, non 42 imperii Augusti incidere.

Adjicit Valesius: „Non potuit agi census Judaeae a magistratu Romano, ubi rex imperabat socius et amicus populi Romani. Ex quo apparet censum nonnisi, postquam Archelaus dominatione privatus esset, contingere potuisse.“ Praemetu autem orthodoxorum Harmonistarum, haud vera mente nec sibi constans, ita pergit: Nos illam descriptionem, qua natus est Christus, coeptam esse dicimus Herode in Judaea regnante; eandem vero decimo circiter anno a Cyrenio absolutam esse.“ At vero census Judaeae, dum regem suum habebat, ne coeptus quidem esse potest.

Tertullianus quidem parachronismum Lucae animadvertit, sed serus venit ad remedendum. Pro Quirinio nimirum fecit Sentium Saturninum censum agere. „Census constat“ (unde?) „actos sub Augusto tunc in Judaeam per Sentium Saturninum, apud quos genus Jesu inquirere potuissent Pharisaei.“ Adv. Marc. 4: 19. Qua fronte causidici vafri testimonia litterarum sive tabularum citant, quas probe norunt nusquam extare, sic Tertullianus fucum facere hoc loco et aliis non veretur. Ut parachronismum dilueret, praesidem alium, qui aliquot annis ante mortem Herodis provinciam Syriae administravit, censum egisse mentitur. Sed nulla ratione, ut Valesius bene monuit, Judaeae census actus esse potest, antequam in provinciae formulam redigeretur. Nam hoc ipsum fuit τὸ ἀπογράφεσθαι γῆν τινα. Ceterum Luc. 2: 2. interpolatum habemus vel totum cum Valkenaario, vel certe vocabulum πρώτη. Nam ex Act. 5. perspicitur de altera descriptione Lucam nihil cogitasse.

## Ad pag. 72.

## Irenaei dictum de genere Mariae e priore Catena Patrum p. 502, secunda fol. 385. tertia fol. 516.

Ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς προετυπώθη καὶ ἐπεγνώσθη καὶ ἐγεννήθη. Ἐν μὲν Ἰωσὴφ [1]) προετυπώθη· ἐκ δὲ τῆ Λευὶ [2]) καὶ τῆ Ἰούδα [3]) τὸ κατὰ σάρκα, ὡς βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς ἐγεννήθη· διὰ δὲ τῆ Συμεὼν [4]) ἐν τῷ ναῷ ἐπεγνώσθη· διὰ δὲ τῆ Ζαβελὼν ἐν τοῖς ὕδασιν ἐπιζεύθη, ὥς φησιν ὁ προφήτης· γῆ Ζαβελὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ, τῆ Παύλῳ [6]), εἰς πάντα τὸν κόσμον κηρυχθεὶς ἐδοξάσθη.

---

4) „Joseph Christum figuravit vel hoc solo quod persecutionem a fratribus passus est ob Dei gratiam, sicut et Christus a Judaeis, carnaliter fratribus, quum benedicitur a

patre etiam in haec verba: „Tauri decor ejus; cornua unicornis cornua ejus. In eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terrae (Mos. 5, 33: 17). Tertull. adv. Marc. 3: 18. et adv. Jud. 10, ubi sequentia videat cui lubet.

Hac ratione filius Joseph Christus dici potuit, qua Josephi typus Christi fuit. Israelitae autem in filium Josephi praedicta Mos. 1, 49: 26. et 5, 33: 16 retulerunt, quae filio Davidis tribuere non poterant Judaei.

3) Pariter in Test. 12. Patriarch. ex Levi et Juda ortundus praedicitur *) nam Mariam, ut Elisabethae cognatam et contribulem, ex tribu Levi fuisse fabulabantur; ejus maritum ex tribu Juda.

4) Irenaeus (3, 21: 8) multus est in docendo, Jesum filium Josephi, ergo ex tribu Juda non fuisse:

„Si enim Josephi filius esset: quemadmodum" (quonam modo)" plus poterat quam Salomon habere, aut plus esse quam David, quum esset ex eadem seminatione generatus et proles ipsorum? etc. Super haec autem nec rex esse posset, si quidem Josephi filius fuisset nec heres secundum Jeremiam. Joseph enim Joacimi et Jechoniae filius ostenditur, quemadmodum et Matthaeus **) generationem ejus exponit.

---

*) Testam. Levi cap. 2, Ἄγγελος Κυρίου εἶπε πρός με· Λευὶ σοὶ καὶ τῷ Ἰούδα ὀφθήσεται κύριος ἐν ἀνθρώποις, σώζων ἐν αὐτοῖς πᾶν γένος ἀνθρώπων. Haec opinio de genere Levitico Mariae tum evangelio infantiae apud Lucam et apocrypho, quod Fabricius in CD. Pseudep. N. T. primo loco posuit, confirmatur.

**) Propterea, ni fallor, Lucas genealogiam aliam fabricatus est ut Jechoniam, filium Joachimi, ejusque prolem, declinaret. De nihilo est, quod multi quidem volunt, genealogiam apud Lucam Mariae esse, non Josephi. Nam nihil magis precarium est quam haec ellipsis et nullius exempli: ὢν — υἱὸς Ἰωσὴφ (γαμβρὸς) τοῦ Ἡλί; nihil sane coactius et ab omni natura et arte sermonis alienius quam haec, si Deo placet, interpretatio: ὤν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, (υἱωνὸς) τοῦ Ἡλί, „qui erat, quamquam habebatur pro filio Josephi, (nepos) Eli." Licet enim υἱὸς non raro ἀπόγονον quoticunque gradus significet, attamen in genealogiis, ubi no-

Jechonias autem et qui ab eo omnes abdicati sunt regno, Jeremia dicente sic: 22: 24, 25, 28 sqq. et 36: 30, 31. Qui ergo dicunt Jesum ex Joseph generatum et in eo sese habere spem, abdicatos se faciunt a regno, sub maledictionem et increpationem cadentes, quae erga Jechoniam et in semen ejus *).

---

mina majorum unum ex altero apta sunt, vocabulum υἱὸς omnia praecedens, ut semel positum omnia regat, sensum varium non admittit. Deinde ὡς nunquam recipit potestatem ἐναντιωματικὴν, ut idem valeat quod καίτοι. Nihil autem notius quam ὡς cum potestate comparativa, et frequenter admodum particula correspondens reticetur. Ergo ὢν ὡς ἐνομίζετο, quum ita esset, ut putabatur, sive: quum et esset et haberetur, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, etc. filius Josephi, (filii) Eli, (filii) Matthat et sic porro. Lucas occurrit opinioni, quam hostes Christi differebant, Jesum non γνήσιον filium Josephi fuisse, sed νόθον, putativum. Quocirca dicit, ὢν ὡς ἐνομίζετο. Vid. Orig. c. Cels. 1: 32, et Wetst. ad Luc. 3: 23. More Hebraeorum Matthaeus genealogiam ἄνωθεν instruxit et more Hebraico consignavit (confer. Gen. 5: 3 sqq. 11: 10 sqq.), Lucas more Graeco, quemadmodum Phlegon Trallian. de Olympiis: Λυκοῦργος, υἱὸς ὢν τοῦ Πρυτανέως, τοῦ Εὐρώπα, τοῦ Σόος etc. Herodot. 1: 157. Θήρας, ὁ Ἀυτεσίωνος, τοῦ Τισαμένου, τοῦ Τεισάνδρου, τοῦ Πολυνείκεος. Item 7: 204. 8: 131.

Nulla ergo genealogia Mariae extat in Canonicis evangeliis, nullum omnino indicium, quibus parentibus nata, unde oriunda fuerit, apud Matthaeum; Lucas autem refert Nazareti habitasse ante nuptias, quae patria aliam tribum et genus arguit, quam Judae et Davidis. Praeterea si Maria contribulis et gentilis Josephi fuisset, debuerat Lucas 2: 4. scribere: διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ etc. eamque cognationem 1: 27. indicare. Multo pluris enim vel unice refert ad dogma Presbyterianorum ab Orthodoxis receptum constare de prosapia verae matris, quam putativi patris. Jesu. Nam oracula male impleta essent putativa sobole Davidis.

*) Dic, sodes, Irenaee! annon Maria sive e semine Davidis, sive Levi prognata erat? Ergo Jesum materno quidem genere filium ais sive Davidis sive Levi; quod utrumvis absurdum est dictu. Jesus enim infinito plus est Davide, ut ipse modo judicasti, et infinito plus Aarone omnique κρείττων ἱερωσύνης Λευιτικῆς. Non magis ergo Jesus ut Christus, ut filius Dei κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης matre mortali quam patre natus esse potuit. Christus μήτηρ pa-

[4]) Symeonem facit cognominis tribus vice fungentem. Lightfootus conjectut, Symeonem, Hillelis filium, inductum esse a Luca, nomen Christi tempore celeberimum.

[5]) Vid. Matth. 4: 14. [6]) Vid. Phil. 3: 5.

Istius modi lusus in rebus divinis arguunt hominem futilem, cui studium veri cognoscendi animusque mentis capacior altae prorsus defecerit.

Ad pag. 90.

## Matthaeus et Matthias, Thaddaeus, Lebbaeus, Judas Jacobi.

Nomina Matthaeus et Matthias origine Hebraica unum idemque sunt מַתִּתְיָה, *Ματταθίας* in libro 1. Chron. et in Esra, per syncopen Macc. 2, 14: 19. Matthias apud Vulg. sicut Josephus eos, quibus in libris Maccabaeorum nomen Mattathias, nomine Matthias vocat; itaque differentia in syllabis derivativis ex arbitrio interpretum nata videtur.

Qui a primo Synopticorum Matthaeus (Mt. 9: 9) vocatur, est apud duos alios (Mc. 2: 14 et L. 5: 27) no-

---

riter ut *ἀπάτωρ* fuerit, necesse est, si de *γονεῦσι σαρκὸς* cogitamus. Sin autem Jesum *τὸ κατὰ σάρκα* cogitamus, qua ratione non Christus est, sed *ψιλὸς ἄνθρωπος*, communis omnium nostrum naturae et conditionis, nihil refert, matrem solam mortalem, an patrem solum mortalem, an utrosque mortales habuerit. Immo Evam vitiosiórem putabant veteres Adamo (Tim. 1, 1: 14, Sir. 25: 24). Saepissime Jesus בֶּן אָדָם se professus est, nunquam בֶּן חַוָּה. Sed Mariam dicis in virginitate manentem concepisse. Quid hoc expedit? Nihilominus partum ejus immundum fuisse ait Tertullianus (de carne Christi 4. contra Marc. 3: 11), Deo indignum fuisse talem partum negat. Et si, quam Scotus demum effinxit impollutam conceptionem Mariae implicita fide foveris: quid non Josephi quoque impollutam conceptionem somniavers?

*) *Λιβὺς* Theodoret. quaest. 16. in Num. *Λιβίς* Orig. c. Cels. 1: 62. Graeci posteriores *Λιβαῖος*.

mine Levis, i. q. Lebbaeus *) ex Hebraico לבי, לבב, *) cujus pater Alphaeus a primo Synopticorum sive ignoratur sive tacetur. Judas autem, frater Jacobi, ergo filius Alphaei, cognomine *Λεβὶς* sive *Λεββαῖος*, fuisse conjectatur ab Hasaco et Heumanno.

Nomen *Λεββαῖος* Matth. 10: 3. occurrit cum varietate lectionis. Nam D. Cant. CDD. ap. Aug. Hesych. Rufinus habent simpliciter:

*Λεββαῖος*

B. 17. 124. Copt. Sax. Şahid. R. Vlg. Corb. etc.

*Θαδδαῖος*

13.

*Θαδδαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Λεββαῖος,*

Mt. m.

*Ἰούδας, ὁ καὶ Λεβαῖος*

Alii

*Ἰούδας, ὁ καὶ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.*

Textus receptus

*Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.*

*Ἐπικληθεὶς* vox Lucae usitatissima in ceteris evangeliis nusquam occurrit; in epistolis, sicubi legitur, alium intellectum habet. Hinc tertiam, quintam et sextam lectionem improbamus; quartam, quia unius codicis ejusque perexigua stat auctoritate. Altera lectio potior nobis videtur prima; ceteraе prorsus rejiciendae. Nam, ut Origenes docet, nomine Lebbaei omnia quae versaverat exemplaria Matthaei prorsus vacabant. Quare cum Millio *λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς* insertum scholion esse putamus.

Apud Marcum quoque 3: 18 duplex lectio, altera in textu recepto:

---

*) Lightfootus nomen *λεββαῖος* gentilitium esse vult a Lebba, oppido, quod auctore Plinio 5: 19 juxta Carmelum, promontorium situm fuit. Sed Jebba legendum, *Ἰφὰ* apud Eusebium, יפיע. Vid. Gesen.

*Θαδδαῖος*

altera in D. St. β. Cant. Ver. Verc. Corb. 2. Vind.

*Λεββαῖος.*

In recensione Schulzio-Griesb. desideramus Origenem c. Cels. 1: 62. citandum, ubi legitur: *Ἔχω δὲ καὶ ὁ Λεβὴς τελώνης ἀκολουθήσας τῷ Ἰησοῦ ἀλλ' ὅμως τῷ ἀριθμῷ τῶν ἀποστόλων αὐτῷ ἦν, εἰ μὴ κατά τινα τῶν ἀντιγράφων τῷ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίῳ.* Aliquot ergo exemplaria Marci quae in Origenis manus venerant, nomen *Λεββαῖος* legendum praebuerunt; at non *Θαδδαῖος*; nulla nec Matthaei nec Marci in catalogo Apostolorum.

Hinc ut lectionem *Θαδδαῖος* apud Matthaeum, sic *Λεββαῖος* apud Marcum unam verissimam judicamus. Primo igitur Synopticorum placuit facere Thaddaeum unum duodecimvirum, expuncto Lebbaeo; quemadmodum ut Matthaeus alicubi in scenam prodiret et quodammodo nobilitaretur, vocationem de telonio, quam secundus ac tertius synopticorum *τῷ Λευὶ* de telonio contigisse dicunt, pariter ac primis quatuor discipulis de piscatu, in Matthaeum transferre. Unus omnium item primus synopticorum Matthaeum in catalogo ipso Apostolorum *τελώνην* dicit, quamquam Evangelistarum nemo Apostolos percensentes ab opificio ullum eorum cognominaverit. Ceterum notabilis est Marci 2: 14. lectio *Ἰάκωβον, τὸν τοῦ Ἁλφαίου* pro *Λευὶν τ. τ. Α.*, cujus varietatis testes videsis apud Griesb. Quum ceteris omnibus locis, ubi Alphaei nomen occurrit, Jacobus filius ejus dicitur, hinc venit fortasse, ut oblitterato Levi Jacobum substituerent. Apud Lucam, qui catalogum Apostolorum iterat, et in evangelio et Actorum primo, quem locum apud Matthaeum Thaddaeus, apud Marcum Lebbaeus tenet, Judas Jacobi*)

*) Judas Jacobi nec ipse se Apostolum vocat, neque Clemens Alexandrinus semel et iterum ejus epistolam laudans. Primus eorum, quos Judam apostolum vocasse novimus, Tertullianus est de habitu mul. c. 3.

occupavit. Non dubitamus: frater non filius; quae ellipsis admodum rara videatur apud Fischerum ad Vell. 3. 6. pag. 250, 266. Nec vero temere hanc, non illam ellipsin optare licet. Ibi tantum locum habet ἀδελφος, ubi quis praenobili fratre gloriari potest, non item patre, sicut Judas *). Vid. initium epistolae Judae. Sic Maria Jacobi scil. mater L. 24: 10. Cfr. Marc. 15: 40. *Μαρία Ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ Ἰωσῆ μήτηρ*, quod nomen v. 47 et 16: 1. ex antecedenti facile revocatur. Hic Judas ergo frater Jacobi, minoris, unus de filiis Alphaei et Mariae. Apud Joannem semel Judas aliquis, non Iscariotes comparet ac mirabiliter dicitur, non cujus hic sit, sed cujus non sit. Hoc evangelium fratres Domini nusquam amicos, socios, discipulos ejus facit, sed contra. Vid. Jo. 7: 5. Jesus moriens adeo non fratribus tutelam matris committit, sed Joanni tamquam liberis orbam commendat, quod reliqui quatuor filii (Marc. 6: 3. 3: 31) sibi non potuerunt non ducere probro.

Jam Harmonistae Judam cognomine Lebbaeum fuisse optant non docent. Quin potius credimus, sicut a Matthaeo, etiam a Luca, Lebbaeum e collegio Apostolorum pulsum, ab hoc autem Judam, ab illo Thaddaeum substitutum esse. In Recogn. Apost. 1: 55—62. duodecim apostoli enumerantur, inter quos Lebbaeus, non Thaddaeus, non Judas Jacobi. In Const. 8: 22. legitur: *Ἐγὼ Ματθαῖος, ὁ καὶ Λευὶς, ὁ ποτὲ τελώνης* **). 25: *Κἀγὼ Λεββαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.* 29: *Ἐγὼ Ματθαῖος*, ubi *Ματθίας* rescribendum puto. Judas Jacobi autem inter apostolos qui ex ordine procedunt Constit. 8: 4 sqq. nullus apparet.

*) Ita Cicero (Offic. 3: 16): „M. Cato, hujus nostri Catonis pater; ut enim ceteri ex patribus, sic qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus.“

**) Heracleoni apud Cl. Strom. 4: 9. *Ματθαῖος* et *Λευὶς* duo sunt.

Eusebius H. E. 1: 13. de Thaddaeo hanc mentionem facit: *Θωμᾶς, τῶν Ἀποστόλων εἷς τῶν δώδεκα, Θαδδαῖον ἐν ἀριθμῷ καὶ αὐτὸν τῶν ἑβδομήκοντα τῷ Χριστῷ μαθητῶν — ἐπὶ Ἔδεσσαν — ἐκπέμπει.* — Et non multo infra: *Μετὰ δὲ τὸ ἀναληφθῆναι τὸν Ἰησοῦν ἀπεστείλε τῷ Ἀβγάρῳ Ἰούδας *) ὁ καὶ Θωμᾶς Θαδδαῖον ἀπόστολον **), ἵνα τῶν Ἑβδομήκοντα.* Ex adnotatione de duodecim apostolis, quam Clericus ad Constit. 2: 63. e MS. CD. 1007. Bibl. Reg. protulit, huc pertinent sequentia:

„Thaddaeus, qui a Matthaeo Lebbaeus vocatur, a Luca Judas Jacobi, a Marco Levis, sedens ad telonium, si interpreteris, *αἴνεσις.*“ ***) Ibidem: „Matthaeus dicit se vocatum esse publicanum; Marcus Jacobum“ (*Ἰάκωβον* pro *Λευὶν* Marc. 2: 14. Cod. D. et alii. Vid. varietas sectionis Schulzio-Griesbachiana) „Alphaei, Lucas (5: 27) Levin, sicut et Marcus nominat; 6: 16. autem Judam Jacobi.“

Hoc tandem effectum putamus, alium esse Lebbaeum unum de duodecim Apostolis, alium Thaddaeum, unum de septuaginta discipulis; Judam Jacobi autem apostolum ab una Lucae auctoritate pendere, quae per se sola, fateor, mihi fere nulla est.

---

*) Mihi facile persuaderi patior, *Θωμᾶν*, graece *Δίδυμον* cognomen *τῷ Ἰούδᾳ* fuisse.

**) *Τὸν Ἀπόστολον* manu aliena inculcatum videtur plane supervacaneum. Interpolator voluit fortasse Eusebium corrigere, qui Thaddaeum iterum unum de 70 discipulis, non apostolum vocaverit, quum Hieronymus unum de 12. apostolis Thaddaeum dicat, item Alcuinus et Leo Diaconus. Vid. Valesius ad h. l. Hoc profecto liquet, ab Eusebio Thaddaeum *τοῖς δώδεκα* non annumeratum esse. Sed rectius legitur *ἀπόστολον*, ut in omnibus nostris codicibus scriptum esse Valesius monet, sine articulo quem solus codex Medicaeus superscriptum habeat.

***) Apud Rabbinos תַּדַּאי. Vid. Lightf. et Wetst. ad Mt. 10: 3. „Deflexio, inquiunt, est nominis Judae, ut rectius discernatur hic ab Iscariota,“ quod nos quidem addubitamus: nam apud Rabbinos certe non cogitare licet de ejusmodi deflexione.

Unum tandem et eundem Apostolum ab aliis Matthaeum, ab aliis Matthiam vocatum esse suspicamur, eamque varietatem nominis induxisse Lucam, ut ex uno duos crearet apostolos, unum nomine Matthaeum, alterum Matthiam, quem in locum Iscariotae suffectum esse ingeniose finxerit.

Nam illa suffectio apostoli in locum proditoris Act. 1. meo quidem judicio probabilitate historica nimis caret. Petrus: „Oportet, inquit, virorum, qui nobiscum convenerunt omni tempore, quo sese nobis in consuetudinem dedit dominus Jesus, orsus a baptismate Joannis usque ad eam diem, qua assumtus est a nobis, testem resurrectionis ejus fieri unum horum.“ Num, quaesumus, numero duodenario jus et officium testificandae resurrectionis Jesu circumscribi debuit? annon illos plus quingentos fratres, quibus simul ὤφθη, Christus ipse dignatus fuerat, ut facultate, sic officio resurrectionem suam testificandi? Sin autem collegium duodecim virum, si quis decederet, redintegrandum erat: cur non in locum Jacobi quoque majoris apostolus suffectus est, et sic deinceps? quomodo fas fuit Paulum et Barnabam, Andronicum et Juniam existere apostolos ultra definitum numerum? Ipse profecto Christus ante τὴν ἀνάληψιν alium pro Iscariota apostolum electurus fuerat, si necesse habuisset compleri numerum, eumque interesse jussisset cum collegis ultimae suae εὐλογίᾳ et ἀναλήψει. Hoc loco Heumannus, ingenue ut multa, in suis commentariis: „Habemus hic Petrum coram, ut nondum effusione Sp. S. penitus irrigatum. Licet adhuc rogare, annon pro sua indole nunc temere quid agat, consultiusque hanc curam permisisset Christo“ etc. Ceterum attendi debet, Petrum non Domini mandatu neque κατὰ ἀποκάλυψιν, sed ut V. Test. effato Ps. 109: 9. satis fieret, hujus suffectionis auctorem fuisse. Cornelius a Lapide facete vel potius ridicule animadvertit, Petrum hac occasione capta primum rudimentum sui vicariatus posuisse atque ut praesidem apostolici collegii redintegrationi ejus prospexisse.

Nihili est illud discrimen a Bretschneidero positum apostolorum primariorum et secundariorum, quos alteros Paulus dixerit: *ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ* *) vel pro varietate lectionis a Velesio collecta *δόξης χριστοῦ* vel ut alii legunt aliter. Haud profecto semet ipsum et Barnabam discernere voluit a duodecim apostolis, tamquam si non fratres illos haberet, non pariter et aequaliter numero putaret apostolorum, non gloriam Christi appellatos vellet. Sed alii fuerunt, a quibus apostolos *sui generis* sejunxerit, tum apostoli *Judaeorum*, Christiani nominis adversariorum (de quibus Justinus loquitur Dial. 17: 108, 117. Habuerunt enim Judaei apostolos suos, qui a synedrio ad varia negotia dimittebantur. Horum mentio fit ab Epiphanio Haer. 30, ab Hilar. et Hieron. ad Gal. 1, et in Cod. Theod. titulo de Judaeis); tum *pseudapostoli*, labores Pauli irritos facere molientes. Paulus autem in eo gloriabatur quod *οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου* factus erat apostolus, nulla approbatione et inauguratione apostolorum, *τῶν πρὸ ἐμοῦ γενομένων, τὴν χάριν καὶ ἀποστολὴν ἔλαβεν. Τὰς ἐπιστολὰς ἀποστόλου* (Cor. 2, 11: 5. 12: 5. coll. ibid. 11: 13—23) ac *τῶν δοκούντων στύλων εἶναι* (Gal. 2: 9, coll. 6, 8) cum *ironia* loquens, sua ipsorum aliorumve hominum opinione, non justa quadam excellentia vel propria virtute et vera auctoritate superiores docet.

Falsissime porro idem Bretschneiderus e Cor. 2, 12: 12. miraculorum patrandorum facultate primarios apostolos instructos fuisse colligit, non item secundarios. Nam Paulus ab semet ipso signa, hoc est documenta, apostoli exhibita esse Corinth. ait, non a primario apostolo quodam. Lucas certe Act. 8: 6, 7. a Philippo miracula patrata narrat, qui primarius certe apostolus non fuit, ut alios taceam. Si tandem sedes alteros apostolos discerneret ab alteris (Act.

*) *Ἐν δόξῃ Χριστοῦ*, i. q. *εἰς δόξαν Χ.* facile rescripserim.

8: 14. Gal. 1: 17, 19), Petrus et Joannes Hierosolymis quum agerent, primarii; extra Palaestinam iidem secundarii fuissent; quod absurdum est dictu.

Merito miramur, quod Patrum Apostolicorum nemo, ne Constitutiones quidem Apostolicae, hujus subrogationis mentionem faciant. Primus Tertullianus ejus notitiam habet, ac post eum Origenes Homil. 23. in Josuam: Ne in N. Testamento, inquit, sortium usus abjicitur, et invenio quod — Apostoli qui utique sapientiores erant quam ii qui nunc episcopos vel presbyteros vel diaconos ordinant, elegerunt duo steterunt in medio, nec tamen de eis sibimet ipsis judicium permiserunt, ut illum facerent quem ipsi voluissent, sed orantes, inquit, miserunt sortem — Praecedente namque oratione, non jam casu sed providentia, sors divinum judicium deferebat." Tanta auctoritas, quanta Petri et 120 illorum discipulorum, si non ficta et commentitia esset, utique tantum valere debebat, ut ecclesia prisca certe in omni munere sacro deferendo sortes adhibitura fuisset. — Superstitio certe subest sortibus, Christianae intelligentiae haud conveniens; et duo ceteris omnibus digniores profecto non ita indiscreti fuerunt, quin unum e duobus tam recte praeoptare potuerint, quam e multis, ex. c. septuaginta, duos.

Ad pag. 100.

## Persecutiones Christianorum per duo prima secula.

Primus Christianorum *διωγμὸς* a scriptoribus historiae ecclesiasticae factus putatur Nerone Caesare, alter Domitiano, tertius Trajano imperatore. Verum tamen suo Christiani nomine ante Antonium Pium innotescere non coeperunt ab Judaeis discreti; id quod e Dione Cassio 37: 17. 67: 14. 68: 1. satis constat. Nam ex eo, quod Deum *ἀνονόμαστον* coluerunt, quem nec ostendere possent nec videre, calum-

niabantur adversarii eos atheos esse (Justin. ad Gr. 21. Apol. 1: 10, 61. 2: 6. Ibid. 1: 6. Athenag. Legat. 3. Minuc. 18: 10) *). Sed hoc idem opprobravit Juvenalis Judaeis:

Nil praeter nubes et coeli numen adorant.

Atque in Christianos certe multo rectius quam in Judaeos cadebat quod Tacitus dicit: „Judaei sola mente unumque Deum intelligunt.“ Vid. Dio 37: 17.

Hoc autem crimine τῆς ἀθεότητος Flavii Clementis condemnationem Domitianus praetexuit, qui, auctore Dione (67: 14) in Judaismum aberraverat. Suetonius autem (Domit. 15): Flavium Clementem, patruelem suum, contemtissimae inertiae, cujus filios etiam, tum parvulos, successores palam destinaverat, et abolito priore nomine alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum, repente tantum non ex ipso ejus consulatu (anno 96) interemit. Uxorem autem ejus Flaviam Domitillam, suam ex sorore neptem, in Pontiam insulam relegavit.“

Quaenam suspicio in talem virum pertinuerit, augurari licebit. Per contemtissimam inertiam Clementis credibile non est eum vanitate Romanae superstitionis perspecta Christi religionem unam verissimam atque saluberrimam et recta mente amplexum et ore libero professum esse. Immo stupidum hominem ac per se torpentem alienus animus impellebat, aliena voluntas, ni fallor uxoris Domitillae, cujus animus et regnandi libidine per maritum et filios, et metu, ut non vertat sententiam impotentia Domitiani vel aliquis casus spem datam

*) Dogma de Christi Deitate illo tempore Christianis nondum in mentem venerat. Nam si Jesum Christum proprium ipsorum Deum professi essent, ac rogati, quo nomine Deus ipsorum esset, respondissent: Jesus Christus, haec accusatio fieri non potuisset. Aliud est carmen Christo, quasi Deo, dicere (vid. Plin. epist. 10: 97). Pari modo Epicurei et Platonici laudis et gratiae causa suarum disciplinarum auctores hymnis celebrari soliti erant), et aliud, pro Deo quem adorare, venerari, precari.

intercipiat, ut sunt mulieres, distrahebatur. Jam supervenerunt primum sic affectae matronae, deinde per eum marito, atque in sua studia pellexerunt Sibyllistae, quo nomine Celsus τινὰς τῶν Χριστιανῶν vocat. Videatur Origenes c. Cels. 5: 16, ad quem locum Spencerus animadvertit, ex Justini Apol. 1: 44. intelligi, quanti Patres (certae cujusdam familiae) Sibyllina carmina aestimarint, qui spretis Imperatorum legibus, quae legenti poenam capitalem intentarunt, ἀφόβως, ut ait Justinus, coram suis et Gentilibus adeo recitarunt. „Fallebat horum carminum faber (sive unus sive plures) haud paucos et magnos etiam Christianorum doctores; verum gravem etiam rei Christianae invidiam creabat, quum nimis manifesta fraus esset, quam ut Christiani nominis hostium oculos effugere posset.“ Moshem. de rebus Christ. ante Constantin. M. p. 229. Vid. Orig. l. l. Lactant. 4: 15. Constantini Orat. ad Sanctos c. 19. *Οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσι — ὑποπτεύσαι δὲ τινὰ τῶν τῆς ἡμετέρας θρησκείας, ποιητικῆς μέσης ἐκ ἄμοιρον, τὰ ἔπη ταῦτα πεποιηκέναι, νοθεύσθαί τε αὐτὰ καὶ Σιβύλλης θεσπίσματα εἶναι λέγεσθαι.*

Hanc fraudem vero non invenisse putamus primos Christianos, sed imitatos esse Judaeos illos, proselytorum venatores. Nam 62. annis ante Chr. Lentulum illum, Catilinae socium, Sibyllistae, incertum Judaei an Ethnici, induxerant, ut crederet, ipsi fatum esse urbis potiri (Sallust. B. Cat. 47); et anno 86, ut Plutarchus (Mario 42) refert, *Χαλδαῖοι καὶ θυταί τινες καὶ σιβυλλισταὶ* Octavium deceperant. Similem fraudem egisse videtur jam 180 annis ante Chr. ille, qui libros Numae septenos, non integros modo, sed recentissima specie e terra effodiendos curarunt, plerosque, ut lectis rerum summis animadversum est, dissolvendarum religionum. Sibyllam quam dicunt modo Persicam, modo Chaldaeam, modo Phrygiam *), modo *τὴν προφῆτιν τῶν*

*) Animadvertendum est, vicinis fere oris Asiae minoris repe-

Ἑβραίων (Clem. Al. ad Gent. 6), eandem putamus, quam Justinus Babylone ortam refert filiam Berosi (בר הושע), qui circa annos 260 ante Christum natum (Vid. Tatian. c. Gr. 36. Theophil. ad Autol. 3:29), Antiochi II. regis Syriae gratia floruit, ac mea quidem conjectura tantum favorem apud Antiochum III. conciliavit suis, ut 2000 familias Judaeorum e Babylonia et Mesopotamia in Lydiam et Phrygiam traductas locis opportunis per praesidia disponeret, tamquam praeter ceteros hominum fideles iisque jus impertiret νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις etc. Joseph. Fl. A. J. 12, 3: 3. Idem Berosus (Plinio auctore 7: 37) Atheniensibus fucum fecit ita, ut ob divinas praedictiones ei publice in Gymnasio statuam inaurata lingua ponerent. Vitruvius testatur Berosum in insula et civitate Coo consedisse ibique aperuisse disciplinam; Josephus autem Flavius memoriae prodidit, eum scripta Astronomica et Philosophica Chaldaeorum intulisse Graeciae. Equidem ab illius aetate, hoc est ducentis quinquaginta annis ante Chr. Judaeos video suppositis libris fictisque carminibus Sibyllinis aliisque praedictionibus Graecos ac deinceps Romanos multis modis circumvenisse. Semper Judaei, prout fortuna imperiorum, quorum in finibus passim habitabant, nutavit, nutare simul soliti sunt atque apud hostes eorum, quos devicturos prospiciebant, gratiam inire proditionibus, ac deinde victores adversus populos novum dominatum indigne ferentes delationibus exasperare, ut Judaeos, tamquam praecipuae fidei, muneribus, officiis, ministeriis regiis atque emolumentis et privilegiis augerent posthabitis indigenis. Sic Persis, quos divinarant Chaldaeorum victores, Chaldaeos, Persas Macedonibus, Macedones Romanis, quantum fuit in ipsis, deinceps prodiderunt. Jam Romanum imperium labefatare molie-

riri locos, a quibus Sibyllae Cymea, Erythraea, Hellespontia nomen duxerint, Phrygiae, ni fallor, propagines, ejusdem generis Judaeas.

bantur, semetipsos terrarum dominos tandem existere sperantes, ut oracula Danielis, quae in Graecos haud succeserant), in Latinis eventum haberent. Quumque rem viribus belloque justo tam infeliciter gessisent: clandestinis artibus propositum peragere coeperunt, futurosque Titorum successores ad Judaismum sollicitare itaque sibi obstringere tentarunt, ut per eos, quum imperii potiti essent, dominari possent: nam si imperator, stirpe quamvis Romanus, religione et more Judaeus esset, rerum imperium Judaicum fore, Judaeos tali principe facile omnia consecuturos et occupaturos.

Nihil probabilius ergo videmus, quam Sibyllistas quosdam aucupatos esse eam quae inter Domitianum et Clementem Domitillamque intercedebat necessitudinem, atque quum exploratum haberent mulieris animum suis artibus opportunum, sese ad eam insinuasse oraculis, quae tempori votisque maxime inservirent. Nam quorum pluris interfuit quam Clementis ac Domitillae illa bestia, cujus numerus perhibetur 666, nomen significans Titan, quod Irenaeus, his mysteriis, si quis alius, initiatus per Joannis Apocalyptici familiarissimos, Polycarpum et Papiam, caute quidem prodidit. Videatur Westenius ad Apocal. 13: 18, qui acutissime perspexit paronomasiam ad Titos Vespasianos, patrem et filios, unice pertinentem. Jam posito, prophetas nostros Domitillae patefecisse arcanum et edocuisse, in fatis esse, brevi Titanum genus in profunda Tartara detrudi, Clementem autem potiri imperio ac dominari ad finem usque mundi, ea tamen conditione, si nomen Christo dederit, Davidis filio: nemo valde mirabitur ejus et Clementis conversionem. Et si suspiciosus Domitianus obscuris licet indiciis conjectare potuit, Clementem pollicitationibus imperii ab Judaeis fatidicis permotum esse, ut eorum morem cultumque amplecteretur, exitiali odio Titorum propter excidium Hierosolymorum fiscumque Judaicum flagrantium: causam satis superque idoneam habuit de medio tollendi patruelem atque exagitandi eos, qui talibus

artibus in favorem ejus venissent, Judaeos, ut suae vitae insidiatores. In quibus, ni fallor, chorum ducit Joannes, apocalypticus, illo tempore in insulam Pathmon relegatus. Haec autem persecutio admodum brevis fuit, quum Domitianus octo mensibus post Clementis necem periit. Conjuratis consilium operamque obtulit libertus (Dio 67: 15), nomine Stephanus Domitillae procurator, et tunc interceptarum pecuniarum reus (Sueton. l. l. 17). Quod Gibbonus negat, hunc Stephanum *) Domitillae ministrum, etiam religionis consortem fuisse, nulla memoria constat; conjectura, ni fallor, est capta ex eo, quod non relegatus esset vel punitus. At non est quod putemus, in universos nullo discrimine servos liberos, etiam stirpe et gente Judaeos, de Judaismo tum animadversum esse, sed in eos tantum Judaeos, qui corruptores Clementis ac Domitillae comperti erant, et in cives Romanos, ab iis in societatem Judaismi pellectos, quales Juvenalis Domitiani tempore his notavit versibus:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
Nil praeter nubes et coeli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges
Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus.

Et Tacitus: „Transgressi in morem Judaeorum idem usurpant, nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, filios vilia habere.“ Hist. 5: 5.

---

*) Stephani nomen, ut Electi quod infra occurret, Christianam indolem redolet. Nec verosimile videtur Domitillam proselytam procuratorem sibi delegisse, qui omnium rerum absentis quasi quidam paene dominus esset, hominem ab ipsius religione alienum. Si quas pecunias intercepit: interemti Clementis pecunias puto intercepisse fisco, quas dominae esse mentitus in ejus rem averteret.

Sic magnum ergo periculum fuit ac propemodum praesens, ut non parentibus proselytis filii, quos imperator sibi successores designaverat, Judaei toti redderentur, quod si praecautum Domitianus voluerit, nemo succensebit. Eadem ratione pati non potuit, ut Judaismus in Romanos serperet, ordine et honore eminentissimos.

De hoc Flavio Clemente nihil compertum habemus nihilque assequi licet conjectura, quo Christianus ab Judaeis discrepaverit. Odium certe Judaeorum in Titorum nomen fuit acerbissimum, qui templum eorum evertissent ac debellatos coegissent, quod prius patrio more didrachmum quotannis Jehovae suo pependerant, Capitolino Jovi solvere, qui praeter ceteros Judaicus fiscus acerbissime actus est sub Domitiano, ad quem deferebantur, qui vel improfessi Judaicam viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse, Suetonius tradit, me adolescentulum memini, quum a procuratore, frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus eess Domit. 12. Hanc persecutionem Christiani e circumcisione et judaizantes quam conquerentur habebant, quum nihil contra valeret professio Christi: nihilominus enim tum e posito praeputio, tum ex Judaica vita aestimabantur Judaei Quae vero Christianorum propria et praecipua ab Judaeis dissident, eo tempore Romani profecto nihil respiciebant.

Tum adhuc diversos omnino credimus Christianos Romae fuisse, alteros Paulinos, alteros judaizantes, ut Juvenalis ait, sabbata metuentes, suilla carne abstinentes aliisque Mosaicis ceremoniis fungentes, Judaicam denique vitam agentes, qua de causa in Judaeorum numero habebantur. His autem, non illis accesisse Flavium Clementem cum uxore sua citius crediderim, haud melioribus lenociniis irretitum, quam quae dudum exercere soliti erant Judaei, proselytorum venatores Matth. 23: 15, quem locum videsis a Westenio pluri-

mis testimoniis illustratum. Harum artium potissimam divinationem Juvenalis his versibus depingit:

Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymorum et magna sacerdos
Arboris ac summi fida internuntia coeli.
— — — — — —
Qualiacunque voles Judaei somnia vendunt.

Cujusmodi autem matronae arcanam praebuerint aurem Judaeae, disces e satyra sexta poëtae modo laudati ac brevissime quidem e Tim. 2, 3: 6, 7. coll. Act. 13: 50, et West. ad h. l. — Pharisaeos autem inprimis oraculis exponendis ac fingendis favorem principum opulentorum hominum captasse et quaestum fecisse Josephus Pharisaeus ipse et sententiis et exemplis luculenter docet. B. J. 1: 4. 2: 3: 27. A. J. 13: 9. 17: 3. *Φαρισαῖοί τινα καὶ ἀ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι λέγουσι ἔργον τινὰ δὲ ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ ἀ γίνεσθαι.* Ibid. 2. 8: 13. *Εἱμαρμένη τε καὶ θεῷ προσάπτουσι πάντα· καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ — κατὰ τὸ πλεῖον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι· βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην.* Epiphanius Haer. 16. „Et fatum et astrologia apud Pharisaeos valde in usu erat. — Extrema autem ipsorum dementia ac non vulgaris stultitia, quod cum resurrectionem confiteantur et judicium justum decernant, fatum esse dicunt. — E duobus enim necessarium est utrumvis: aut si genitura *) est, non esse judicium, propterea quod qui facit, non sua sponte facit, sed necessitate dominantis ipsi fati; aut si judicium est, — irritum esse fatum" etc.

Non autem, stultitia, sed *πλεονεξία* imputanda est iis, quibus sententia stetit: Mundus vult decipi. Ergo decipiatur!

*) Genitura, *γένεσις*, vocatur fatalis cujusque hominis sors, in genitura ipsius immutabiliter atque inevitabiliter assignata, quam e sideribus cognoscere nataliciis astrologi se doctos esse ferebant.

Hinc πολύτροποι nulla non arte quaestum faciebant, ut omnibus modis omnis generis homines sub suam auctoritatem vocare, irretire, sibi obnoxios facere, fraudare possent. Nam Deum Israelis, qui per Mosen scriptam inscriptamque legem dederit, quam interpretari unice calleant ipsi, homines, prout ejus praecepta sive teneant sive migrent, aeterna aut felicitate aut miseria et exitio mactare statuebant; tum fati necessitatem e sidere quo quisque natus sit cognoscendam trahere mortales, ita ut non possint non et agere et pati destinata; tum fabros suae fortunae homines atque in eorum arbitrio esse rem suam ut sapienter sic dextre gerere. Ut taceam eorum daemonologiam et artes quibus gloriabantur magicas daemonia sive spiritus relegandi, delegandi, eorumque ministeriis utendi, nec non eam sanctitatem per quam gratiosi suis fautoribus ac studiosis nihil non a Deo exorare queant. Fabulis haec denique omnia ementitis, ad hominum curiositatem libidinemque credulam compositis approbabant. Sic nostri omnia omnibus erant, religiosis irreligiosis, probis improbis, qualibet aegritudine aut libidine vel cupiditate affectis, et si qua successus frustra fuit, aliam et aliam viam sciebant, qua res expediretur.

Maxime dolendum, quod apud Dionem libro 62 inter capp. 18 et 19 piacula propter urbis incendium a Nerone facta prorsus desunt, nescio quibus de causis ab epitomatore expulsa. Non possumus enim nobis temperare, quin suspicemur, narrationem a Christianis traditionibus sive legendis plus nimis discrepasse, proptereaque a Xiphilino monacho oblivioni mandatam esse. Cassium certe ne sub Domitiano quidem Christianos dignovisse hoc nomine ab Judaeis vidimus supra, nec vero idem usquam deinceps in sui operis reliquiis mentionem facit Christianorum. Vel in Aurelio monachus, quae Dio memorat, ut parum laudabilia resecuit. Libro 70: 3. epitomator laudat Eusebium Pamphili toto seculo posteriorem Dione, et 71: 8, ubi pluviam M. Aurelio cum Quadis bellanti salutа-

rem Aegyptio Mago adscriptam esse Dio tradit, illam fabulam de legione Fulminatrice *) (κεραυνοβόλῳ) ab Eusebio traditam (5: 5) adnexuit **). Ceterum nolentes acta agere ad Clericum remittimus, qui hanc rem in historia duorum primorum seculorum pro eo quo polluit acumine exploravit, et ad Strothium in annotationibus ad Euseb. 5: 5.

Quid quod nec Paulus neque aliquis Apostolorum nomine Christianus est usus praeter semel Petrum 1, 4: 16. Sed nimia similitudo cum verborum tum sententiarum, quae huic epistolae cum Paulinis intercedit, praeter alias causas obstat, quo minus in αὐθεντίᾳ ejus confidere possimus. Trajani vel Hadriani tempore hanc epistolam nonnemo Paulinorum finxisse videtur, animos temperaturus, qui Presbyterianorum instigationibus exemplisque supra modum incaluissent. Eusebio quidem teste Papias et Polycarpus testimoniis utebantur e prima epistola Petri; sed nusquam Polycarpus librum unde laudet indicat: nusquam haec dicta significat ex alieno scripto adscita esse ejusque auctorem Petrum; immo vero in Polycarpi epistola ad Philippenses de Apostolis nemo praeter Paulum nominatur isque iterum. Insuper haec epistola nobis tam dubiae est auctoritatis quam Ignatii ad eosdem Philippenses. Quomodo se habeant Papiae laudationes, inspicere et judicare non datur deperditis scriptis.

Ceterum in proclivi sumus pro: πασχέτω — ὡς Χριστιανός rescribere ὡς Χριστός (Coll. Pet. 1, 4: 16. cum vss. 13,

*) Apollinaris, episcopus Hierapolitanus, Hegesippi et Irenaei tempore scriptor Apologiae ad M. Aurelium, quam traditam esse non magis crediderim quam Justini, falso scripsit, nomen legioni Fulminatrici ex hoc miraculo additum esse; et litteras M. Aurelii de hoc evento, apologiae secundae Justini adjectas, falsitatis convicit Scaliger. Vid. Strothius ad Euseb. 5: 5.

**) Apud Dionem 71: 10. Dio certe adulteratum est nomen. Caput 8 enim et 10 nullo modo cohaerent; nonum autem est a Xiphilino intersertum.

14. 4: 23. 3: 17, 18. 2: 21) scil. *διὰ δικαιοσύνην*, (Pet. 1, 3: 14. 2: 20).

Lucas quidem (Act. 11: 26): „Evenit autem, inquit quum Barnabas et Paulus Antiochiae advenissent annumque integrum docuissent, ut idonea turba (Graecorum v. 20) colligeretur in ecclesiam; et tunc primum nomen invenerunt in Antiochia discipuli Christiani *)." Commate 19 et 20 in scenam prodeunt Evangelistae diversi, alteri nonnisi Judaeis *λαλοῦντες τὸν λόγον*, Hellenistis; alteri ad Graecos, *Ἕλληνας*, verba facientes. Qui, quum accessissent Barnabas et Paulus, ecclesiam ibi *τῶν ἐν ἀκροβυστίᾳ πιστευόντων* condiderunt, separatim omnino ab synagoga Judaeorum Antiochenorum illustri, quam videsis apud Jos. Flav. B. J. 3: 3. Lucae autem relata cum Pauli Gal. cap. secundo nullo modo conciliari possunt. Nam Barnabae hanc provinciam ab ecclesia Hierosolymitana decretam esse eumque Paulum socium adsumsisse, commentus est Lucas. Non enim permissu sive mandatu Apostolorum et ecclesiae Hierosolymitanae, sed numine plusquam humano, Paulus in 17 annum usque ab sua conversione, sive ultra quinquagesimum Christi, *ἀποστολὴν τῆς ἀκροβυστίας ἣν πεπίστευται*, gesserat, Barnabam socium et comitem habens, non adjunctus Barnabae. Tum demum Apostolos, qui principes videbantur, rerum ab ipsis gestarum certiores fecerunt; tum demum Cephas, Jacobus et Joannes cognoverunt gratiam Paulo datam, dexterasque junxerunt communionis, ut utrique suas provincias, hi inter Judaeos,

*) Receptus textus est omnino misere corruptus, pro quo e Vulgata versione et varietate lectionis apud Griesb. quod maxime probabile videtur composuimus: *Ἐγένετο δὲ αὐτοῖς παραγενομένοις ἐκεῖ καὶ διδάξασιν ἐνιαυτὸν ὅλον, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συναχθῆναι ὄχλον ἱκανὸν καὶ τότε πρῶτον ἐχρημάτισαν ἐν Ἀντιοχείᾳ οἱ μαθηταὶ Χριστιανοί.* — Act. 26: 28. rex Agrippas suo ingenio fingit et usurpat nomen *Χριστιανόν*, non ex ore Pauli auditum; et Paulus v. 29. non dicit *γενέσθαι Χριστιανόν*, cujus in epistolis nusquam hoc nomen repereris.

illi inter Gentes tenerent, nulla nisi benignitatis et largitionis conditione. Quae si ita fuerunt, fabulam narrat Lucas 11: 22, 26; fabulam 15: 2—34, nullaque dogmata Paulus suscepit ab apostolis et presbyteris Hierosolymorum tradenda ibid. 16: 4. quem contraria potius docentem passim reperimus Gal. cap. 4, 5. Cor. 10. Rom. 14. Col. 2. etc. dogmata quaevis aspernantem, solamque caritatis legem agnoscentem divinam, non apostolicam, quae, si cujuscunque rei adiaphorae usu fratris conscientiam laesura esset, abstineri praecipiat in perpetuum. Hoc autem dogma non est, sed legis naturae, id est divinae judicium, non in una et altera sed in omnibus hujus generis causis. Dictum Lucae Act. 11: 26 haud aliter accipere licet per sensum communnem, quam eos, quos Antiochiae Paulus et Barnabas ad religionem Christi colendam instituissent, anno circiter 40, voluntate sua vel approbatione nomen Christianorum sumsisse. Nihil autem a Pauli mente et consilio magis discrepat quam nominum aut aliqua insignia, quibus homines pii segregentur atque in partes factionesque adeo discedant. Hoc enim nomine Christianorum non universos et singulos ab origine vocatos esse historia docet, qui Jesum Christum profitentur, sed Graecos, qui quum in religionem disciplinamque Jesu Christi sese contulissent, *ἰουδαϊκῶς* vivere noluerunt, persuasum habentes, *δικαιωθῆναι καὶ σωθῆναι ἐκ πίστεως Χριστοῦ*. Quasi Judaei, *οἱ πεπιστευκότες ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ*, attamen *ἰουδαϊκῶς* vivere pergentes, quemadmodum illi *ἐθνικῶς*, non Christiani essent; aut Judaei, qui non quidem venisse Christum, sed venturum credebant atque desiderabant, hoc nomen Christianorum sibi vendicare non possent.

Post Westenium ergo cum Kuinoëlio censemus, id quod Act. 11: 26. dicitur, Christi cultores ipsos primum usos esse Christianorum appellatione inde ab anno 40 Christi, non modo probari nequire, sed gravibus argumentis negandum

esse. Quanto autem, a quibus, qua mente, altioris est indaginis.

Primis, apud quos hoc nomen occurrit, Suetonius et Tacitus hoc nomen cum notione subjecta hominum superstitionis novae ac maleficae, si quid sentio, didicerant ab Judaeis, quibus delatoribus hoc vocabulum, ipsa sua forma in a n u s invidiosum, factionis ac seditionis intellectum apud R o m a n o s habens, commodissimum videbatur. Postmodo Trajani tempore non omnes ubique gentium, Jesum magistrum professi, sed quaedam partes eorum, per Asiam propriam et confinia, potissimum Presbyteriani, hoc nomen ab hostibus impositum adamare et prae se ferre coeperunt ad lacessenda quasi supplicia. Hinc ubi Trajanus, Plinius, Marcus Aurelius, principes et magistratus loquuntur de r e i s, hoc nomen tamquam f o r e n s e usurpant; non item alii scriptores historici et philosophici, ut Arriani Epictetus 4: 7, Dio Cassius etc. Sic facile est cogitare, ut sine crimine multi infitiari sese C h r i s t i a n o s potuerint, qui *ἰησοῦν κύριον* ut infitiarentur, cruciatus nullus adegisset. Nam Ebionaei, Gnostici, Paulini non earum partium fuerunt, qui homines tantummodo s u i d o g m a t i s Christianos esse et haberi vellent. Vid. Just. Dial. 35. Hujus autem unius generis Christianos *διὰ τὰ δόγματα* punitos esse, Justinus (Apol. 1: 60) fatetur; ceterarum partium Christiani, Gnostici, Marcionitae, inquit, *ὃ διώκονται, οὐδὲ φονεύονται ὑπὸ Ῥωμαίων.* Haec igitur dogmata, propter quae vexabantur, aut verum Christum spirabant, quem Apostoli docuerant, aut secus. Si falsum, istorum quae dicuntur martyria vana sunt.

Nos certe, perspectis et cognitis rebus, Christianorum persecutionem, quam Sulpicius aliique numerant primam sub Nerone, non tam Romanis quam Judaeis delatoribus imputare possumus ac Poppaeae, eorum fautrici, aliisque aulicis Neronis cum Poppaea facientibus, ut unum nominem,

Epaphrodito, liberto *) Neronis eique a libellis, cui Josephus Flav. anno 13. Domitiani, Christi 93 vel paulo post *ἀποδέδωκε τὴν πᾶσαν τῆς ἀρχαιολογίας γραφὴν, κρατίστῳ ἀνδρῶν.* Vid. Jos. Biographia extrema, Archaeol. prooem. i eap. 1, et libri 20. finis. Sic magna pars mulier fuisse videtur in persecutione Neroniana Poppaea, in Domitiana Flavia Domitilla. Id contra sub Commodo usu venit, sub quo Marcia, *ἣν εἶχε τῶν παλλακίδων τιμιωτάτην, ἢ ἀδέν τι ἄπειχε γαμετῆς, γυναικός* cum Electo, liberto Commodi a thalamo, Christianorum fautrix praesidiumque fuisse fertur (Vid. Dio 72: 4. vel potius Xiphilinus, et Herodian. 1: 16, 17).

*) Ministeria principatus per libertos agi solita (Tac. H. 1: 58). Plinius Panegyr. 88. „Plerique principes, quum essent civium domini, libertinorum erant servi. Horum consiliis, horum nutu regebantur; per hos loquebantur; per hos praeturae etiam et sacerdotia et consulatus, immo et ab his petebantur. Tu — scis enim praecipuum esse indicium non magni principis magnos libertos.“ Liberti Epaphroditus Neronis a libellis, Narcissus Claudii ab epistolis usque ad annum Chr. 54, Pallas ejusdem a rationibus, Polybius a studiis etc. Atqui genus libertinum Romae maxime Judaicis sacris addictum fuisse, Philo est auctor Leg. ad Caj. et Tacitus A. 2: 85. refert factum esse patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in Sardiniam veherentur, ceteri cederent Italia etc. Sueton Tib. 36. Joseph. A. 18: 4. Plures opinione profecto Judaei vel Cryptojudaei Romae libertorum nomine in aula Caesarea aliisque opulentis domibus permultum multisque modis valebant. Narcissum talem fuisse suspicor (Rom. 16: 11. Phil. 4: 22), Epaphroditum, patronum Josephi, Electum, Commodi a cubiculo (Herodian. 1: 16); mihique admodum verosimile videtur illum *κράτιστον* Theophilum, cui sua scripta Lucas dedicavit, sicut *κρατίστῳ Ἐπαφροδίτῳ* Josephus, libertum imperatoris alicujus fuisse, fortasse sub Severo (187—211), cujus filius, lacte Christiano educatus Christiano magistro Evodo tanto decori fuit, quanto Senecae philosopho Nero. Prout liberti utriusque sexus disciplinae Christi vel adversantes vel faventes secundo tertioque seculo apud imperatores atque magnates praepollebant, aut iniqua aut secunda fuisse fortuna Christianorum videtur

Tantum digressi sumus ad probandum, duobus certe primis seculis nullam Christianorum persecutionem propter hoc ipsum, quod vera praecepta institutaque Christi sequerentur, principibus orbis Romani merito crimini dari.

Conjurati ad necem Domitiani tres liberti ejus adeoque uxor Domitiae Nervam commoverunt, ut vacuum principatum occuparet, qui statim anno Chr. 96. cunctos majestatis reos absolvit, cunctisque exulibus redeundi veniam dedit, omnes autem servos ac libertos, qui suos dominos perfide prodiderant, morte mulctavit; denique interdixit, ne quem servum libertumve dominum suum accusare liceret vel ab alieno (servo

---

Grotius (ad Nehem. 1: 11): „Multis Hebraeis multae apud reges exteros non modicae dignitates obtigere, ut Danieli et sociis ejus, Zorobabelo (Nehemiae, Mardochaeo Esth. 8: 2). Idem et posteris temporibus evenisse videas apud Mahumetanos reges in Hispania, Africa, Aegypto et Turcarum imperio."

Hoc enim institutum despotae tenuerunt antiquitus, ut non populares et cives, non viros generosae stirpis et indolis, ingenue educatos, suo corpori proximos esse vellent, necessitatum suarum, curarum, cogitationum arbitros et conscios, sed servilis aut libertinae conditionis homines. Jam apud Babylonios et Persas eunuchi fuerunt (Reg. 21. 20: 18. 24: 15. 25: 7) Judaei; unde credimus, Danielem ejusque sodales, Nehemiam atque etiam Zorobabelum, סָרִיסִים fuisse, quorum nulla proles in V. T. memoratur; et quod Jeremias 22: 23—30. praedixit, in Zorobabelum sine dubio pertinet. Falso igitur genealogiae hunc eunuchum inter majores Jesu Nazareni numerant, quasi per eum Davidis genus propagatum esset, Hos igitur Judaeos eunuchos litterae sacrae et Joseph Fl. tradunt ministeriis aulicis functos esse regumque magnorum gratia floruisse. Quumque semel artem addidicissent, regum famulos nomine, re potentes evadendi, quod per impotentiam dominorum adulando, lenocinando, deferendo, incendendis alendisque eorum libidinibus facillime cessit: sub Alexandri M. quoque successoribus et Romanis imperatoribus in aulas insinuarunt. Quamobrem a liberis civitatibus abhorrentes ad tyrannos ubique studia sua conferebant ac principibus luxuriosis, libidinosis, vecordibus magis gaudebant, quam prudentibus, fortibus, justis.

libertove) quisquam crimine majestatis aut religionis et moris Judaici deferretur Dio. 68: 1. Quod quidem haud novum sed instauratum Titi edictum Trajanus continuavit ac severius exercuit (Vid. Sueton. Tit. 8.) A delatoribus enim aversus fuit hic princeps, quo meliorem Romani nullum habuerunt, nec pronus in iram nec magis appetens alienorum quam innocentis sanguinis. Idem 68: 1.

Quod Sulpicius narrat, et scriptores historiae ecclesiasticae vulgo tradunt, tertiam persecutionem Trajani fuisse, Hegesippi tantum fabulis constat. Melito enim, Hegesippi tempore episcopus Sardianus, libello supplice, quem ad Antonium Verum scripsit: „Soli, inquit, omnium imperatorum, Nero ac Domitianus, a malignis hominibus inducti nostram rationem in crimine ponere voluerunt; a quibus etiam illud calumniae mendacium adversus tales insana consuetudine manavit. Verum dementiam illorum tui pii patres correxerunt“ etc. Euseb. 4: 26. Similiter Tertullianus (Apolog. 5): Reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse. — Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate — Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum edite aliquem debellatorem Christianorum! Quales ergo leges istae, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est, quas nullus Hadrianus, nullus Pius, nullus Verus impressit“ (id est vim addidit, velificatus est exercendis).

Sed vero in jus vocatos poenisque affectos esse Christianos Trajani tempore constat ex Arriano Epict. 7: 4. Plin. Epist. 10: 97, 98. Antonin. 11: 3. cum animadv. Gatackeri. Attamen non per Trajanum, ut Sulpicius insimulat, non edicto Trajani persecutio facta est: nam si quid ejus fuisset, latere non potuerat Plinium, propraetorem. „Immo Trajanus ei rescripsit, conquirendos non esse Christianos; tantummodo si deferantur

et arguantur puniendos; nec locum habere sine auctore propositos libellos.“

Sine dubio Trajanus lege voluit agi. Jam sciscitamur qua lege? Non imperiali profecto. Nulla enim lege nullove edicto unquam constitutum fuit, cujus religionis vel esse vel non esse deberent universi et singuli, quos Romani principes in sua potestate ac ditione tenerent. Imperatoriam sapientiam haec fere praecipere existimavit Maecenas Augusto: *Τὸ μὲν θεῖον πάντη πάντως αὐτός τε σέβε κατὰ τὰ πάτρια καὶ τὺς ἄλλες τιμᾶν ἀνάγκαζε. Τὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον* (quod bene notandum) *τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας ὃδ' ἄλλε ἄν τινος προτιμήσειεν* (ex. c. vel *τὸν αὐτοκράτορα* revereri supersederit), *ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν. Κἀκ τούτε καὶ συνωμοσίαι καὶ συζάσεις ἑταιρίαι τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει.* Dio 52: 36. Ut nobis quidem videtur, quam maxime decet, *τὺς αὐτοκράτορας* non minus quam liberarum civitatum principes ea quae tradita sunt a majoribus de rebus divinis, perspecta habere, quidnam eorum religionis proprium sit, quid contra superstitionis, illiusque persuasionis plenum esse: Opinionum commenta, quibus viget superstitio, delet dies; naturae judicia, quae continent religionem, confirmat. Tum, quae Cicero (Divin. 2: 72) prudentissime monuit ac praecepit, felicissime sequentur: „Ut vere loquamur, inquit, superstitio fusa per gentes omnium fere animos atque hominum imbecillitatem occupavit. — Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis sapientis est; et esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam admirandamque humano generi pulchritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri. Quamobrem ut religio etiam propaganda est quae est juncta cum cognitione naturae: sic superstitionis stirpes omnes ejiciendae.“ Frustra

enim vel maximi reges tentabunt prohibere diem, quo minus opinionum commenta deleat. Quibus deletis ea, quam suis rationibus unam utilissimam censent, superstitio alias ex aliis stirpes amittat et sensim exarescat, necesse est. Intermortua vero dissolutaque superstitione mox conclamata erit stabilitas illa monarchiarum et oligarchiarum, quae ex aliqua superstitione pariter cum hierarchiis ordinibusque sacris aptae et suspensae sunt. Male se res habet, si politicis cum superstitione convenit, non convenit cum religione. Verum enim vero Maecenatis consilium nonnisi Romam civesque spectat Romanos. Imperii, cujus orbis praeter solum natale diversis et longinquis provinciis constat, alia ratio esse videtur, tum quoniam ex re dominorum esse videtur subjectos variae et miscellae religionis esse, *ὅπως μηδέποτε ὁμονοῆσαι δύνωνται οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην* *). Tum quoniam prudentiae pariter et clementiae pars est avitae religionis usum victis nisi persuasis non eripere, quod ut victis pergratum, ita victori innoxium probat Agrippa oratione ad Cajum, quam Philo recitat in legationis suae renuntiatione. Et apud Josephum tum ipse Josephus tum Titus imperator rebellibus Hierosolymitanis objiciunt, quod Romanorum beneficio sacris suis tanto cum jure uterentur, ut templo alienigenos arcere possent etiam capitis periculo **).

Accedit, quod in orbe Romano multis ac diversis civitatibus, quum in fidem ditionemque populi Romani se permiserunt, circa res privatas publicasque minores suae leges suique mores relicti erant, atque Augustus *τοσαύτην ἐποιεῖτο τῆς βεβαιώσεως τῶν παρ' ἑκάστοις πατρίων ἄσην καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐπιμέλειαν* ut Philo tradit legat. ad Cajum. Huc referendae sunt *αἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐλευθέραι πόλεις*, quibus praefuit Herodes, unus de praeceptoribus M. Aurelii. Sic

*) Vid. Diod. Sic. l. 2.

**) Grotius de Jure B. et P. 11.

in Bithynia proconsulari provincia Apamea civitas privilegium habuit suo arbitrio rempublicam administrandi, ut Plinii epistolae 10: 56, 84, 109, 111 et 113 docent; et alibi Bithynis sui magistratus, suae bulae, suae ecclesiae. Sic et in Ponto Amisenorum civitas legibus suis utebatur Luculli beneficio. Hujusmodi magistratus fuerunt Irenarchae, ex. c. Smyrnae, et Asiarchae sive ἀρχιερεῖς τῆς Ἀσίας apud Euseb. 4: 15. cum annotatt. Valesii, et Act. 19: 31. cum annotatt. Kuinoel. Ἀσιαρχία, Βιθυναρχία, Καππαδοκαρχία inter ἔθνος ἱερωσύνας recensentur. Haud igitur profecto dubium est, quin hae civitates suo jure pontificio usae fuerint legesque servaverint antiquas de rebus divinis, ut ex c. Athenis τῆς ἀσεβείας reus actus est Paulus (Act. 17: 22), sicut quinque seculis ante Socrates *). Hinc pro certo putamus, imperante Trajano Christianum se profiteri certi criminis loco non fuisse, sed flagitiorum insimulatos esse Christianos, quae si quis fecisset vel dixisset, certae civitatis lege impietatis reus damnandus fuerat, priusquam nomen Christi, nedum Christianorum fando auditum esset.

His praecognitis demum quod Plinio Trajanus rescripsit recte intelligere possumus atque ex aequo et bono judicare. Primum dicit, Propraetoris Romani non esse conquirere („Sensus hic est: rectores provinciarum non decere per speculatores et satellites suos indagare genus et sectam Christianorum; si qui tamen ab accusatoribus denuntiati sint, eos omnino puniendos esse.“ Valesius ad Euseb. X 3: 33) eos, qui adversus legem aliquam non imperialem sed alicujus civitatis propriam peccaverint; sin autem deferantur et arguantur lege, tum puniendos esse convictos atque confessos **), quoniam Augusto non minori curae esse debeat

*) Vid. Barthélemi, Anacharsis recentior. P. 1. cap. 1. extr. P. 7. Annot. prima Biesteri. Xenoph. Memor. 1: 1. initio.

**) Haec inter se non pugnant, ut Gibbonus opinatur, qui Trajani

custodia legum propriarum cuique genti *) quam Romanorum. Non autem concessit princeps sine auctore propositos libellos, itaque exclusit occultos accusatores, qui sensu angustiore delatores vocantur, voluitque ut accusatores manifesti et omnem invidiam criminationis subirent, atque si homines improbi essent, vicissim in periculum adduci possent; et si accusatorem vinceret judicio reus, acribus illis quas delatoribus Trajanus constituerat poenis mulctaretur.

Clericus (Hist. Eccl. Sec. 11. p. 552 sqq.): In hoc rescriptum Trajani merito invehitur Tertullianus (Apol. 2): „Plinio Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos **) ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit.“ etc. Re vera, adjicit Clericus, species tantum erat moderationis in Trajani rescripto: nam quamvis magistratus publicas quaestiones non haberent: inimicis tamen suis tradebantur Christiani, quos satis erat deferri ad magi-

---

verba parum intellexit: non enim princeps vetat inquirere causas, sed conquirere accusandos, quod quidem delatoris est, non praetoris.

*) Si sacerdotes ἴσας κατηγορίας, satis valida testimonia, reperisseut, quibus τῆς ἀσεβείας lege Judaeorum propria Jesus convinceretur: permiserat procurator Romanus, ut supplicium sumerent. Sed arguere eum id est convincere criminis capitalis minime poterant, nec divino neque humano, Judaico non magis quam Romano jure. Marc. 14: 55—59. Jo. 18: 29 sqq. Pilatus facile concessurus erat Sacerdotum collegio κατὰ τὸν νόμον αὐτῶν Jesum condemnare et supplicio afficere. Sed non convictum confessumque Jesum habebant ullius criminis contra jus sacrum patriae suae commissum. Haud igitur poterant eum judicare et condemnare κατὰ τὸν νόμον αὐτῶν. Jo. 18: 31. Quod si potuissent, Pilatus nihil moratus esset justo judicio condemnatum tradere supplicio,

**) Non satis caveri potest hic calumniatrix vafritia Tertulliani, qui falsata voce et Clericum et Gibbonum induxit, ut de principe aequissimo iniquius sentirent. Differt enim inter con — et in — quirere.

stratus ut plecterentur, nisi religioni Christianae nuntium remittere vellent; nunquam autem iis defuisse inimicos apud Ethnicos facile est intellectu, cum manifestum esset delatorum lucrum.“ Ecce Clericum, ut sincerum ejus et subtile judicium hac in re calumniosus Tertullianus a recto veroque transversum egerit! Hoc ipso, quod Trajanus declaravit, ipsum nolle conquiri a Propraetore, qui Romani imperatoris nomine provinciam moderabatur, declaravit ipsi gratas non esse persecutiones Christianorum eorumque conquisitores ac delatores apud ipsum nullam gratiam inituros nihilque inde lucri facturos esse. Deinde ex rescripto manifesto cernitur, non satis fuisse deferre, sed arguere debuisse accusatores non clanculum, sed palam ita, ut reis adeoque toti civitati innotescerent. Sic homines capite deminuti atque infames prohibebantur, delatores agere cupientes; necnon famuli reorum aut alii servilis conditionis edicto, quod supra dedimus Nervae, exclusi erant. Contraria quoque accusatione quam *ἀντιγραφὴν* forensi vocabulo dicunt, reus accusatorem non ignotum, si res tulit, depellere poterat. Ceterum, ut Cicero docet (Tusc. 2: 14) „duri hominis vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam committere ut accusator nominetur. Quapropter hoc quidem non est saepe faciendum nec unquam nisi aut reip. causa — aut patrocinio; — semel igitur aut non saepe certe.“ Viri graves, honesti, humani certe non sustinebant, homines, propterea quod ad praecepta institutaque Christi ut animum et mentem sic mores conformassent quales Petrus per totam fere epistolam catholicam informat, in periculum capitis vocare, *μὴ ἀλλοτριοεπισκόπους*, non insolenter suos cives, qui *τὴν ἀναγραφὴν πατροπαράδοτον* nondum deseruerant, lacessentes probris *),

*) Ex. c. Romanus ille, Caesariensis ecclesiae diaconus et exorcista, Antochiam ingressus, quum viros una cum mulieribus et pueris

et aliorum religiones, cerimonias, sacra exsecrantes dirisque oraculis vulgum sollicitantes. Tandem, quum nihil facilius nihilque simul periculosius sit quam per speciem religionis infestos habere alios: apud veteres, Athenienses certe, sub quibusdam conditionibus supplicium mortis in eos constitutum erat, qui quem τῆς ἀσεβείας reum egissent convincere criminis nequirent. Vid. Poll. 8, 6: 4.

Legimus martyria complura Ignatii, Polycarpi, Pothini et Lugdunensium, aliorumque multorum, sed quotusquisque eorum suam vel Christi causam sana cum ratione, nedum cum dignitate dixit, ita ut cum Paulo in Areopago vel apud Felicem et Agrippam sese defendente comparari posset? Quam multos contra vesania quaedam, a Christi et verorum apostolorum mente et sententia, quin ab humanitate longissime discrepans, μαρτυριομανία quispiam non inepte dixerit, impulit, ut „judici (non judex iis) vim facerent (Pearsonii verbo utor e Vindiciis Ignat. libro 2. cap. 10), ut ex c. ille Romanus Antiochiae? in quos cadit illud: Non fit injuria volentibus.

At vero, dixerit quispiam, sic Trajanus propraetori dictavit: Si arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit (id est supplicando Diis nostris) — veniam ex poenitentia impetret.

Nullam igitur optionem dedit convictis, nisi ut eligerent aut poenam subeundam aut persuasionem infitiandam conscientiamque laedendam. Respondemus, multum referre, quomodo Trajanus nomen Christianorum acceperit. Constat enim ejus aevo plurimos passim in orbe Romano fuisse μαθητεύσαντας τῷ Ἰησοῦ, minime autem omnes hoc nomine vocari voluisse, cui factionis cujusdam notio subjecta erat.

---

catervatim ad simulacra Deum accedere et immolare videret, — ζήλῳ θεοσεβείας πρόςεισι, κἀκείνοις μεγάλῃ φωνῇ κεκραγὼς ἐπιπλήττει. Euseb. de Martyr. Palaest. c. 2.

Jam sub Nerone omnino ab Judaeis, quos in Palaestina Nazoraei vocare soliti erant, Romae ad creandam invidiam Christianos vocatos esse animadvertimus; ante Trajanum autem, qui Jesum magistrum suum rerum divinarum habebant, hoc nomine semet ipsos appellasse, nullius, quantum scimus, exempli est. Quid quod a primordio magna pars fidelium eaque candidior Jesum Nazarenum non Christum, id est regem Judaeorum, quem Davide prognatum Nathan et ceteri Davidis domo regnoque Judae addicti vates praedixerant, sed illum prophetam a Mose promissum ex Israelitis oriundum, ut desideraverant, sic Jesum extitisse credebant. Hujus mentis ac sententiae fideles *) nomen Christianorum, Messianorum, non assumserant, quod βασιλείαν ἐκ τῦ κόσμυ τύτυ potius, quam auctoritatem et potestatem in animos hominum vi sola veritatis parabilem sonat. Maxime ergo quis fidelis attamen Christianus vocari nolebat, quod nomen Presbyteriani aevo Trajani suis partibus praecipuum attribuerant. Vid. Just. Dial. 35, 80.

Plinius delatos, si qui negarunt se Christianos esse, coëgit imaginem imperatoris Trajani deorumque simulacra thure ac vino venerari, praeterea maledicere Christo. Trajanus autem impunitos dimitti jussit sub ea conditione, ut Deis imperii Romani supplicarent. Non postulavit, ut imagini suae vel simulacris numinum thure ac vino, sed simpliciter, ut supplicarent Diis imperii Romani. Et quod scripsit Diis, numerum urgere vel imperitum vel calumniosum esset. Nam quis est modo paullulum versatus in litteratura illorum temporum, qui nesciat apud viros liberaliter eruditos et supra vulgum sapientibus hoc nomen pridem in plurale tantum abiisse quemadmodum אלהים apud Hebraeos. Justinus Apol. 2.

*) Quem monimenta eorum visere lubet, lustret potissimum recognitiones et homilias Clementinas. Fragmenta quoque Gnosticae litteraturae pleraque cum iis conspirant.

6. inepte agit, Antoninos docens, quod ipsi rectius docti erant a philosophis Graecis Latinisque, ex c. a Seneca, qui (de Benef. 4: 7): „Quid aliud est natura quam Deus et divina ratio, toti mundo et partibus ejus inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare, et Jovem illum O. M. rite dices et Tonantem et Statorem — quod stant beneficio ejus omnia, tutor stabilitorque omnium est. Hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris. Nam quum fatum nihil aliud sit quam series implexa causarum: ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent. Quaecunque voles, illi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque caelestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse quam munera. Hunc et Liberum Patrem et Herculem ac Mercurium putant, Liberum Patrem quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est etc.; Herculem quia vis ejus invicta sit; Mercurium quia ratio penes illum est numerusque et ordo et scientia.“ etc. Cedo, quid planius ac probabilius hac in re Patres quam Seneca docuerunt? Justinus, qui (ad Graecos 21): *Οὐδὲν ὄνομα ἐπὶ θεῷ κυριολογεῖσθαι δυνατόν. Τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων, πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων· θεῷ δὲ ἅτε ὁ τιθεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, ἅτε αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζειν ᾠήθη δεῖν, εἷς καὶ μόνος ὑπάρχων* etc. Qua, si Diis placet, ratione quid levius esse potest? Nam homines, licet sidera, montes, maria, herbae, animalia prius quam ipsi orta essent, justa nomina iis imposuerunt. Et si nomen Dei nullum esset, qui possemus de Deo inter nos quidquam disserere. Idem Apol. 2: 6. hoc argumento iterato adjicit: *Τὸ πατὴρ καὶ θεὸς καὶ κτίσης καὶ κύριος καὶ δεσπότης ἐκ ὀνόματά ἐστιν ἀλλ' ἐκ τῶν εὐποιῶν καὶ τῶν ἔργων προσρήσεις.* Theophil. ad Autol. 1: 3. *Τὸ μὲν εἶδος τῦ θεῦ ἄῤῥητον καὶ ἀνέκφραστον. — Εἰ γὰρ φῶς αὐτὸν εἴπω, ποίημα αὐτῦ λέγω· νῦν* (mentem) *ἐὰν εἴπω, φρόνησιν* (prudentiam) ejus dico etc. Tertull. (adv. Marcion.

5: 11): „Deus, inquit commune vocabulum factum est vitio erroris humani, quatenus plures Dei dicuntur atque creduntur in mundo“ Praeclare Minucius cap. 18 et 19. unitatem Dei comprobavit Classicorum auctoritate, qualem si Plinius et Trajanus audivissent orationem, non impios esse homines aut fanaticos qui ita sentirent, intellexissent.

Quid ergo decebat Christianos in Bithynia, si sanae mentis erant, Jesuque et Apostolorum proborum disciplinam tenebant, ad hoc Trajani postulatum respondere? In hunc fere modum, opinor: Quod Princeps jubet, cui *ὑποτεταγμένοι ἐσμὲν ὲ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν*, scientes, *ὅτι αἱ ὅσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τῦ θεῦ τεταγμέναι εἰσὶν, ὥςε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τῦ θεῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν*; probe docti a magistro divino per doctores nostros ab ipso profectos praeceptis et exemplis, *τὸν θεὸν φοβεῖσθαι, τὸν βασιλέα τιμᾷν, ἀποδιδόναι τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τῦ θεῦ τῷ θεῷ*, ejus jussum semper ultro peregimus ac peragemus. Supplicamus enim quotiescunque sacrorum causa conventum facimus, *ἐν παντὶ τόπῳ ἐπαίροντες ὁσίας χεῖρας ὑπὲρ βασιλέως καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων, ἵνα ἥρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι. Τῦτο γὰρ καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τῦ σωτῆρος ἡμῶν θεῦ*. Confer. Tertull. Apol. c. 30. Hoc si qua causa sit addubitandi, per certos viros provinciae rector pro sua potestate conventus nostros exploret, inspiciat; neque nos subtrahimus, ne diebus solemnibus, quibus universi provinciales pro salute principis et imperii vota facere solent, publice stato tempore et loco in partem supplicationis veniamus. Modo liceat haud aliter, quam pro nostra nostrorumque salute jus fas putamus, fundere preces ad unum Deum, *τὸν ὄντα*, Patrem ex quo cuncta, *εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ εἴτε ἐν ὐρανῷ εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς*. Modo *κατὰ τὴν γνῶσιν ἡμῶν καὶ κατὰ τὴν πίςιν τὴν ἰδίαν* agendi venia detur! *πᾶν γὰρ ὁ ὐκ ἐκ πίςεως ἁμαρτία ἐςίν*.

Hunc fere in modum, si quis orator mente animoque Panlum aut Petrum referens apud principem reos defendisset: persuasissimum habemus, Trajanum iis placidissime sub his conditionibus omnem poenam condonaturum fuisse. Sin autem vel optimam causam aut tam perverse dicebant, ut suspicionem augerent crimenque probabilius redderent, aut intolerabilem παράταξιν ostentarent, aut instituta, leges, mores civiles execrarentur; si contraria omnia faciebant ejus praeceptis, cujus nomen profitebantur: vel clementissimi judices non poterant non in eos edere exempla. Tam insanos autem et furiosos apud magistratus ac judices Presbyterianos apparuisse, illorum martyria arguunt atque apologiae Justini.

Tantum ergo abest, ut sententiam Trajani atro dente petamus, ut potius regeramus Tertulliano: O sententiam, qua aequiorem, sapientiorem, mitiorem vel christianissimi reges nullam tulerunt in homines ab suis religionibus et cerimoniis plus minusve alienos! Sacra illa inquisitio, quam Papatus medio aevo procreavit atque tot seculis aluit, quantumvis minuta vestigia haereseos avidissime indagans innumeroque numero suarum victimarum gaudens et omnes Neronès, Domitianos, Phalarides artibus crudelitatis longissime superans, a clementia principis ethnici quantum intima leti Tartara ab Olympo distant. Quod Gibbonus ante nos judicium tulit. 3: 16.

Quid est igitur causae, quod Melito dissimulet, quae sub Trajano adversus Christianum nomen acta testantur Graeci Latinique auctores Plinio epist. X. 97, 98. Arrian. Epict. 7: 1. Tertull. ad Scap. 5? Respondemus, persecutorem Trajanum non fuisse, quatenus rescripsit Plinio, conquirendos non esse Christianos; tantummodo, si deferantur et arguantur, puniendos; nec locum habere sine auctore propositos libellos (Plin. 10: 98) *). Sed quanam lege sci-

*) Nerva, qui proximo post Fl. Clementis necem imperio potitus erat, anno 96. omnes majestatis reos dimisit, omnibus exulibus redeundi

scitamur: cujus criminis? Christianum se profiteri per se capitalis criminis loco fuisse, haud crediderim, sed eam, quae Christianis imputabatur *ἀθεότης*, nullo licet edicto Caesaris, at legibus Graecarum civitatum antiquis, a Zaleuco, Charonda, Solone etc. latis *). Constat enim non solum municipiis, sed etiam *τοῖς δήμοις* provincialibus suis legibus ac suo jure sacro praesertim vivere permissum esse. Optimus quisque igitur princeps non potuit non reos harum legum homines ab justis accusatoribus actos convictos confessosque damnare.

Dum Christiani orbis Romani sub nomine Judaeorum latebant, quae Judaei olim a Macedonibus impetravernt jura, a Romanis deinceps continuata vel aucta Christianos a priter protexerunt, ita ut a legibus et moribus *δημοτικοῖς* exemti essent. His temporibus autem non jam volebant dici et haberi Judaei, eorumque *ὀνειδισμὸν* sustinere; tantumque animis quantum numero aucti suos populares et cives sacrorum religionumque patriarum tenaciores multis modis irritare coeperant Christiani, non omnes quidem illi, sed Presbyteriani. Nam quotquot a germanis apostolis didicerant non carmina dira canentes, sed pia vota facientes pro cunctis hominibus pro regibus et omnibus in principatu constitutis, ipsimet id agere potissimum, *ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωσιν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι· τοῦτο γὰρ καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ*, hi vero ut plurimum experie-

---

veniam dedit, omnesque servos et libertos, qui suos dominos perfide prodiderant, morte adfecit. Interdixit denique, ne abs quoquam servo libertove ulla in re adversus suum dominum admitteretur criminatio, vel ab alieno majestatis quisquam aut judaicae religionis et moris nomine deferretur. Multi delatores famosi capite plectebantur; in quibus etiam philosophus Sura.

*) Vid. Barthelemi Anacharsis junior. P. 1. cap. 1. extr. P. 7. Annotatio 1. Biesteri. Xenoph. Mem. 1: 1. initio.

bantur, quam vere scripserit apostolus: *Καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς, ἐὰν τῦ ἀγαθῦ ζηλωταὶ γένησθε;* Quod ipsum Justinus Apol. 1: 26. hunc in modum fatetur: „Eos licet Christiani nominentur, *ὅτι μὴ διώκονται μηδὲ φονεύονται ὑφ' ὑμῶν* (a Romanis privatim ac publice) *κἂν διὰ τὰ δόγματα, ἐπιχάμεθα.* Bifariam ergo Justini et Hegesippi seculo divisi fuerunt quamvis una eademque nominis professione Christiani. Presbyteriani criminibus arcessi damnarique solebant; Gnostici non item, his criminibus vacantes. Quibusnam criminibus, patet ex Apol. 1: 44. Dial. 35. etc. Ea vero dogmata, quapropter illi judiciis et poenis obnoxii facti sunt, si verum quaerimus, cum sincera Christi religione et disciplina male congruunt adeoque dissident ab humanitate et communitate. Ergo *ἔπαθον*, si non *ὡς κακαποιοί*, attamen *ὡς ἀλλοτριοεπίσκοποι*, non *ὡς Χριστιανοί*. Hoc enim vitio praecipue dediti erant Presbyteriani, *κρίνοντες ἀλλότριον οἰκέτην*, et Christianum nomine et non Christianum, adeoque quod capite sancitum erat, de rebus Caesari aut rei publicae eventuris inquirentes per suas Sibyllas atque prophetas. Omnia alia praeceperat Christus: „Sic splendeat lux vestra inter homines, ut vestra honesta facta conspicati laudibus celebrent parentem vestrum caelestem, *διὰ τῆς ἑαυτῶν ἀναστροφῆς κἂν ἄνευ λόγυ τὰς ἀπίστους κερδήσαντες.* M. 5: 16. Pet. 1, 2: 12. 3: 16. Phil. 2: 15. Cor. 2, 8: 21. Rom. 12: 17. Eph. 5: 15, 16. Col. 4: 5. Thess. 1, 4: 12. Videatur contra, quid de multis harum partium martyribus historia referat! Euseb. 5: 16. ult. ibid. 18. Clem. Strom. 7: 10. „Qui re vera fortis est, imminente propter infestum vulgus periculo, fidenter quidquid obvenit, suscipit, hac ratione ab aliis qui dicuntur martyribus discretus, qua hi quidam semet ipsis occasiones captantes in ipsa pericula nescio quomodo ruunt (nam bonis verbis uti aequum est); hi vero declinantes secundum rectam rationem, deinde, si re vera vocaverit Deus, alacriter sese devoventes, et vocationem ex eo, quod nihil sibi temere conscive-

rint, confirmant, et virum in rationali secundum veritatem virtute explorandum praebent. Neque igitur timore graviorum malorum minora, sicut reliqui, sustinentes, nec rursus probrum ab iis, qui dignitate et sententia sunt pares, verentes in vocationis manent confessione; sed propter caritatem Dei lubentes obsequuntur vocationi, nullam aliam metam spectantes nisi ut Deo placeant, non autem propter praemia aerumnarum. Nam alii quidem propter gloriae cupiditatem (*φιλοδοξίᾳ*), alii formidine poenae alicujus acerbioris, alii propter aliquas laetitias et voluptates post mortem tolerantes sunt pueri in fide". Videsis etiam ibid. 4: 9, extr. et 10. — Quotus quisque igitur eorum, qui martyribus primorum trium seculorum annumerantur, veram martyrii laudem merebitur, hac statera examinatus? Sed plurimi Martyrum Panegyrici momenta rerum aut reticent aut obscure nimis referunt, vel *παράταξιν* illam arguunt, Christiana mente indignam. Ex. c. Pothinus, episcopus Lugdunensis, octogenario major, *ἀνεταζόμενος ὑπὸ τῦ ἡγεμόνος, τίς εἴη Χριστιανῶν ὁ Θεὸς, ἔφη· ἐὰν ἧς ἄξιος γνώσῃ* (Euseb. 5: 1.). Quam quidem contumaciam haud certe Petrus probaverit qui 1. 3: 15. praecepit: *Τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον* etc. Ibid. 2: 14. Tit. 3: 1. Tim. 2, 2: 24, 25.

Jam vero, ut revertamur ad Trajanum, illa persecutio, per quam Ignatius martyr factus est, Loydius anno Chr. 116 accidisse, argumentis quibus nihil vero similius confirmavit (Vid. Ant. Pagi Crit. Vol. 1. p. 108 sq.), duobus ergo annis ante Trajani obitum.

Eo tempore quum multae urbes, tum maxime Antiochia, ubi forte Trajanus hibernabat, terrae motu horribili conquassata; deinde quas Trajanus trans Euphraten recens ceperat subita defectione provincias amisit; in Arabia, quo expeditionem susceperat, rem infeliciter gessit, atque Judaei in

Cyrene, Aegypto, Cypro funestissimam rebellionem fecerunt, qua summopere irritatus imperator juravit hanc execrabilem gentem prorsus delere. Tum vero, ni fallit opinio, Presbyteriani certatim cum Judaeis ominibus orbi Romano infaustis indulgebant vatumque praedictis animos hominum horrificabant; ac praesertim Ignatius, episcopus Antiochiae quem harum partium unumque de principibus fuisse, Polycarpi condiscipulum, constat. Hoc si poninus crimen, noster merito condemnatus videtur. Probabilior sane conjectura, quam quod simpliciter Eusebius refert, Ignatium *τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν* ad bestias damnatum esse. Nam hoc nomine Imperator non unum et alterum, sed innumerabiles cives et provinciales pari supplicio afficere debuerat. Pudebat scriptorem martyrium Ignatii ab Usserio et Ruinarto vulgatum in corpus ecclesiasticae historiae recipere, quod summa nonnissi rerum ignoratio, aliquem Neronem et eum principem, quo meliorem orbis Romanus nullum vidit, discernere nesciens affingere Trajano permisit. Forte fortuna relicta est nobis de martyrio isthoc una saltem memoria, unius certi auctoris, Joannis Malelae, qui quum labente seculo octavo rhetoris munus gessisset in ecclesia Antiochena, ex actis ecclesiae patriae prodere potuit, quod in historica ejus chronica scriptum legimus: *Ὁ βασιλεὺς Τραϊανὸς ἐν τῇ αὐτῇ πόλει διῆγεν, ὅτε ἡ θεομηνία* (ira divina) *ἐγένετο· ἐμαρτύρησε δὲ ἐπὶ αὐτῷ ὁ ἅγιος Ἰγνάτιος, ὁ ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Ἀντιοχείας· ἠγανάκτησε γὰρ κατ' αὐτῷ, ὅτι ἐλοιδόρει αὐτόν.* Ponamus, amplissimarum urbium aliquam terrae motu fere corruere, atque eodem tempore complures circum defectiones ac rebelliones accidere! Si tum sacerdos celebrior quidam hominum animis tantopere sollicitatis pronuntiaret, hac ruina iram divinam adversus Imperatorem, tum forte in ea urbe degentem declaratum esse: num crimen majestatis atrocius cogitari potest? Hic igitur, quem fabulantur successorem secundum post Petrum episcopum Antiochiae, pro

vitili contraria omnia fecit, ac Petrus prima epistola 2: 23. 3: 9. praeceperat, κυριότητος καταφρονῶν, τολμητὰς, αὐθάδης, δόξας (majestates) *) οὐκ ἔτρεμε βλασφημῶν. Ibid. 2: 10. Cfr. Jud. v. 8. Malelae fides historica, hoc est ut voluntas verum dicendi, sic facultas, ex eo cernitur, quod idem tempus eventi unus accuratissime tradit hunc in modum: „Regnante Trajano Antiochia Magna ad Daphnen tertiam ejus culamitatem passa est mense Apellaeo sive Decembri 23, hora 1. post gallicinium anno 164. aerae Antiochenae (hoc est aerae Christianae 212).“ Haec res ergo haud ita nova et insolita Antiochiae fuit; quotannis prope terra movebat, sub Christianis imperatoribus non minus quam prius; ex. c. seculo sexto sub Justino imperatore plurima et maxima aedificia ibi corruerunt ac 30,000 incolarum perierunt. Sed hoc superstitionem arguit Christianis, maxime doctoribus indignissimam, ubi tristia naturae eventa vel alia calamitates vulgus terrore percellunt, tristiora inde praedicere fata, et quae donec homines prospera utebantur fortuna non ausi erant, infelicibus denuntiare. Aliquot annis ante per Asiam et Bithyniam in Christianos quaesitum erat ab Arrio Antonino, Plinio Secundo etc. Quo pacto nunc demum sensit Ignatius, persecutionem minari Trajanum, ut τὸ τῶν Χριστιανῶν θεοσεβὲς σύγημα ad idololatriam adigeret? Vid. Martyr. Ignatii cap. 2. Dum Ignatius iter faciens Romam Troade ad Philadelphenos et Smyrnaeos epistolas scribebat, nuntiatum est ei εἰρηνεύειν τὴν ἐκκλησίαν τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας. Attamen condemnatio ejus non est retractata. Imperator quamvis edoctus de innocentia Christianorum non item cognovit, culpa vacare Ignatium. Vid. Ignat. Epist. ad Philad. cap. 10. cum animadvss. Cotelerii. Nec vero Ignatii oratione, sed relatione quadam Tiberiani praesidis Primae Palaestinae hanc impunitatem effectam esse tradunt.

*) Δόξαι, hic magistratus ac praesides provinciarum. Wetsten. ad h. l.

Equidem citius crediderim, diversi generis Christianos Antiochiae fuisse, Presbyterianos, fanaticos alteros, qui episcopum et magistrum Ignatium habuerint; alteros Paulinos *), quumque remoto Ignatio saniorem mentem plerorumque Christianorum comperisset, insontibus pro sua justitia pepercisse Trajanum.

Huc tandem devenimus, ut facile credamus, qui martyrium Ignatii fabulati sunt, ab iisdem Symeonem, Christi patruelem, episcopum Hierosolymae, dominante Trajano, martyrem confictum esse, omni probabilitate historica vacantem.

---

*) Jam Pauli tempore diversae partes Christicolarum Antiochiae extiterant (Vid. Gal. 2: 11 sqq.), sine dubio diversis episcopis utentes. — „Ex verbis, quae Constitt. Ap. 7: 46. leguntur: *Ἐχειροτονήθη ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας Εὐόδιος μεν ὑπὸ Πέτρε, Ἰγνάτιος δὲ ὑπὸ Παύλε*, concluserunt viri docti, Evodium et Ignatium simul fuisse Antiochiae Episcopos, alterum Judaeorum, alterum Gentium — subtiliter profecto et ingeniose quidem, ac si vis etiam vero similiter; mihi tamen res non persuadetur facile.“ Coteler. Nos quidem Ignatium, condiscipulum Polycarpi, Apostoli (?) Joannis discipulum (Martyr. Ign. 1, 2, 10, 26) neque a Petro neque a Paulo profectum putamus, sed a Presbytero Joanne. Eodem modo Ephesi Philadelphiae alius ab Joanne constitutus esse (Constitutt. Ap. ibid.) perhibetur. Quantopere autem differat inter Paulinos et Presbyterianos, jam vidimus ac deinceps videbimus.

# Corrigenda et addenda.

| Pag. | Lin. | pro | lege |
|---|---|---|---|
| 18 | 7 a f. | vellet | nollet |
| 31 | 11 a f. | Videant eruditi quam apte Justinus, qui tradit, *ὅτι σχεδὸν πάντες; μὲν Σαμαρεῖς ὡς τὸν πρῶτον θεὸν ὁμολογοῦσι* Simonem (Apol. 1: 26), eosque *πλανᾶσθαι πειθομένους τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι*, conciliari possit cum Act. 8: 9—24. Nam vero dissimilius nihil, quam Samaritanos, apud quos Apostoli gravissimum exemplum in Magum ediderant, postea ejus cultum instaurasse. Justinum vero de Simone mago fabulatorem satis superque convictum habemus. Vid. Vales. et Stroth. ad Euseb. 2: 13. | |
| 39 | 2 | hac laude | hanc laudem |
| 54 | 12 a f. | iniquissimum | rem inquissimam |
| 56 | 2 | sumto — capiti | sumsit — et capiti |
| — | 8 | לא טוב | לא טוב לנו |
| 59 | 3 | rescientes | resciscentes |
| 75 | 7 a f. | Pro *Γορθηνοὶ* rescribendum videtur *Γορθυαιοὶ*, post *καὶ* excidisse *Μασβωθαῖος*. *Μασβωθαῖοι* placet mutare cum *Μασβωθαιανοὶ*, quibus rationibus etc. | |
| — | 2 a f. | *θεύβολος* | *θεοβόλος*. |
| 80 | 1 | vacat. Itaque concedere non possum in eam Strothii sententiam, quam ad h. l. adspersit: „Per se intelligitur hic non sermonem esse de evangelio Marci quod idem nonnulli veteres Petri vocare soliti sunt.“ | |
| 84 | 3 a f. | Antonium | Antoninum |
| 96 | 3 | exauctoratus | emancipatus |
| 101 | 12 | *τὴν* | *τὰ* |
| 103 | 5 | quantum | quantopere |
| 111 | 7 | Justini | Justino |
| 117 | 1 | con | Deleatur! |
| — | 11 a f. | Strothius probe animadvertit, hoc caput et sequens non Dionis esse auctoris, sed Xiphilini. Christiani ergo ipsi Trajanum purgant de persecutione Christiani nominis. | |
| 129 | 5 a f. | * *Κοσμικοὶ — δικαστήρια.* | Del. |
| 137 | 18 | סה | מה |
| 140 | 13 a f. | etiam | tum |
| 141 | 11 | *ὢν* | *ὧν* |
| 142 | 11 | conjectut | conjectat |
| — | 4 a f. | somniavers | somniaveris |
| 144 | 17 | de telonio | Del. |
| 148 | 5 a f. | Gorinth | Corinthi |
| 149 | 1 a f. | possnt | possent |
| 150 | 2 a f. | celebrari | celebrare. |
| 153 | 3 | ) | Del. |
| — | 8 | nam | rati |
| 155 | 16 a f. | eess | esset |
| — | 15 a f. | conquerentur | conquererentur |
| — | 6 a f. | ungentes | fungentes |
| — | 4 | accesisse | accessisse |

| Pag. | Lin. | pro | lege |
|---|---|---|---|
| 161 | 3 | Primis | Primi |
| 162 | 9 | Tollatur comma post γαμετῆς | |
| 163 | 6 | Domitia | Domitiae |
| 167 | 8 a f. | Similiter pro aequitate, qua imperatores Romani suae ditionis populos et civitates suas quamque religiones obire permittebant, Athenagoras Leg. ad M. Aurelium Antoninum testatur hunc in modum: „Vestrum per orbem, Maximi Reges, alius aliis moribus utuntur et legibus ac nemo eorum lege et metu poenae, etiamsi ridicula sint, non diligere patria cogitur. Sed Iliensis Hectorem Deum dicit et Helenam colit etc. Uno verbo per omnes gentes et civitates sacrificia deferunt quaecunque lubeat homines et mysteria colunt. His omnibus conceditis et vos et leges, illud quidem omnino non Deum credere impium et nefarium constitutum habentes, hoc autem, quibus singuli volunt uti ut Deis, necessarium, ut numinis metu abstineant injuriis. Nostrum autem, nisi offendimini, ut vulgo, auditu, nomen cur odio habetis? Non enim nomina odio digna, sed malefactum poena et supplicio.“ Et ille scriptor ad Diognetum: cap. 5. „Christiani neque terra neque voce neque moribus (ἤθεσι) discreti sunt a reliquis hominibus. Neque enim alicubi urbes proprias incolunt neque sermone (διαλέκτῳ) aliquo ab usu communi discrepante utuntur neque victum insolentem exercent nec vero commento quodam et excogitatione curiosorum hominum haec disciplina iis est inventa neque dogma humanum defendunt, ut nonnulli. — Incolentes partim Graecas partim barbaras civitates, prout cujusque fors tulit, et indigenarum instituta sequentes in vestitu victuque et reliqua vita mirabilem et prorsus incredibilem exhibent constitutionem suae conversationis (πολιτείας). — Obsequuntur legibus quae sancitae sunt, et suis moribus vincunt leges.“ At vero de Presbyterianis non pariter haec vera fuisse, ut de aliis Christianorum partibus, historia testatur diligentius cognita. Invidia autem et odium, quod sibi conflarunt Presbyteriani, ut fit, ceteros Christiani nominis socios laesisse nonnunquam videtur. | |
| 171 | 10 a f. | vino | vino honores perhiberent |
| 175 | 12 | impretavernt | impetraverant |
| — | 13 | a priter | pariter |

---

Haec menda et si quae supersunt non indicata humaniter ignoscantur scriptori annis gravi, cui corrector idoneus hoc in genere litterarum deficiebat!

---

# SYMBOLAE

AD

# INTERNAM CRITICEN

LIBRORUM CANONICORUM

AC

VETUSTISSIMORUM QUAE SUPERSUNT

MONUMENTORUM

CHRISTIANI NOMINIS

PARATAE

AB

JOANNE SCHULTHESS D. THEOL.

VOLUMEN SECUNDUM

---

EX OFFICINA SCHULTHESSIANA
TURICI MDCCCXXXIII

# Index.

Dedicatoria epistola ad D. David Schulz per quam critices interioris necessitas et utilitas comprobatur exemplorum copia.

Inest inter alia inquisitio locorum, quibus nititur dogma de carnis resurrectione:

Pagina

Jo. 1, 5: 28, 29. Act. 24: 15. Thess. 1, 4: 13—18. etc. I—LXXI

Luculenta testimonia adulterationis Librorum Sacrorum jam eo quo Canon extitit aevo ac deinceps Patribus Orthodoxis et Catholicis crimini dandae . . . . . 1—36

Adulterationes carminum liturgicorum ac Doxologiae ab Orthodoxis patratae . . . . . 37—73

Pagina

Origenes de precibus ad Jesum Christum . . . . . 73—78

Disputatio critica super Act. 7 : 59. . . . . 78—83

Explicatio loci Jo. 16 : 23, 24. . . . . 83 sq.

Hymni Clementis Alexandrini critica recensione et justo commentario nunc primum instructi . . . . . 84—106

D. DAVIDI SCHULZIO

PROFESSORI O. THEOLOGIAE

IN ALMA WRATISLAVIAE UNIVERSITATE

ECCLESIAE A CONSILIIS ETC.

D. JOANNES SCHULTHESS

S. D.

Scriptis Tuis compluribus variique generis Tu meum museum dudum ornabas, VIR DILECTISSIME, quo inter principes ordinis nostri me scire neminem fateor lubens, cum eruditione atque doctrina, tum vero, quod aliquanto majus est, recta mente ac virtute, veri quod perspectum et exploratum habes profitendi ac defendendi, eminentiorem. Haec munera Tua crebra pro dignitate rependere cogitantem haud sane voluntas adhuc deficiebat, sed eheu facultas. Nunc autem timor indies fortius coepit urgere, ne dum gratias diutius moror reddendas, si non dies ultimus, at senium ingravescens sensim intercipiat. Quare majora viribus longioraque confectu relinquere et exiguam lucubrationem unam alteramve propellere foras decrevi, quae Tuo nomini dedicata publice testetur, me Novi Testamenti recensionem Griesbachianam, Tua laboriositate et solertia diligentissime emendatam et insigniter auctam, saepe multumque versare et identidem ani-

madvertere, quam feliciter illud opus instauraveris; licet doleam, Te non prorsus libere hanc rem sacrarum litterarum cultoribus inprimis utilem ac necessariam ab integro ex Tua ipsius sententia instituere potuisse. Spes autem me consolatur, Te vitae meae tam diu superstitem ac sospitem fore, ut posteritati hoc opus aliquando, ut lubet, non ut licet, a fundamentis exstruere possis.

Inter alia Griesbachii ὑςερήματα, quae quantum rationes bibliopolae datumque spatium temporis concesserant, abs Te completa grati agnoscimus, Patrum antiquissimorum citata non pro suo pretio aestimasse nobis videtur: nam colligendas ille varietates, si codices nulli vel pauci consonarent, et sub recensionum quas constituerat leges difficilius possent vocari, instabili memoriae aut licentiae cuidam imputabat aut per os tradita, non litteris consignata, τὰ λόγια et ἀπομνημονεύματα τῶ Χριςῶ eos habuisse censebat. Nos vero missis hypothesibus istis animum inducere non possumus quin credamus, evangelia illa quatuor quae in canonicorum ordinem extremo seculo secundo redacta sunt (nam primi Canonis sacrorum librorum N. T. testes primos Irenaeum ac Tertullianum certos habemus), aliquanto prius litteris consignata fuisse singula diversis regionibus et apud partes Christianorum diversas, itemque ceteros N. T. libros. Et suspicamur merito, qui circa illud aevum unionem, ut ita loquamur, Christiani nominis moliebantur, in sua dogmata conspirantem et sacrorum communione τὰς ἑτερογνωμόνας arcentem, viros ab Joanne Presbytero maxime profectos pro suo arbitrio consilioque Canonem constituisse, ut ecclesiae illae

quarum societatem praecipue ambiebant, suum quaeque evangelium in Canone reperirent; sic tamen ea recensuisse, ut insinuandis placitis non nimis repugnarent, modice quidem aliqua demendo, largius adsuendo et intertexendo furtimque hic illic mutando. Non est quod audiamus eos qui somniant, generalis alicujus vel adeo universalis synodi consilio et auctoritate hunc Canonem stabilitum esse, ac virorum ecclesiasticorum ad eam operam rite delectorum solertiam libros in Canonem recipiendos collatione cum autographis aut certe optimorum inter se apographorum lustrasse, emendasse, approbasse. Haec talia certe silent Irenaeus, Tertullianus ceterique patres et auctores rerum christianarum, qui certo certius magnum creparent, si quid tale ineunte seculo tertio factum esset.

Praeconia igitur virorum, quorum recipi interfuit clandestinae originis Canonem, plebi christianae passim eum ingesserunt, haud secus atque postea Chiliastarum commendatione Apocalypsis gratiam et fidem invenit, quamvis Ecclesiasticorum sapientissimi et doctissimi, ut Cajus ille Romanus et Dionysius, episcopus Alexandriae, eam vel *νοθείας* accusarent, vel certe eum, qui ferebatur, Joannem auctorem negarent luculentis argumentis, quum contra fautores hujus libri nullum testimonium certum proferre haberent, quo veritas apostolica ejus constaret. Critici fere nulli inter Christianos etiam doctores et episcopos illo tempore vigebant, et si qui fuerunt, alii quibus antiquius erat multitudini quae maxime arridebant venditare, ex. c. episcopus ille Nepos, quocum Dionysio M. tantum negotium fuit, quam severam

veritatem exquirere atque tueri, facile praevalebant. Quid mirum, si vulgus institutum Canonis gratum acceptumque coepit habere, per quod supersederetur δοκιμάζειν subortam evangeliorum diversitatem, quae magis minusve certa veraque essent.

Quid quod ipsi illi vetustissimi suffragatores Canonis, Irenaeus ac Tertullianus, Irenaeo magistro glorians, plurimum suspicionis creant. Constat enim, eos, dum Canonis sui sanctam jactabant auctoritatem, et Marcionitas aliosque ἑτερογνωμόνας acerbissime falsorum reos agebant, mala cum fide exemplaria sacrorum librorum tractasse atque in suam causam refinxisse. At vero licet per omnia non contigerit, ut ex ipsorum sententia vel cuncti vel plurimi superstitum codicum conformarentur, hoc magnam partem certe contigisse videtur. Et quis est, qui spondeat nobis, eorum superiores ignotos, primos auctores canonis, quum adhuc rariora essent exemplaria, non aliquanto felicius eandem fraudem exercuisse.

Nolumus autem suspicionibus etiam justis tantum indulgere, quantum alii hypothesibus quibusvis, in gratiam Canonis commentis, ἀσφάλειαν ejus optant, non docent. Ut autem nonnihil conficiatur, quo certum pedem figere liceat, operae pretium erit bifariam dividere varietatem lectionis, atque ex una parte collocare eam, quae ad orthodoxiam tuendam plus minusve conducat (orthodoxiam autem nunc dicimus ea placita, quae primi suffragatores Canonis contra ceteras Christianorum partes fovebant, Irenaeus, Tertullianus, et quos isti principales suos magistros praedicarunt, hic Justinum, Mil-

tiadem, Irenaeum, Proculum, libro adv. Valent. cap. 5; ille Polycarpum, Papiam); ex altera parte eam quae pondus dogmaticum nullum habet varietatem, librariorum culpae tantum imputandam vel cuidam studio grammaticorum. In illo genere licentia fraudis antiquitus regnasse videtur, et probabilius censendum est varietatem orthodoxis gratam adulteratione natam esse, quam incommodiorem; quippe quum satis norimus, quantam industriam Catholici adhibuerint exemplaribus ad suam rationem corrigendis vel, si nimium discreparunt, de medio tollendis.

Ex. c. illae varietates Luc. 24: 51, 52 et Act. 1: 9. ab uno Codice D, aliquot exemplaribus Italae et uno Patrum Augustino forte fortuna traditae, Tuo, Vir Integerrime, judicio sunt authenticae; ut vero per ceteras omnes Codicum et Patrum auctoritates extat textus receptus, is vero non in mendo est, sed adulteratus. Hanc adulterationem autem imputamus principalibus illis magistris Tertulliani, Chiliastis, quos Presbyterianos vocare lubet. Tertullianus enim est usus ea primus. Vid. Opp. ejus edit. Semler. 5: 59. 4: 267. 3: 315, 396. Jam igitur, si universos praeter unum Codices et evangelii Lucae et Actorum in his locis adulteratos habemus: num quaeso tutum est in externa per se critice ponere fidem? E re Presbyterianorum fuit contra Gnosticos assumtionem Christi sua in carne, oculis corporeis conspicuam, auctoritate quadam S. L. defendere; quumque frustra veram requisissent: fictam quo convenit loco pro pia sua fraude infarserunt. Nam qui poterant Irenaeus ac Tertullianus Jesum docere in carne reducem fore de caelis,

nisi cum carne in caelum abiisset? Id quod arctissime cohaeret cum resurrectione et immortalitate carnis nostrae, quam capitalem Chiliastae habebant opinionem. Fac, hunc unum codicem D non tulisse aetatem ejusque lectionem non transfluxisse in aliquot exemplaria Italae ac latuisse Augustinum: quam misere decepti essemus! Nam vix crediderim, ullum eruditum extiturum fuisse ejus sagacitatis, ut hanc fraudem odoraretur veramque lectionem conjectura adsequeretur; et si quis extitisset: omni assensu destitueretur ac nefariae damnaretur in libros sacros audaciae.

Aliud exemplum occurrit Jo. 1.: 13, unde Irenaeus ter ad Christum referens haec verba laudat: ὃς — ἐγεννήθη; itaque legendum esse pronunciat Tertullianus, Valentinianorum fraudi textum receptum tribuens, et cetera quae videre licet in Tua editione. Fraudem hic factam esse sive a Presbyterianis sive ab adversariis, negari omnino nequit. Nemo autem hodie ambiget, quin hos insontes ducat, sontes illos. His aliisque exemplis, quorum copiam esse Tu optime nosti, manifesto apparet, ne primis quidem Canonis praeconibus tutam esse fidem, si critice interna graviorem suspicionem moveat. Qui tandem possumus in rebus ad summam religionis pertinentibus litteras per hominum manus traditas, cujus modi Irenaeus, Tertullianus eorumque magistri et alumni fuerunt, tanti habere, ut ista sola auctoritate stemus, deficiente interna verborum et rerum probabilitate, adeoque contra regulam fidei et veritatis sanamque rationem?

Deprehendantur porro loci breviores longiores, nedum singulae voces, in evangeliis et in apostolis, quae tantopere

discrepant a tenore orationis sive narrationis, a consilio et ingenio scriptoris, immo quae pugnant cum ceteris ejus de eadem re notitiis vel judiciis et sententiis, ut, si nolimus concedere eum interdum alienatae mentis ac linguae fuisse suique prorsus oblitum, interpolata esse scripta necessitate coacti censeamus, quamquam externa critice nos prorsus destituat. Quare non possumus non persuasum habere, dari adulterationes litterarum sacrarum, omnibus quae supersunt codicibus ac testimoniis antiquiores. Quod equidem credere magis jus fas existimo, quam ut scriptoribus talibus vel absurditatem et insaniam vel falsitatem imputem, hoc est: rectam mentem, sanctitatem, probitatem derogem. *Τοῖς γράμμασιν*, utcunque *ἱεροῖς*, dum quibus fatis per quingentos fere ab origine annos usa sint magna ex parte vel ignari vel incerti sumus, caecam fidem tribuere superstitiosum, non religiosum esse putamus.

Sic largissimum illum locum Cor. 1, 7: 25—40. fraus manifesta, si verum quaerimus, inculcavit. Nam argumentum ejus omnibus sententiis non solum Pauli, sed etiam Petri adeoque Christi de matrimonio quam maxime adversatur; nemoque in voluminibus sacris nec Veteris nec Novi Testamenti aliquam laudem tribuit caelibatui, aut nuptias viris juvenibus virginibusque maturis dissuadet praeter Apocalypseos auctorem 14: 4. Quid quod ipse Paulus hoc eodem capite sibi contraria diceret, vix dum vs. 2. pronunciasset: *διὰ πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω.* Atque idem Thess. 1, 4: 3, 4. quum primam *τῷ ἁγιασμῷ* partem in abstinentia scortorum posuisset, hac

ipsa ratione jussit ἔκαστον τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι etc. Quem locum (pudet eorum vicem) etiam nunc Evangelici Theologi, ex. c. Jaspis ad h. l. et Bretschneiderus sub σκεῦος, perperam interpretantur, ut scilicet Romanae superstitioni faveant. Centum annis abhinc Wetstenius verum vidit, trecentis Zuinglius. Quis credere possit Paulum, qui docet feminas σωθήσεσθαι διὰ τεκνογονίας *) etc. dum officia, quae natura ipsa, hoc est Deus, ἀπ' ἀρχῆς imposuit huic sexui, cum necessariis molestiis non subterfugientes per haec ipsa fidem et amorem et sanctitatem cum modestia convenientissime exerceant, eundem qui episcopis consilium dedit, ut νεωτέρας χήρας (quanto magis παρθένους) γαμεῖν, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν potius adigant quam otiari sinant (Tim. 1, 2: 15. 5: 14), ea rursus scripsisse, quae Cor. 1, 7: 32—40. leguntur **). Res ipsa falsam esse arguit illam vocem: ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου πῶς ἀρέσει τῷ κυρίῳ· ἡ ἄγαμος, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι, maritus et nupta non item. Quod si ita esset, οἱ τῷ κυρίῳ ἀρέσαι θέλοντες

*) Luxuria illius temporis invaluerat eo, ut feminae nuptae innuptae libidini venereae nullum modum ponentes nollent τεκνογονεῖν, et vel abortioni operam darent vel exponerent liberos.

**) Ad Pauli mentem et sententiam ecclesiastica disciplina in eo curam posuit olim, ut quam primum ferret aetas adolescentes utrinsque sexus nuptiis jungerentur, neque adeo provectiores annis, dum venus inexhausta esset, matrimoniis carerent. Vid. Constitut. Ap. 4: 11. Clem. epist. ad Jac. Chrysost. Homil. 5. in Gen. Hunc morem Ebionitarum fuisse, a Judaeis acceptum, testatur Epiphanius.

cuncti matrimonio debebant abstinere; ac recte praecipiebant οἱ κωλύσαντες γαμεῖν non tantum clericos, sed omnino christianos. Nec audienda vox illa esset: τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, per quam Deo placere non licet nec sanctum esse hominem et corpore et spiritu; falsoque Petrus matronas sanctas ullas praedicaret, pietatem in Deum non secus colentes atque conjugii fidem praestantes maritis. Utrumvis concedamus, necesse est: sive duplex Paulus fuit, sibimet ipse dissimillimus, sive cuculus quidam Paulo sua supposuit ova: quae si judicio non omni caremus, facillime dignoscemus a veris atque nido exturbare non dubitabimus.

Hic locus autem totus ad mentem et sententiam Presbyterianorum est confictus, qui summis laudibus extollere caelibatum, nuptias autem vix primas concedere soliti erant, ex eo constare dicentes quod est stuprum, matrimoniumque contumeliam esse communem. Quare Tertullianus est tam multus in hoc loco laudando. Insunt alia quoque in epistolis Pauli, quae diligentius excussa suspicionem τῆς νοθείας habeant, ex. c. Thess. 2, 2: 1—2, de quo loco videsis Schmidtii Bibl. Criticam N. T. 2: 3. pag. 380. Sed unum hic exemplum pro nostro consilio satis habemus, idque subtilius alias omnique a parte disquisituri.

Praeterea qui Patrum litteraturam diligentius pervestigatam habent, non poterunt negare, multos locos, quorum praecipuum est momentum in ecclesiae catholicae placitis constituendis, tertio demum aut quarto quintove saeculo reperiri laudatos, quos antiquiores, vel ubi maxime opus fuit,

nulli proferebant. Unde maxima cum probabilitate conjicere licet, eorum codices his locis vacasse. Origenes ex. c. illo libro de Oratione non laudat Act. 7: 59, cum maxime id agens, ut Christo δέησιν et ἔντευξιν deberi comprobet; laudat vero comma 60, at minus recte interpretatur; quasi Stephanus κύριε vociferatus non Deum invocarit sed Jesum. Vid. 4: 29. coll. vs. 24. Nec vero ante Eutherium, qui floruit circa 450, Nestorianum, ab ullo Patrum comma hujus capitis 59. citatum reperire licet, comma 60. crebro.

Quam sero locus Rom. 9: 5. apud Graecos *) ad comprobandam Christi Deitatem laudari coeptus est? Nec vero mirum: nihil enim huic dogmati conducebat, prlusquam interpunctio depravata esset. Apud Latinos, qui ὁ Ὤν **) inscite

---

*) Hippolytus contra Haer. Noëti Graecorum primus hoc telo pugnavit, si modo ambiguus hic homo Graecis Patribus accensendus est, utut Graece scripserit.

**) Patres Graeci dum suam linguam callebant, bene distinxerunt inter ὅς ἐστι θεὸς qui est Deus, θεὸς ὤν quum esset Deus, et ὁ Ὤν i. q. ὁ ζῶν θεὸς, εἷς, μόνος, ἀληθινὸς; verus Deus. Vid. Suiceri Thes. Eccl. sub Ὤν. Doxologia inest in hoc commate. Non est autem ulla doxologia, quin τὰ μεγαλεῖα et beneficia, propter quae Deus laudibus celebretur, vel subjiciantur vel supra modo sint prolata. Si prius: praedicatum εὐλογητὸς primum locum tenere solet orationis; si posterius (nam ea, propter quae apostolus h. l. Deum praedicat, sunt praecipua et singularia sui populi, Israelitarum, praeter caeteros populos, praemia et decora, vs. 4, 5. commemorata): non item. — Conf. Cor. 2, 11: 31. Ὁ Ὤν εὐλογητὸς etc. ubi apostolus, postquam τὰ τῆς ἀσθενείας αὐτοῦ exposuit, ἐν ᾗ τελειοῦται ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ, in doxologiam desinit. Ἄτοπον ibi verbum οἶδεν, ἄτοπον quoque ὅτι οὐ ψεύδομαι,

reddiderant qui est, Tertullianus ita scribere potuit: „Itaque Deos omnino non dicam nec dominos, sed apostolum sequar“ (Cor. 1, 8: 6. Conf. Tertull. adv. Hermog. 4.) „Et si pariter nominandi fuerint pater et filius: deum patrem appellem et Jesum Christum dominum nominem, Solum autem Christum potero deum dicere, sicut idem apostolus: Ex quibus Christus qui est, inquit, deus super omnia etc.“ Adv. Prax. cap. 13. conf. 17.

Ut aliud addam exemplum, inspiciatur accuratius Col. 1: 16, ubi haec verba: *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται*, apud Ignatium ad Tars. 4. tacentur. Quod si criticen internam adhibemus: primum nos offendit vitium syntacticum: nam *ἐκτίσθη* dicendum erat, ut hujus ipsius commatis initio, non *ἔκτισαι*. Deinde *τὴν ἀνακεφαλαίωσιν* non amplius aliquid eloqui oportebat quam superiora. Atqui in *) Christo, tamquam in fundamento (Eph. 1: 20. Cor. 1, 3: 11. Matth. 16: 18.) condita et extructa omnia dicit apostolus ea, quibus domus, urbs, civitas Dei constare debeat, ut (si verbo Ciceronis LL. 1: 7. uti licet)“ jam universus hic mundus una civitas communis Deorum (apud Paulum *τῶν ἐν τοῖς οὐρα-*

---

insulsum redolet scholiasten. Nam nemo dixerit: Deus novit, me non gloriaturum esse; vel: Deus novit ea, quorum satis superque testium homines habemus. Deus novit, testis meus est Deus, dicitur, ubi sermo de rebus est, quae in notitiam historicam non veniunt, de sensibus et consiliis intra pectus agitatis.

*) Pro suo arbitrio commentatores atque inprimis versiones Teutonicae praepositiones *ἐν* et *διὰ* promiscuas habent.

νοΐς, τῶν ἀοράτων, εἴτε θρόνων etc.) atque hominum existimanda sit, parentium huic coelesti descriptioni mentique divinae (apud Paulum οἰκονομία, προθέσει αἰώνων, βουλῇ τοῦ θελήματος etc. Eph. 1: 9—11. 3: 11) et praepotenti Deo. Fundator, conditor autem non est idem qui ὁ θεμέλιος, sed ὁ πάντα κτίσας, κατασκευάσας θεός. Eph. 3: 9. Hebr. 2: 3. Hic ergo de causa ministeriali, δι' οὗ *), aut finali δι' ὃν, εἰς ὃν dicere non fuit locus. Deinde unus Deus ὁ πατήρ, εἰς ὃν τὰ πάντα, ἐξ οὗ καὶ τὰ πάντα **), quo in enuntiato Pater subjectum est, Deus praedicatum; sicut Jesus Christus subjectum, dominus praedicatum. Hebr. 2: 10. Cor. 1, 8: 6. Rom. 11. 36. Quod utrumque in Je-

---

*) Quum Deus dicitur δι' οὗ τὰ πάντα, is esse dicitur, cujus manere omnia sunt, cui omnia debent, quod ζῶσι καὶ κινοῦνται καὶ εἰσι. Si Deus Eph. 4: 6. dicitur, ὁ διὰ πάντων, dicitur is, qui per omnia rerum, quidquid decrevit, velint nolintve, efficit, quippe cujus βουλήματι nihil possit obstare. Sap. 16: 14. Si Cor. 1, 8: 6. διὰ τοῦ I. X. τὰ πάντα esse dicuntur κυρίου ἡμῶν, hoc ad τὴν κυριότητα ejus omnino restringi debet, (Vid. Grotius ad h. l.) cujus ministerio Deus θέλει ἀνακεφαλαιωθῆναι, πληρωθῆναι, τελειωθῆναι, ἁγιασθῆναι, εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, εἰς δόξαν ἐλθεῖν τὰ πάντα, quorum pater est Deus; hoc est, omnia ratione et cogitatione praedita. Non autem possumus, a nobis impetrare quin de authentia verborum, quae Cor. 1, 8: 6. apud Clem. Alex. desunt: δι' οὗ τὰ πάντα, non nihil dubitemus.

**) Sic apud Ignatium brevius textu recepto; atque etiam simplicius Ignatio Clemens Alex. Paedag. 2: 1. Εἷς ἡμῶν θεὸς, ἐξ οὗ τὰ πάντα (idem quod πατὴρ) καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς. Hic locus male habuit non modo Tertullianum, sed etiam Ambrosium, Hilarium ceterosque omnino Trinitarios.

sum Christum non cadit; nam ipse quoque est cum omnibus, quantuscunque est, εἰς δόξαν τοῦ πατρός. Hoc maneat nobis: Unus Deus Pater (non filius) ex quo omnia et in quem (hac ipsa de causa) omnia. Qui Deum quoque Jesum Christum faciunt atque ex eo et in eum omnia esse volunt, ii ταυτίζουσι τὸν μόνον δεσπότην (i. q. πατέρα) θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν, itaque oblique utrumque ἀρνοῦνται et Patrem et Filium. Jud. vs. 4. Jo, 2 : 23.

Ceterum nulla ratione fieri potuit, ut idem, qui unum disertissime professus est Deum eumque patrem (1 Cor. 8 : 6. Eph. 4 : 6), usquam locorum Christum Dei appellaverit Deum, nedum τὸν Ὄντα, ἐπὶ πάντων Θεὸν. Hinc vel vim aliquam litteris Apostolorum intulere vel dicta eorum in falsum vanumque sensum interpretes mali detorsere, ubicunque apostolorum auctoritate Christi deitatem (non dico divinitatem) evincere orthodoxia tentavit. Bene memineri mus illud Clementis (Strom. 1.): Τὰ ἀπόῤῥητα, καθάπερ ὁ θεὸς, λόγῳ πιστεύεται, οὐ γράμματι. Quidquid ergo notitiam Dei contingit, qualis habendus sit et quotuplex, an divini numinis personas discernere fas sit, non γράμματι judicatur; et si λόγῳ ἀντίκειται γράμμα, non dubitare fas est, quin vincat ὁ λόγος, quem Antonius ille magnus monachus ὡς πρεσβύτερον τῶν γραμμάτων καὶ αὐτὸν τούτων εὑρετὴν ἐπῄνει. Sozom. H. E. 1: 13. Haec est illa idea fidei, secundum quam scripturas interpretandas esse voluerunt antiqui, nos etiam iudicandas volumus, an pro divinis eas habere deceat divinisque adscribere hominibus. At vero non ὁ θεὸς tantum, sed animorum quoque libertas, immortalitas, honestas et vitae

aeternae retributio, sunt ἀπόῤῥητα, axiomata, quibus non divellendis ea quam diximus idea continetur, nullumque γράμμα divinum divinique hominis habere decet, quin cum ea non prorsus consonare cernamus.

Interpolatum textum esse admodum probabile videtur ac subinde tantum non certum, ubi aut aliquod verbum aut unum vel plures contiguos versus recitanti praetermittere licet, ita ut homines qui audiunt nihil prorsus ad intellectum desiderent adeoque textus melius cohaereat ac sensum faciliorem, aptiorem, simpliciorem, graviorem fundat, oblitteratis quibusdam.

Sic Jo. 5: 28, 29. verbis: ὅτι ἔρχεται-κρίσεως praetermissis, si quis cordatus haec recitari audiret: Ὁ πατὴρ ἐξουσίαν ἔδωκεν τῷ υἱῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Μὴ θαυμάζετε τοῦτο. Οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν καθὼς ἀκούω κρίνω, is vero nihil quidquam desiderabit, si modo e superioribus probe didicerit primum, Jesum Deum suum patrem eo sensu dixisse, quo τέκνα Ἀβραὰμ Jo. 8: 39. intelliguntur οἱ τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ποιοῦντες, et Rom 7: 7. υἱοὶ Ἀβραὰμ οἱ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ. Unde consequens, ut se filium Dei *) hac ipsa ratione haberi voluerit; non autem ita ut, quod calumnia Judaeorum insimulavit,

*) Interpretes et Exegetae plerique parum servant Hebraicum idioma, quod vocabulo υἱὸς inest nil nisi periphrasin facienti adjectivorum nominibus rectis cognatorum. Υἱὸς θεοῦ, i. q. θεῖος. Plato: Nullus, inquit, hominum Deus, sed divinus aliquis videtur, hellenistice filius Dei.

aequalem se fecerit Deo Jesum; ergo se pronunciasse filium Dei non *φυσικῶς ἢ θετικῶς*, sed *ἠθικῶς*. Vid. Eph. 5: 1. Matth. 5: 45. Ex eo, quod Deus nunquam intermittat bene facere mortalibus, ipsum per ferias Judaica lege imperatas vel indictas a bene merendo in homines se prohibere non pati, nihilque omnino suo instinctu sui que causa dum agat, quicquid omnium hominum patrem coelestem facere cernat, id imitantem non civium modo, Judaeorum, rationem habere, sed universorum hominum, itaque filium Dei se gerere imitatione, doctrina, similitudine, effigiem benignitatis paternae; simulque filium hominis, non Abrahami, Isaaci, Jacobi, Davidis, hoc est, humanitatis specimen et exemplar sese praestare. Propter hoc ipsum se ita comparatum, cui Deus *πᾶσαν τὴν κρίσιν* committat, *ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς*, omnis hominum gentis et nationis, illum esse *ἄνδρα, ἐν ᾧ μέλλει κρίνειν* *) *ὁ θεὸς τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ* (Jo. 5: 22, 27. 17: 2. Act. 17: 31), *ἕνα μεσίτην τοῦ ἑνὸς θεοῦ καὶ ἀνθρώπων πάντων, ἄνθρωπον* (Tim. 1, 2: 5, non *Ἰσραηλίτην*; qualem Moses egit, *ὁ μεσίτης* certi Dei popularis,

*) *Κρίνειν*, ubi non contra positum habetur *σώζειν*, non est condemnare, poenis affligere, perdere, sed regendi, moderandi significationem habet, ex c. Sir. 45: 34, *κρίνειν λαὸν θεοῦ ἐν δικαιοσύνῃ*, cum aequitate regere, ut Lutherus h. l. probe reddit. Haec phrasis, eodem modo intelligenda, non est infrequens in Psalmis praesertim. Ubi consequens autem *τοῦ ζητεῖν, τὸ κρίνειν* est vindicare Jo. 8: 50. — Ibid. 15. Vos *κατὰ τὴν σάρκα* metimini dignitatem hominis; ego neminem ita aestimo. Quare si quem ego aestimo, aestimatio mea (*κρίσις* i. q. *μαρτυρία*, v. 16.) vera est, *ἀπροσωπόληπτος*.

quales multi intelliguntur, at non unius; et Israelitarum, non universorum hominum.

Paulus Samosatenus, ab anno 260 episcopus Antiochiae, qui Christum hominem natum esse, sine ulla cum divina natura communione volebat, hac ipsius Jesu auctoritate suam sententiam protexit, qua evinceret, humanitatem suffecisse ad personam Christi gerendam. Potuit alia testimonia ejusmodi proferre, ex c. Jo. 8: 40, ubi Jesus ἄνθρωπον se vocat, veritatem, quam profiteretur, a Deo doctum; Rom. 5: 19, ubi docet apostolus, ἐκ χαρίσματος *) h. e. τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου I. X. in multitudinem redundasse τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, ejusque exemplo multos probos redditum iri, quemadmodum olim unius hominis exemplum contrarium multorum ruinam traxisset; Tim. 1, 2: 5, ubi apostolus ἄνθρωπον, non θεάνθρωπον, unum μεσίτην ἑνὸς θεοῦ καὶ πάντων ἀνθρώπων appellat, Jesum Christum. Hebr. 5: 1, ubi apostolus probat, quam consentaneum sit, τὸν ἀρχιερέα nostrum ex hominibus captum esse. Omnia denique munera Christi in hominem cadunt, sed eum qui suo jure dicere possit: Ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστιν· οὐκ ἀφῆκε με μόνον, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε, haud ergo in ψίλον ἄνθρωπον, in quemvis. Jo. 8: 29.

Dav. Keuchenius, orthodoxiae quo velificaretur, ὅτι vs. 27. exposuit quamvis. Sed bene Schoetgenius: „Nos re-

*) Χάρισμα est ejus, qui πνεύματι υἱοθεσίας dum agitur, ὑπὸ χάριν ὤν, non ὑπὸ νόμον, ita se gerit, ut gratiam ineat apud Deum. Cujus antitheton παράπτωμα, cogitata et facta quibus offensa subitur.

tinemus interpretationem simplicissimam quia, hoc sensu: — „Quando impii infirmitatem carnis praetexere volent, Christus respondebit: Ego homo quoque carnis infirmitatem novi; sed hoc tamen expertus item scio, humanam infirmitatem, juvante Deo, superari posse.“ Hanc vero expositionem malumus cum apostolo eo convertere, ut homo Christus *συμπαθεῖν*, possit *ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις, ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεύς.* Hoc autem Judaeorum sacerdotes atque legisperiti quum per superbiam maxime nollent, humanitatis obliti: minime idonei fuerunt ad fungendum suo munere, hoc est, ut loquitur Sir. 45: 26. *κρίνειν τὸν λαὸν τοῦ θεοῦ ἐν δικαιοσύνῃ* etc.

Optime Wetstenius ad Jo. 5: 27. „Filius hominis est qui sensum humanitatis habet;“ sentiens, ut ille Chremes Terentianus: Homo sum. Humani nihil a me alienum puto. Hebr. 4: 15, 16. 5: 1 sqq. Talis tantummodo idoneus fuit, qui efficeret quod Eph. 2: 14—18. Col. 1: 18—22. 3: 11. Gal. 3: 28. Act. 10: 36. Jo. 10: 16. praedicatur.

Sed Judaei, quibuscum Jesu negotium erat, hanc vocem *υἱὸς ἀνθρώπου* per calumniam eo sensu, quo Jesus eam protulit, accipere noluerunt, ac perinde ut supra vocem *ὁ πατήρ μου*, pro sua lubidine detorserunt. Nam in eo toti erant, ut dictis Jesu vel *βλασφημίαν* quandam vel absurditatem affingerent. Jam ipsi consueverant, ei paupertatem, humilitatem, ignobilitatem generis exprobrare, Jesumque בן אדם

vocare, hominem plebejum, unum de multis, nullius ordinis et loci, quum ipsi בני אישׁ essent. Hanc mentem animumque inimicorum satis expertum habens e vultu gestuque quid cogitatione volvant penitus intelligit Jesus, nempe *τοῦτο παντων ἀλογώτατον εἶναι*, Deum potestatem etiam imperii infiniti exercendi contulisse *υἱῷ ἀνθρώπου*, homini, ut ipsis hoc vocabulum accipere placebat, non *σοφῷ*, non *δυνατῷ*, non *εὐγενεῖ*, (Cor. 1, 1: 26—29.) ad serviendum nato, ad imperandum minime idoneo. Quare: *Μὴ θαυμάζετε τοῦτο* *), inquit, quod modo dixi, propterea quod *υἱὸς ἀνθρώπου* sit, Deum tantam ei potestatem dedisse.

Jam necessitas quaedam exigit, ut sermonem pergens ostendat, non esse quod gloriosae vanitatis vel absurditatis ipsum arguant. Hac ratione sic pergit: Pro mea quidem humilitate, cujus nunquam non memor sim, alios homines mihi pares quum ducam, non possum cum eis agere vel in eos decernere quidquam pro meo arbitrio et commodo; sed sicut audio, id est prout instituor usque a patre, ex ejus praecepto moderor homines. Hinc mea moderatio est aequa, quia non meum placitum affecto, sed placitum ejus, qui me misit, non homines mihi subigens, sed pariter ac me com-

*) *Τοῦτο* dicit, quod nempe *υἱὸς ἀνθρώπου* est, cui summa rerum humanarum commissa sit; non dicit magnitudinem rei gerendae. Etenim non rem *ἐθαύμασαν* Judaei, hoc est *ἐνεμέησαν*, sed personam, hac re gerenda indignissimam, ut ipsis videbatur. Personae igitur *ἐπιτηδειότης* ostendi debebat, non alia quaedam res eaque admirabilior proferri *τοῖς θαυμάζουσι*, quo cessent *θαυμάζειν τοῦτο*, admirentur contra vehementius *ἐκεῖνο*.

mum omnium hominum parenti (Hebr. 5: 8, 9), ut a me discant obedientiam, quam ipse doctus sum, ὅτι πραΰς εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Hanc igitur ob causam, quod ita subnisse me gero, ita commonem, quod grave nihil ac violentum mihimetipsi puto licere in fratres, pater me magistrum eorum et moderatorem constituit. Vos autem superbi, qui melioris luti vos opinamini plebemque natam, ut cervices praebeat vestrae impotentiae (Mt. 9: 36.), idonei non estis hominibus ex voluntate Dei gubernandis.

Eodem modo sententias jungit Origenes in Jo. Tom. 20. extremo: „Ut enim pater — vitam habere in semet ipso (vs. 26.), οὐ δυναμένῳ (vs. 30.) ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲ ἓν καὶ ζητοῦντι τὸ θέλημα οὐ τὸ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν." Ibid. cap. 30. „Haesitaverit fortasse aliquis, num hoc: Est qui quaerit et judicat (Jo, 8: 50.), ad Deum referre oporteat, quum palam dixerit Soter: Neque enim pater quemquam judicat-sicut honorant patrem (5: 22, 23). At vide an ad hoc uti queas eo dicto: Non possum ego — qui misit me (vs. 30). Nam si ut audit a patre, sic judicat, quaerens non suam sed patris qui ipsum misit gloriam, et hanc ob causam justum est ejus judicium: fortassis judicium quod dicit, qui a patre audit, non est audientis, sed magis proprie ejus qui dicit audienti."

Augustinus etiam distinctius (Tract. in Evang. Jo. 19): „Quia dicturi illi erant: Tu judicabis et pater non judicabit? quia omne judicium dedit filio (vs. 27.) — adiecit (vs. 30): „Non possum ego a me facere quidquam." Ibid.

„Nolite mirari hoc, quod dixi: Dedit ei potestatem et judicium facere.“

Quibus e locis manifesto cernitur, in verbis ὅτι ἔρχεται ὥρα (v. 28.) minime causam cur τοῦτο θαυμάζειν desinere oporteret Judaeos positam fuisse Augustino; sed rem quam mirabantur Judaei κρίσιν esse putavit a patre commissam filio hominis; causamque idoneam versu 30. redditam, non 28. et 29.

Chrysost. ad vs. 27. interpunctione mutata rem expedire tentavit in hunc modum: Ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί μὴ θαυμάζετε τοῦτο *). Paulus Samosatenus, inquit, non sic legit, sed:

---

*) Pronomen τοῦτο vel retrorsum monstrat vel prorsum. Retrorsum, ubi rem considerandam in superioribus objectam habent lectores, ex c. 4: 18, 54. 6: 6. 7: 39. 11: 26. πιστεύεις τοῦτο; Aliter se habet, ubi inter διὰ τοῦτο sive ἐν τούτῳ et ὅτι verbum intercedit, cujus objectum postulatur, ut 6: 65. 16: 15. 13: 35. Jo. 1, 1: 3. — Jo. 7: 21. in lite est, sursum anne deorsum trahi debeat διὰ τοῦτο. Vid. Griesb. recensio N. T. emend. a. Dav. Schulz. et commentar. in Jo. a Lücke confectus. Nobis quidem scholion inutile videtur. — Jo. 4, 5: 2. argumenti natio exigit, ut amor erga liberos Dei ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ praestitus τοῦτο sit, ἐν ᾧ γινώσκομεν amorem erga Deum ac τήρησιν τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ, sicut Jo. 13: 35. discipuli Christi ex amore erga condiscipulos cognoscuntur. Confer. Jo. 1, 4: 20, 21. 3: 17 sqq. Jac. 2, 13—17. Unde adsentimur iis qui lemmatum ordine inverso legi volunt: ὅτι τὸν θεὸν ἀγαπῶμεν, ὅταν ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, nisi placent ὅτι rescribere pro ὅταν, ac prius ὅτι a γινώσκομέν suspendere, posterius neetere ex pronomine demonstrativo, postremum autem lemma καὶ τηροῦμεν etc. pro scholio habere. Nusquam vero tantam reperire licet trajectionem, ut ὅτι cum suo lemmate antecedat, pronomen autem τοῦτο lemma primarium orationis

„potestatem dedit ei judicium faciendi, quia filius hominis est:“ id quod minime sequitur. Non enim próptorea accepit judicium quia homo est: nam nihil prohibuisset omnes homines judices esse; sed quoniam ineffabilis illius substantiae filius est, ideo judex *).

Sic luce clarius apparet, quam ἄτοπα sint illa verba a nobis omissa, quae si quid videmus nihil aliud sunt nisi μετάφρασις quaedam hominis dicta Joannis ita refingentis, ut distincte et perspicue eloquantur, quod ipse hoc loco doceri pro sua insipientia optabat.

Ejusmodi scholia complura in evangelium Joannis irrepsisse videntur, ubi, ταυτολογίας vitio vix ac ne vix quidem liberaveris auctorem, nisi locum dederis huic suspicioni.

---

concludat. Quam ob causam improbamus hanc interpunctionem quam Chrysostomus Jo. 5: 27. in orthodoxiae favorem excogitavit, sicut illam Jo. 1: 3, 4. contra Macedonianos ab eodem inventam.

Ceterum nescio an dictum: μὴ θαυμάζετε τοῦτο sit interrogativum. Num miramini isthoc? num hoc ἄλογον esse arbitramini?

Aliam rationem infit Cyrillus, qui pronomen τοῦτο respicere arbitratus est miraculum vs. 8, 9. in paralytico factum. „Hoc scire et credere vult homines attonitos illo miraculo: parum illud esse hactenus. Verbo enim ac virtute divina non tantum diuturnis morbis vexatos excitat, sed et ipsa morte submersos et inevitabili corruptione superatos.“

*) Hanc interpunctionem sectatus est Syrus; interpolando remedium tulerunt Aethiops et Persa. Sic ille: „Quia filius ipse est qui filios hominis judicat“; hic autem: „Quia filius Dei filius hominis est.“

Jam inquirere juvat, cujus dogmatis fautus iste Joannis metaphrastes vel interpolator fuerit.

Scimus Gnosticos eos, qui Joannis evangelium praecipue versabant *) ac suum proprium initio habuerunt, antequam id Justino aliisque Chiliastis innotuisse videtur, resurrectionem carnis negasse, itemque resurrectionem impiorum **). Nam ἀνάστασις (elevatio, exaltatio non e sepulchro in superficiem terrae ad iterandam vitam humanam, sed de terra in coelum), quam Jesus per hoc evangelium certe τοῖς πιστεύουσι solis promittit, idem quod ζωὴ αἰώνιος, in homines impios non cadit. Chiliastae contra volebant omnium hominum ἀνάστασιν, improborum pariter et proborum, ἀνάστασιν cadaverum e sepulchris, dogma Pharisaeorum eorumque rudiorum ***) amplexi. Jam ut suis opinionibus auctoritatem Joannis conciliarent, haberentque quod Gnosticis opponerent, haec verba interpolare e re sua esse duxerunt. Prisci certe Patres versum 29. ignorarunt, et ubi versum 28. laudasse videntur, in dubio est, annon aliunde hauserint similia illa quidem, sed non satis consona. Nam locutio οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, quam exegetae vulgo variationis causa pro οἱ νεκροὶ adhibitam volunt, idem tamen omnino sonantem, nusquam in N. T. occurrit; nedum apud germa-

*) Vid. Iren. 3: 11. „Qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem evangelio plenissime utentes.“

**) Vid. Just. dial. c. Tryph. 80. Iren. 1: 21. Tertull. Scorp. 10.

***) Vid. Jos. Fl. B. J. 3, 8: 5, unde cernitur, sanius eruditos Pharisaeos sensisse.

num Joannem, cujus stilum tantae proprietatis et castitatis esse videmus, ut ab ejusmodi variationibus alienissimus, ubi eandem rem iterum iterumque nominaturus erat, eodem vocabulo identidem uteretur bellorumque hominum fastidium nihil curaret. Nam re vera duo vocabula ex asse ταυτολόγα in una lingua et dialecto unoque stili genere non reperiuntur. Quamobrem proprietas loquendi hoc in se habet, ut si aliud vocabulum promat, aliam simul notionem efferat. Jam posito Jo. 6: 28 et 25 ab uno et eodem Joanne scripta esse, οἱ ἐν τοῖς μνημείοις non iidem omnino erunt qui οἱ νεκροί. Consentaneum igitur erat, postquam Jesus vs. 21. facultatem filio tribuisset ἐγείρειν νεκρούς καί ζωοποιεῖν, ac. vs. 24. spopondisset, eos qui λόγον ejus audirent et crederent τῷ πέμψαντι αὐτόν, μεταβεβηκέναι ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, iterari vs. 25. vocabulum οἱ νεκροί. De hoc igitur nobis liquet; non item, qua de causa, si vs. 28. οἱ ἐν τοῖς μνημείοις iidem essent, quos Jesus modo dixerat νεκρούς, non redeat vocabulum οἱ νεκροὶ, quo significantur homines ad vitam spiritualem et moralem nondum experrecti, quod dudum Zuinglius vidit et hodierni exegetae uno ore confitentur.

Nemo autem qui artem interpretandi probe calleat, locutione οἱ ἐν τοῖς μνημείοις significari putaverit τοὺς ἀπίστους, ut ad Mt. 8: 22. censuit Chrysostom, Origenem, ni fallor, secutus, τοὺς μήπω εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθόντας, τοὺς νεκροὺς ὅσον πρὸς ἐνεργείαν τινός, ut Oecum. ad Eph. 2: 1. Haec interpretatio tota congruit τοῖς νεκροῖς Eph. 2: 1, 5. 5: 14.

Ezech. 37: 12. vel potius Jes. 26: 19. LXX. fons esse vide-

tur, unde locutio *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις* *) fluxerit, ubi Israelitas p i o s intellectos vult propheta, justas exequias adeptos ac sepultura in monumentis patrum honoratos, qua excludi solebant improbi. Vid. Jahn, Archaeol. Hebr. F. 1. p. 553. Nam Israelitas eos Ezech. 37: 11. vocat Jehova, s u o s v. 12. Haud ergo patitur haec locutio, ut eos, quos Deus apertis Israelitarum sepulcris ut s u o s educturus sit, in homines pios et impios dividamus, eorumque diversam faciamus *ἀνάςασιν*, unam *ζωῆς*, alteram *κρίσεως*. Negari certe hoc nequit quin, ubi agatur de universis omnibus mortalibus, inscite commemorentur *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, quum digni juxta cum indignis tam multi careant monumentis. Hinc Oecumenius ad Jo. 5: 28. „Atqui non omnes sunt in monumentis; sed ab his qui sunt eos quoque significavit qui non sunt in monumentis, a rite (*κατὰ φύσιν*) sepultis etiam non rite sepultos.“ Cujusmodi synecdoche ab omni consuetudine loquendi tam abest quam ab omni ratione. — Nihil denique nostro quidem judicio *ἀτοπώτερον* esse potest, quam Jo. 5: 28. haec locutio *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*.

Syntactica quoque discrepantia notanda est in verbis *ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ*, quum 4: 21, 32. 5: 25. Joannes *ὅτε* scripserit, 12: 23. 13: 1. 16: 2, 4, 25, 32. 17: 1. *ἵνα*. Nam licet interpolator librorum Joannis vocibus ejus consueverit uti ac stilum imitari: deprehenduntur tamen etiam in verbis, si aciem intendimus, non solum in sententiis, vestigia *τῆς νοθείας*.

---

*) Ita reddunt LXX. Jes. 26: 19. נבלה periphrastice per euphemismum fortasse, aliis locis *νεκρὸς* quinquies, *σῶμα* decies.

Porro phrasis *ἀκούειν τῆς φωνῆς τινος* apud Joannem non est auribus percipere quid simpliciter, i. q. *ἀκούειν* *) *τινα* proprio sensu, sed aurem praebere docilem, i. q. *πειθεῖν* (vs. 25. coll. 24), 10: 3, 16, 27. 18: 37. Nemo est audiens dicto cuiquam, nisi *ὁ εἰδὼς τὴν φωνὴν αὐτοῦ* (10: 4, 5). *Ἀκούειν* cum accusativo (*τὴν φωνὴν*) non tantundem valet ibid. 3: 8. 5: 37. atque ad audiendi et intelligendi facultatem, non ad docilitatem alacritatemque obediendi et sectandi pertinet. *Ἀκούειν τὴν φωνὴν τινος* possumus *ἀλλοτρίου*, cujus vocem ignotam habemus, ideoque ei non fidimus, credimus, obtemperamus, quamvis exaudiverimus.

Probe animadverti debet etiam quod interest inter vs. 25, ubi verbis *οἱ νεκροὶ* **) (non *πάντες οἱ νεκροὶ*) *ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ θεοῦ* adiicitur: *καὶ ἀκούσαντες ζήσονται*, i. q. *ζωὴν αἰώνιον ἔχουσι* (coll. vs. 24), et inter vs. 28, ubi scriptum legitur *π. οἱ ἐν μνημείοις ἀ. τ. φ. αὐτοῦ*, non autem *ἀκούσαντες ζήσονται*.

Ergo *νεκροὶ* (vs. 25.) ut aurem praebuerunt voci filii Dei, evehuntur ad perpetuitatem vitae aeternae, nullus eorum *ἔρχεται εἰς κρίσιν* ***). Versu 28. omnes in sepulchris aurem

---

*) Vid. Matthiae Gr. Gr. §. 340. Etiam Augustinus, ut infra videbimus, verbo *ἀκούειν* h. l. obediendi significationem subjecit. Vid. Wetsten. ad Mt. 2: 9. 15: 5.

**) Articulus quum adjectivo vim substantivi conciliat, praesertim locum subjecti tenenti, non continuo notionem universitatis addit. Haud ergo idem valet *οἱ νεκροὶ* et *πάντες οἱ νεκροί*.

***) *Ἔρχεσθαι εἰς κρίσιν*, non judicium subire, quod omnium hominum est Hebr. 9: 27. Cor. 2, 5: 10, sed cadere in judicio, in-

praebebunt ejus voci; non autem iis omnibus ἀνάςασις ζωῆς continget, sed pars, quamvis pariter audierint, ἀναςάσει κρίσεως plectentur. Jam luce clarius est haec minime secum consentanea esse, atque vim et potestatem locutionis ἀκούειν τ. φωνῆς vs. 25 et 28. eandem parum sensisse, quicunque commata 28, 29. commentus fuerit.

Verum enim vero, quae tantum obfuit apud Patres S. L. interpretationi sermonis Hebraici inscientia et consequens etiam Hellenistici, praesertim in vocabulo ἀνάςασις notanda est. Est apud Gregor. Nyssenum ad Eccles. 1: 9. Οὐδὲ ἄλλο τί ἐςιν ἡ ἀνάςασις εἰ μὴ πάντως εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάςασις. Διὸ τούτοις ἐπάγει καὶ τὸ ἀκόλουθον λέγων· ὅτι ἔξω τοῦ ἀρχαίου ἐςὶν οὐδέν. Ergone Deus καινὸν nihil efficere potest? nihil quod non olim vita praeditum fuerit ζωοποιεῖν? Ita sentire est τῶν τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν μὴ εἰδότων. Annon Deus prophetas, duces, reges ἀνέςησεν homines, qui ab incunabulis eorumque item parentes humiles et obscuri, nullius ordinis et loci fuerant? הָקִים, קַיִם i. q. חַיָּה, הַחְיָה (quod תחיית המתים Rabbini dicere soliti sunt), haec vocabula non restitutionem in pristinum significare solent, sed collocationem in altiore loco quam pristinus unquam fuerat, in dignitate et felicitate inusitata, ita ut ἀνάςασιν tribuere τοῖς ἀδίκοις per consuetudinem Hebraicam et Hellenisticam nullo pacto liceat. Primus, quantum novimus, Zuinglius ad Matth. 22: 28. hanc vocabuli ἀνάςασις potestatem hellenisti-

---

terire, perinde ut ἔρχ. εἰς πειρασμὸν non in tentationem venire, sed occidere, interire in tentatione.

cam vindicavit. „קוּם non surgere tantum Hebraeis, inquit, sed stare et manere significat, ut apud Jesaiam: Verbum Domini stat in aeternum, hoc est firmum manet.“ Idem ad Jo. 6: 39. „Potest hic per novissimum diem intelligi ille dies, quo ex isto corpore dissolvimur terreno, et per *ἀνάςασιν* conservatio in vita, more hebraico חַיִּית et קַיָּם.“ Sic. Pet. 1, 3: 18. Christus *ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι* non est in vitam e morte revocatus, sed in vita conservatus: nam *τῷ πνεύματι* mortem nullam subiit; post necem vero carnis spiritus corpore humano solutus *δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου* infinito amplius et magnificentius exercere coepit. Mt. 26: 64. Confer. Cic. de Senect. 21, 22. Vid. Pott. ad Pet. 1, 3: 18. Ps. 71: 22. Mos. 1, 12: 12. 2, 1: 17.

Commate 29. insolens dictu est primum *ἐκπορεύεσθαι εἰς ἀνάςασιν*. Nam qui *πορεύεται*, jam *ἀναςὰς* esse debet. *Ἀνίςασθαι εἰς πόρευσιν* sive *ὁδὸν* cum ratione dixeris; non item *πορεύεσθαι εἰς ἀνάςασιν*.

Deinde *ἐκπορεύσθαι* semel praeter hunc locum infra 15: 26. occurrit: *ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται*, quod lemma scholion *) nimis redolet. *Ἐξέρχεσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς* Joannes scribere solitus erat 16: 27, 28. 17: 8. 8: 24. 13: 3. 16: 30. Ceterum simplex tantum *πορεύεσθαι* in usu est nostro evangelistae. Quidnam est, quaesumus, quod a Patre Filius quidem *ἐξέρχεται*, בָּא, Spiritus autem *ἐκπορεύεται*, יוֹצֵא?

*) Vid. Eb. Wassenbergh de Glossis N. T. Amstelod. 1815.

Porro *τὰ ἀγαθὰ ποιεῖν* nusquam apud eundem: nam *ποιεῖν*, colere, exercere *τὴν ἀληθείαν*, sive *δικαιοσύνην*, et *φαῦλα πράσσειν* contraria sunt 3: 20, 21. Jo. 1, 1: 6. 2: 29. 3: 7, 10.

Tandem *ἀνάςασις ζωῆς* nusquam legitur; *εἰς ζωὴν* extat Macc. 2: 7, 14. *Ἀίρετὸν μεταλλάσσοντας ἀπ' ἀνθρώπων τὰς ὑπὸ τοῦ θεοῦ προσδοκᾶν ἐλπίδας πάλιν ἀναςήσεσθαι ὑπ' αὐτοῦ.* Thessal. 1, 4: 16. *οἱ ἐν Χριςῷ* tantum sunt *ἔχοντες ἐλπίδα*, *οἱ λοιποὶ* non item; *οἱ νεκροὶ ἐν Χριςῷ ἀναςήσονται πρῶτον ἔπειτα ἡμεῖς, οἱ ζῶντες* scil. *ἐν Χριςῷ.* De resurrectione *τῶν λοιπῶν, τῶν μὴ ἐχόντων ἐλπίδα* ne syllaba quidem. *Σοὶ γὰρ ἀνάςασις εἰς ζωὴν οὐκ ἔςαι* (Macc. ibid.); non autem: *ἔςαι δέ σοι ἀνάςασις εἰς κρίσιν* sive *κρίσεως* *). Ubique in evangeliis *ἀνάςασις* notionem felicitatis adjunctam habet. *Οἱ δίκαιοι* tantum *καταξιωθήσονται τῆς ἀναςάσεως* Luc. 20: 35. Nam e Luc. 14: 14. falso colligitur, fore *ἀνάςασιν* etiam *ἀδίκων*, quoniam *ἀνάςασις δικαίων* futura sit: quod miror etiam Gesenio placuisse post Bertholdtum. Vid. Commentar. in Jes. cap. 26: 29. In hunc modum Prov. 11: 6. צְדָקַת יְשָׁרִים, justitia rectorum dicitur, unde sanus nemo collegerit justitiam pravorum. Vocabulum *ἀναςάσεως* trahit *δικαίων* pro epitheto proprietatis, ita ut in neminem cadere *ἀνάςασιν* moneamur, nisi in homines pios. *Ζωὴ αἰώνιος, αἰώνιος ἀναβίωσις ζωῆς* proposita est justis et honestis, *θάνατος, φθορὰ* scelestis Rom. 6: 23. Gal. 6: 8. Cor. 1, 15: 21. 22.

*) En tibi *ἐλπίδα* illam Act. 24: 15. 26: 6, 7. 28: 20. Conf. Thess. 1, 4: 13. Tit. 1: 2. 2: 13. 3: 7. Pet. 1, 1: 3.

*Δι' ἀνθρώπου ἀνάςασις νεκρῶν — ζωοποιηθήσονται* i. q. *ἀναςήσονται ἐν τῷ Χριςῷ πάντες.* Ergo *ἀνάςασις* nonnisi eorum qui cum in Christo essent, *διὰ τῆς ὑπακοῆς δίκαιοι καταςαθέντες. — δι' αὐτοῦ* (hoc est ejus munere et beneficio) vita aeterna sunt potituri: itaque *ἀνάςασιν δικαίων* obtinebunt.

Quam absurdum vero esset dictu *ἀνάςασις θανάτου, φθορᾶς!* Nihil autem aliud sonat *ἀνάςασις κρίσεως.* Nec sane ex eo, quod *οἱ δίκαιοι ἐλπίδα ἔχουσιν ἀναςάσεως*, sequitur, ut improbos pariter maneat *ἀνάςασις*, quin immo desperatio *ἀναςάσεως*, contraria ejus *κατάβασις*, *πτῶσις* Luc. 2: 34. *Ἕως ἅδου καταβιβασθήσονται*, dum probi *ἀναςήσονται*, *ὑψωθήσονται εἰς τὸν οὐρανόν.* Nam si verum quaerimus, Matth. 25: 31. sqq. nulla est evocatio corporum humatorum, sed praedicitur, quid Christus acturus sit, quando semel ecclesia sua post exantlatas aerumnas emerserit et constiterit, hostibus ad ejus pedes prostratis. Tum gentiles, qui humanitatem exercuerint in homines *δεδιωγμένους ἕνεκεν δικαιοσύνης μισθὸν δικαίων λήψονται* (Matth. 10: 41.) et cum probis cultoribus Dei adsciscentur in regnum coelorum, civitatem Dei, ecclesiam; qui contra fecerint, iis contraria sors obtinget. Vid. Corrodi, Hist. Chiliasmi Pars. 1. p. 353, ubi e Rabbinorum scriptis ostenditur, piis quoque Israelitis contributos esse gentiles, qui dum in exilio et servitute degerent Israelitae, eos humaniter ac benigne tractassent. Ex c. in Zohar: „Gentes de Israele bene meritas magna felicitas manet.“ Menasse complura hujus argumenti testimonia citat.

Praeter hunc locum Jo. 5: 28, 29, quem modo excussimus, alius de duplice resurrectione extat locus Act. 24: 15,

quem externa critice simul et interna in jus vocat. Diversarum enim recensionum lectiones coaluisse videntur in textu recepto, una *νεκρῶν*, qua vacat Vulgatus (vid. Griesb.), altera *δικαίων τε καὶ ἀδίκων*. Tertiam, si velis, cogitare possis, *δικαίων* e Luc. 20: 35. Unus adeo codex 25 vacat prorsus verbis *ἀνάςασιν — ἀδίκων*, quae salva sententia possunt abesse, quippe quum e superioribus facile reminiscamur spem illam Pharisaeorum cum Paulo communem.

Collatis ceteris locis ejusdem libri, ubicumque idem Paulus in hunc modum se defendit, ut ipsi perinique crimini ducere adversarios dicat, quod juxta cum Pharisaeis *ἀνάςασιν* profiteatur, qui eandem spem dudum vulgaverint, ut 23: 6. *ἐγὼ φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς φαρισαίου· περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναςάσεως νεκρῶν κρίνομαι*, 24: 21. *περὶ ἀναςάσεως νεκρῶν κρίνομαι*, et 26: 23. cognoscimus, nec supra neque infra diversorum hominum *ἀνάςασιν* ne significasse quidem Paulum, sed unice eam, in qua laeta spes ac stimulus insit in eo elaborandi, ut *ἀπρόςκοπον συνείδησιν* habeamus, nempe *ἀνάςασιν δικαίων*, quum aliorum nulla detur. Cfr. Macc l. l. Ergo sicubi distinctius loqui atque accuratius definire *ἀνάςασιν* opus esse videbatur, non tertio demum loco fieri oportuerat. Nusquam Patres Apostolici, nusquam Irenaeus ejusque sequaces, ne Athenagoras quidem, de resurrectione mortuorum ac Tertullianus de resurrectione carnis, quorum ad causam maxime intererat, hunc locum citarunt.

Corrodi nostras, quem modo laudavimus, ibidem p. 351. tradit antiquos magistros, inprimis autem doctiores Judaeos mediorum temporum, abiudicasse resurrectionem

impiis et Bechai omnibus gentibus praeterquam Judaeis, atque in adnotatione auctoritatum copiam praebet *). Qui vero universorum omnium resurrectionem volebant, trifariam diviserunt homines resurrecturos pios, sceleratos, mediocres.

Unus ergo certus locus in N. T. extat de resurrectione diversorum hominum, eaque temporibus diversa, quippe quum inter resurrectionem sanctorum, quam primam dicit, interque secundam, quam judicium excipiat ceterorum hominum, scelestorum et mediocrium, intercessurum sit regnum millenarium. Haec autem auctoritas non tantum invaluit, ut resurrectiones duae in formulam fidei reciperentur; immo opinionem de millenario regno, et quae adjuncta sunt, catholicam ecclesiam improbasse constat; unde satis liquet, apud antiquos apocalypsin re vera non tanti aestimatam esse, ut fidei articulos ex ea producere et constituere liceat; quae Zuinglii quoque sententia fuit. Praeter Irenaeum, Ambrosium, Hippolytum, Methodium vix ullus Patrum testimonium pro resurrectione illa prima et secunda ex Apocalypsi Joannis protulerunt.

Si juvat antiquissimum Patrem audire: Clemens Romanus ad Cor. 1: 24, 25 de resurrectione: „*Μέγα*, inquit, *καὶ θαυμαστὸν οὖν νομίζομεν εἶναι, εἰ ὁ δημιουργὸς τῶν πάντων ἀνάστασιν ποιήσεται τῶν ὁσίως αὐτῷ δουλευσάντων ἐν πεποιθήσει πίστεως ἀγαθῆς*“ (i. e. una voce *τῶν δικαίων*), eadem similitudine utens qua Paulus Cor. 1, 15: 37, carnis autem

*) Videatur Lightfootus quoque et in primis, quem supra laudavimus, Schoetgenius.

ἀνάςασιν nullam dicens, nec vero τῶν ἀδίκων. Secus doctur in secunda, quae ejusdem Clementis nomine insignitur, ad Cor. epistola, ab Eusebio jam et Hieronymo in suspicionem ναθείας vocata, ubi cap. 9. „Nemo vestrum dicat, hanc carnem non judicari nec resurgere. — Jesus Christus, quum primum esset spiritus, caro factus est; ita etiam vos in hac carne mercedem recipietis.“ Pervertebant enim illud dictum, Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο; hoc est: Quod olim σὰρξ mera esse perhibebatur hominum genus, τὸν λόγον παραλαβὸν (Jo. 1: 12, 13) sese particeps rationis praestare coepit, immo ratione humanitatem cerni probavit, idque specimine summo, quod in Jesu datum est. Non τὸν λόγον Jesum fuisse dicit usquam Evangelista, neque τὸν λόγον carnem factum esse.

Sed ut redeamus ad nostrum textum Jo. 5: 28, eum citatum opinantur a

## I.

Constitutt. Apost. 5: 7. Ἐπηγγείλατο ἡμῖν τὴν ἀνάςασιν. Ἀκούσονται γὰρ, φησὶ, πάντες οἱ ἐν τ. μνημείοις τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται.

Ζήσονται, dicit Jesus, h. e. vitam beatam agent superata corporis morte, nulli damnationis formidini obnoxii.

## II.

Ignatii interpolator epist. ad Tars. 7.

Ὅτι δὲ ἀνίςαται τὰ σώματα ἡμῶν, λέγει·

Ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ θεοῦ καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται.

## III.

Origenes (in Matth. serie c. 139):

„Venit hora, secundum quod promiserat Christus, ut qui in monumentis sunt audiant vocem filii et vivant.“

Apud Clementem Alexandrinum, quamquam Jo. 5. neque vs. 25 neque 28 reperitur, vs. 24. tamen semel occurrit. Ex qua laudatione facile intelligas, quam in partem vs. 25. acceperit. Paedag. 1: 6. *Ἡ τῶν κακῶν ἀπαλλαγὴ σωτηρίας ἐστὶν ἀρχή. Μόνον δὲ ἄρα οἱ πρῶτον ἀρξάμενοι τῶν ὅρων τῆς ζωῆς ἤδη τέλειοι· ζῶμεν δὲ ἤδη οἱ θανάτου κεχωρισμένοι. Σωτηρία τοίνυν τὸ ἕπεσθαι Χριστῷ. Ὃ γὰρ γέγονεν ἐν αὐτῷ (λόγῳ), ζωή ἐστιν**). (Jo. 1: 3, 4.) *Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, φησὶν, ὁ τῶν λόγων***) *μου ἀκούων — ἐκ τοῦ θανάτου.* (Ibid. 5: 24.)

## IV.

Origenes l. c. cap. 133.

„Venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei et vivent.“

Sed vero has laudationes omnes commati 25. vindicandas esse, manifesto cernitur ex verbo ultimo *ζήσονται*, et *τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* post *μνημείοις*. In prima et secunda *οἱ ἀκουσαντες* accedit; item *ἀμὴν λέγω ὑμῖν* in secunda. Ibidem *ἐν ᾗ* pro *ὅτε* reperitur, ac *τοῦ θεοῦ* pro *τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*. In omnibus *καὶ νῦν ἐστι* deficit, in tertia et quarta *οἱ ἀκούσαντες*.

---

*) Attende interpunctionem et lectionem unice rectam, antiquissimam!

**) Ecce lectionem a Griesb. et Schulzio praetermissam! Cfr. Jo. 8: 43. 12: 47.

Attamen salva res est, dum cuncti vocem *ζήσονται* reddunt. Unde *οἱ ἐν μνημείοις* in prima et tertia et *πάντες οἱ ἐν μν.* in secunda et quarta nonnisi varietatem pro *οἱ νεκροὶ* vs. 25. esse ducimus.

Nimis libenter dicta et phrases, quarum ex oraculis V. T. reminiscebantur, in libros N. T. intersperserunt mutaruntque cum recentioribus. Consueverant enim *οἱ δογματιζόμενοι* testimoniis V. T. substruere doctrinam Jesu et apostolorum. Videsis in Constitutt. Apost. *περὶ ἀναςάσεως ἀποδείξεις διαφόρους*, ubi Ezech. 37: 11, Jes. 26: 19. prius laudantur quam locus Jo. 5: 25, ad similitudinem horum oraculorum rescriptus. Idem facit Irenaeus 5: 15 et 34. ac Tertull. de resurr. carnis 29. Quod lemma *καὶ νῦν ἐςι*, ut parum congruens cum suo placito, abjecerunt Patres, haud miramur; itemque *οἱ ἀκούσαντες*, quam vocem *πλεονάζειν* existimarunt ejus mentem et sententiam haud assecuti.

## V.

Huc referri debet Slav. 2.

*Ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται*, quibuscum ultimis verbis constare nullo modo potest comma 29. Nam, omnes *ζήσονται*, non pars tantummodo *εἰς ἀνάςασιν ζωῆς*, pars *εἰς ἀνάςασιν κρίσεως ἐκπορεύσονται.*

## VI.

Auctor ille Quaest. et Resp. ad Orthodoxos 45. item Jo. 5: 25. laudasse videtur:

Venit hora et nunc est, quando omnes qui sunt in

monumentis (μνημείοις) audient vocem filii hominis, et qui audierint vivent.

Aliam vero idem recensionem Quaest. 109 ingerit: Ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστι, ὅτε πάντες οἱ ἐν τοῖς μνήμασιν (Evangelista sexies et decies vocabulo μνημεῖον utitur, nusquam μνῆμα, quod apud Ezech. LXX. usurparunt. Apud Jes. 26: 19. ἐν τοῖς μνημείοις) ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ ἐξέρχονται οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστασιν κρίσεως; quae verba Jo. 5: 29. leguntur. Similiter Quaest. 120. praeterquam quod μνημείοις pro μνήμασιν, ἐξελεύσονται pro ἐξέρχονται posuit, πάντες omisit. Hic verba καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε commatis 25. traducta sunt in comma 28, vel pro οἱ νεκροὶ — ζήσονται, ut vs. 25. deinceps legitur, πάντες — κρίσεως supposuit auctor, quem nescio quomodo fugisse videtur, vi horum verborum τὴν ἀνάστασιν universorum sepultorum Christi aetate factam esse; non igitur longe expectandam cum interitu omnis corporei mundi.

Hilarius primus, quantum investigare licebat, comma 25, ut in recepto textu hodie est, totum, integrum nihilque mutatum laudavit:

Amen, amen dico vobis, quoniam venit hora et nunc est, in qua audient mortui vocem filii Dei, et qui audierint vivent.

Qua in laudatione nulla varietas nisi ἐν ᾗ pro ὅτε, sicut supra in II.

Nihilominus Hilarius perinde ut Constitutt. Ap. et Pseudo-Ignatius de resurrectione corporis cogitavit, non asse-

cutus e contextu tropicum hujus commatis intellectum. Haec enim subjicit voci laudatae:

„Numquid alia vox potest majoris esse virtutis, quam dissolutorum corporum pulverem in formam cogere soliditatemque membrorum et vitam rursus in homines et animas revocare et corruptionem imbecillis naturae coelestis incorruptione mutare?“

Diversam non modo verbis, sed vi et potestate verborum redactionem, hoc est comma 28 et 29, primus omnium protulit Irenaeus 5: 13, data opera resurrectionem carnis contra Gnosticos propugnaturus: „Veniet hora, in qua omnes mortui, qui in monumentis sunt*), audient vocem filii hominis et exient, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, et qui mala operati sunt in resurrectionem judicii.“

Eadem recensione usus est Ambrosius tract. in symbol. Apost.

„Vera, inquit, in carne resurrectio mortuorum atque diversitas sexus erit, sine opere carnis et sanguinis.“

„Veniet, ait Evangelista, hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii hominis et procedent qui bona fecerunt etc.“

Totidem verbis hunc locum idem repetit Comment. in cap. 20. Apocal.

Irenaeus et Ambrosius (apud Cyprianum frustra hunc locum Jo. 5: et 25 et 28, 29 requisivi) comma 25, ut in re-

*) Animadvertatur scholion qui in monumentis sunt vocabulo mortui adsutum.

cepto textu se habet, ignorasse videntur; certe, ubi oportuit, non laudant; ceteris autem, quos supra memoravimus, Patribus (excepto auctore Quaestionum ad Orthodoxos qui seculo demum quinto viguit), commata 28, 29. aut ignota aut parum probata fuisse, eadem ratione conjectare licet.

Jacob. Nisib. „Veniet tempus quando mortui audient vocem filii hominis et exibunt e monumentis suis."

Ignotus certe fuisse hic locus, de quo agitur, Gnosticis debet, qui resurrectionem in carne *τῶν ἀδίκων* pariter ac *τῶν δικαίων* negarunt, quibuscum Justinus, Irenaeus, Tertullianus acerrime digladiabantur. Hos autem omnium primos evangelium, quod Joannis dicitur, ipsorum proprium et unicum habuisse, in eoque ut omnem auctoritatem, sic summum studium posuisse, quemadmodum Ebionitae in evangelio secundum Hebraeos, quod auctores Canonis Matthaeo adscripserunt, certo certius est, si quid omnino liquet de originibus et cunabulis evangeliorum. Gnostici ergo quum resurrectionem istiusmodi maxime improbarent: testimonium ejus dogmatis tam luculentum quam Jo. 5: 28, 29. in evangelio, quod unum ratum sanctumque ipsi habebant, ante canonem conditum extitisse non potest; maxime autem vero simile, auctores canonis, id agentes ut partes Christianorum quas adversarias habebant, id est sua quidem opinione haereticas, ex ipsarum evangeliis refutarent, hunc in finem evangelium Joannis adulterasse et interpolasse.

Primus Patrum Tertullianus ambos locos et Jo. 5: 25. et ibid. 28, 29. satis discrevit itaque protulit, ut etiamnunc in Joanne extant canonico.

Hic enim de resurrectione carnis cap. 37, quem librum Chiliasta idem et Montanista scripsit:

„Veniet hora, inquit, quum mortui audient vocem filii Dei: et qui audierint vivent". Jo. 5: 25.

Quem in locum pro suo artificio ita commentatur:

„Quid mortuum nisi caro?"

Omnino vero! itaque mortua caro, ut vitam vitalem aeternam atque beatam nulla ratione obtinere queat nulloque pacto *τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ κληρονομῆσαι*, quippe cujus *φρόνημα θάνατος*, quaeque *νόμῳ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται*. Neque igitur fieri potest, ut caro aurem praebeat voci filii dei. Non enim *δέχεται ψυχικὸς ἄνθρωπος τὰ τοῦ πνεύματος — καὶ οὐ δύναται γνῶναι*. Nequaquam *τὸ πρῶτον* illud, *τὸ σαρκινὸν, ψυχικὸν*, sed *τὸ δεύτερον, τὸ πνευματικὸν*, dum est adhuc in herba, immo in semine latet, *νεκρὸν* dicitur sive dormiens priusquam, vi quadam benigna fecundatum *ἄνωθεν*, succreverit atque *ἐνέργειαν* adeptum fuerit. Annon legisti, Tertulliane, Jo. 3: 3–8. *τὸ γεγεννημένον ἐκ πνεύματος* tantum posse *ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, idem quod *ἀναζῆναι*, non *τὴν σάρκα*. Tua interrogatione: Quid mortuum nisi caro? nihil nisi ignorantiam vel insipientiam arguis. Quod Paulus scripsit: *Ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ καὶ συνήγειρε* (Eph. 2: 1, 7): num audes hoc ita commentari: *νεκροὺς* nimirum *κατὰ σάρκα*? Inspice praeterea ibidem 5: 14. Matth. 8: 22! Quid autem Aethiopas lavamus, homines qui carnem sanctam, justam somniant Christi, Irenaeos, Tertullianos, qua comedenda et

concoquenda nostra quoque caro sancta reddatur et immortalitatis compos?!

„Et quid vox Dei *) nisi sermo? et quid sermo nisi spiritus."

Qua quidem expositione nihil doctiores reddimur. Ceterum, si vox Dei et ὁ λόγος atque etiam τὸ πνεῦμα in idem recidunt, quo tandem abit, o Tertulliane! trinitas tua?

„Merito, pergit, carnem resuscitaturus, quod factus est ipse, et ex morte quam passus est ipse; denique quum dicit: Ne miremini quod veniet **) hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei et procedent qui bona fecerunt in vitae resurrectionem, et qui mala in resurrectionem judicii. Nemo jam poterit aliud mortuos interpretari qui sint in mo-

*) Tertullianus ex hoc intelligitur Jo. 5: 25. vocem Dei legisse non vocem filii Dei, sicut Ignat. ad Tars. et CDD. 56. 61. Confer. Exod. 19: 15. Jer. 11: 4. 22: 21. Sam. 1, 15: 1. Quoties in V. T. iis, qui voci Dei obtemperent per prophetas editae, promittitur vita? Sic nostro loco iis, qui doctrinam ipsius audiant, et fidem praestent ei quem miserit Deus, itaque voci Dei per ejus legatum editae, vita spondetur a Christo.

**) Quanam ratione Jesus vetat quo minus mirentur Judaei rem omnium maxime admirabilem? Evangelista: μὴ θαυμάζετε τοῦτο, scripsit et verbis ὅτι ἔρχεται ὥρα etc. non rem pronomine relativo monstratam exponit, sed causam reddere debuit, cur hoc mirari non conveniat. Sic nullam nisi Cyrilli expositionem huic loco supposito aptam esse videmus. Τοῦτο callidus delevit Tertullianus, quia τοῦτο ὅτι non aliam quandam resurrectionem, sed eam, quae vs. 25. praecessit, iteraret spiritualem, Tertulliano displicentem.

numentis, nisi corpora et carnem, quia nec ipsa monumenta aliud quam corporum cadavera."

Ecce! quo vocabulum *οἱ νεκροὶ* in suum placitum detorquere possent, locutionem omnes qui in monumentis sunt supponere opus fuit Chiliastis. Fefellit autem opinio, jam aliud neminem mortuos interpretari posse. Potuit Grotius ad Ezech. 37: 1—12. hanc locutionem tropice accipere, ut Israelitas in exilium projectos ibique vita privatos civili propheta significet, quum Jehovam faciat pronuntiantem hunc in modum: „Educam vos de sepulchris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel!" Potuit tribus seculis abhinc Pellicanus nostras, N. Test. commentator: „Nam hic vs. 11. satis ostenditur, inquit, hanc visionem non de resurrectione quadam, in fine mundi, totius generis humani proprie agere, sed de restitutione politica Israelitarum sic lamentantium: Aruerunt ossa nostra; periit spes nostra; despondimus omnino animos de reditu in terram nostram, a qua abscissi sumus. Quibus Ezechiel oraculum edere compellitur isthoc: Sic ait Jehova deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros etc. Quemadmodum querebantur se mortuos in sepulchris jacere: ita spondetur fore, ut e sepulchris redeant in vitam, hoc est e terris, in quibus captivi velut in carcere detineantur, restituantur in vitam, id est in patriam et libertatem antiquam. Haec autem eventum habuisse, libri Esdrae et Josephi testantur."

Nihil nisi imitatus est atque amplificavit hoc antiquius oraculum Jesaias ille junior cap. 26, ubi vates vs. 14. canit:

Ἀναζήσονται οἱ νεκροὶ LXX. (מֵתֶיךָ, *οἱ νεκροί σου*, scil. *τοῦ θεοῦ*, ex hebr. veritate) *καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις* LXX (נִבְלָתִי, *τὸ πτῶμά μου*, h. e. exanimum populi mei corpus). Bene Gesenius ad h. l. „Quos vates dicit tuos Jehovae mortuos, meum Israelitarum populum vs. 20, nihil differunt a piis, justis (צַדִּיקִים, חֲסִידִים). Nam in ejusmodi antithetis nationalibus omnino Judaei pro religiosis, justis, Gentiles pro scelestis, profanis ducuntur. Priores tantum surgent, non item posteriores.“ Nam vs. 13, sq. vates: „O Jehova, deus noster! quamquam in servitutem nos redegerint domini praeter te, duntaxat tamen tui nominisque tui recordamur. Isti (hoc est: nostri tyranni) demortui non reviviscent“ etc.

Haec omnino si quis lustraverit et inter se contulerit, de resurrectione propria singulorum morte defunctorum qua ratione cogitare possit, nos quidem mente concipere non possumus. Quocirca improbamus quam Gesenius dedit Jes. 26: 19. explicationem: „O si Israelis mortui, illa multitudo piorum, qui funestis tempestatibus per aerumnas occiderunt, ex orco reduces patriam restitutam celebrent atque in partem prosperitatis, qua florebit, veniant!“ Generis, populi conservationem et redintegrationem, non individuorum, ut ita loquar, volunt, spectant prophetae; similitudine sumta a satis, quae exarefacta et detonsa, quum verni venti cum matutino rore (Jes. 26: 19. Ps. 104: 30. Hiob. 14—12.) humum fecundaverint, reficiuntur sive nova prole sufficiuntur. Sic multae terrae, incolis bello tantum non deletis aut in servitutem abreptis, reddita pace et libertate,

incredibiliter cito rursus ἐξ ὀλίγου τινὸς καταλείμματος scatuerunt civibus non iis ipsis, quos perdiderant, sed eorum natis et natis natorum, ita ut gens et populus perennis videatur. Nam „ut foliorum in arbore densa virentium alia decidunt aliis nascentibus: ita quod carne et sanguine procreatur aliud obit, aliud gignitur, ut Siracides cap. 14. scribit. Nequaquam igitur concedimus Gesenio, hoc Jesaiae loco doctrinam contineri de resurrectione corporum, quam Pharisaei tenebant, atque adeo Ezechielis quem consideravimus locum praeceptam hujus doctrinae notitiam arguere. Hoc autem ei concedemus ultro, tropo quo usi erant prophetae a satis et plantis desumto Pharisaeos fatuos proprium sensum tribuisse itaque suum dogma in vulgi opinionem auctoritate prophetarum male intellectorum inculcasse. Danielem (12: 2.) nihil moramur, ubi πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χώματι *), non πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις memorantur; nulla ergo allusio Evangelistae ad hunc scriptorem apparet. Ceterum ibi ὀνειδισμὸς καὶ αἰσχύνη αἰώνιος alteris impertitur, alteris ζωὴ αἰώνιος, λαμπρότης, immortalis gloria nominis. Ἀποθανόντες λαλοῦνται in utramque partem. Confer. Sir. 44: 3—15, quo meliorem commentarium huic Danielis loco nos quidem nescimus **). Hoc ni fallor, Da-

*) אדמת־עפר et קברות tantum differunt quantum fossa vel pulvis tantum cadaveri injectus (Hor. Carm. 1; 29. extr.) et justum sepulchrum.

**) Eodem pertinet Eccles. 12: 14. Nam nihil est κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται (Matth. 10: 26), et Sophoclis illud: Ἥρως τοιοῦτος

niel dicere voluit: Qui per illa tempora in Deum et patriam vel optime vel pessime meriti erunt, ut Onias III. et Hasmonaeorum familia ex una parte, Jason ac Menelaus ex altera, quamvis demortui non oblivione sepulti jacebunt, sed excitabuntur quasi rerum gestarum memoriis, ut (Livii verbis uti lubet) posteri omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueantur, unde sibi et reip. quod imitentur capiant; unde foedum inceptu, foedum exitu quod vitent. Aliter hunc locum explicavit Grotius post Porphyrium, sed parum probabiliter, ut mihi quidem videtur.

Ex hoc diverticulo ut redeamus: Tertullianus ita finit:

„Si quidem et ipsi homines veteres, id est peccatores, id est mortui per ignorantiam dei, quos monumenta intelligendos argumentantur haeretici, de monumentis processuri in judicium aperte praedicantur. Ceterum quomodo de monumentis monumenta procedent? *)

Tertullianus manifesto hic Origenem **) carpit (in Matth.

---

κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάνθ' ὁρῶν καὶ παντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

*) Hoc ipsum de monumentis procedent Origenes suis in codicibus non habuisse videtur; haud ergo inde argumentari par fuit contra Origenem, qui et vivent legit, sicut Ap. Constitutt. et Ignatius, non et procedent etc.

**) Origenis anno 185 nati, 253 mortui, commentarios in Matthaeum vidisse potest Tertullianus, quem anno 220. obiisse conjectant litteratores, non injuria notans allegoriae vitium, per quod corpora e monumentis egredientia ipsa dixit sepulchra mortuarum animarum eaque ex se ipsis exire fecit atque in corpora sancta-

Commentar. Serie cap. 139), ubi Jo. 5: 28. allegorice ad Matth. 27: 52. accommodatur.

„Venit hora, secundum quod promiserat Christus, ut qui in monumentis sunt audiant vocem filii Dei et vivant. Propterea audientibus eis vocem filii Dei monumenta sunt aperta, quae clausa quidem fuerunt quamdiu mortui erant in iis; aperta sunt autem, ut qui resurrexerant egrediantur e monumentis, non ante resurrectionem primogeniti e mortuis, sed post resurrectionem ipsius; et resurgentes derelinquant quidem monumenta, ingrediantur autem civitatem sanctam et appareant et manifestentur multis volentibus et potentibus civitatem Dei videre et quae in ea resuscitata sunt corpora sanctorum. Monumenta enim dicuntur corpora peccatricum animarum, id est mortuarum deo. Cum autem per gratiam Dei animae hujusmodi fuerint suscitatae ad fidem: corpora earum quae fuerant prius monumenta mortuarum animarum efficiuntur corpora sanctarum et videntur ab se ipsis exire, cum desierint esse monumenta mortuarum animarum et coeperint corpora esse sanctarum. Magna ergo sunt facta, ex eo quod magna voce clamavit Jesus et emisit spiritum, et semper haec eadem magna quotidie fiunt. — Sic semper et monumenta aperiuntur et multa corpora sanctorum quidem dormientium surgunt et egrediuntur de

---

rum vertere. Sed haec reprehensio nihil pertinet ad interpretationem loci, quem prae manibus habemus Jo. 5, sed Matth. 27. Ceterum Origenem haereticum Tertulliano fuisse, consentaneum est, Chiliastae et Montaniatae.

monumentis, post resurrectionem autem ejus, qui mortuus est pro nobis; et sequuntur cum qui resurrexerunt et in novitate vitae ambulant cum eo etc. *).

Origenes per *συνάφειαν* orationis non potuit non Jo. 5: 25. locutioni *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, vocabulo *οἱ νεκροὶ* suppositae, sensum tropicum tribuere: nam verba, quibus hoc ipsum comma concluditur: *καὶ ἀκούσαντες ζήσονται* huc adegerunt. Nihilque nostro quidem judicio impedit, quin *οἱ ἀπηλλοτριωμένοι ἀπὸ τῆς πολιτείας Ἰσραὴλ διὰ τὴν ἄγνοιαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, διὰ τὴν ματαίαν ἀναστροφὴν πατροπαράδοτον*, in qua conditione, tamquam in *αἰχμαλωσίᾳ* (Cor. 2, 10: 4. coll. 3: 13—18. Eph. 4: 8.) jacebant, *οἱ ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ* (ibid. 2: 12. 4: 18. 2: 13. Pet. 1, 1: 18) tropice vocari queant *οἱ ἐν τ. μνημείοις* pariter atque illi, ut ita loquar, politice mortui apud Jesaiam et Ezechielem. Falso igitur Tertullianus contendit neminem aliud mortuos interpretari posse qui sint in monimentis nisi corpora et carnem.

Superest alius ibid. 132. Origenis locus:

„Nec ipse destruit templum", sed quod alii destruunt, ipse aedificat, sive templum proprii corporis quod a Judaeis fuerat traditum morti, sive templum testium suorum et omnium qui habuerunt verbum Dei in se, et ex insidiis impiorum propter pietatem mortui sunt:

---

*) Ex toto hoc loco manifestum est, ut quamvis *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις* pro *οἱ νεκροὶ* irrepsisset et *ἀναζήσονται* pro *ζήσονται*, tropicus tamen intellectus non continuo derelictus fuerit.

„Venit enim hora, quando omnes qui in monimentis sunt audient vocem filii Dei et resurgent."

Male se habet, quod Origeniana, quorum latinis tantum translationibus orthodoxorum invidia et barbarum aevum pepercit, tam exiguam fidem habent, ut hoc loco addubitare liceat, scripserintne Origenes ipse *καὶ ἀναςήσονται*, an ut cap. 33. et 139. *καὶ ζήσονται*. Hoc saltem certum est, Origenem, sive *ἀναςήσονται* sive *ζήσονται* scripserit, de hominibus nonnisi cogitasse piis ac de vita beata. Idem quoque alias *ἀνάςασιν* simpliciter eo sensu usurpare solebat, quo sempiternae morti opponitur itaque vitae beatae perpetuitatem significat, ex c. in Matth. 17: 33, ubi haec leguntur: „Si igitur *ἐν μακαριότητι οἱ γέρως ἀξιούμενοι* propter praesens aevum, in quo honeste vixerunt, in illa erunt vita et nemo eorum, qui non certamen sustinuerint, tum *καταξιοῦται τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναςάσεως*, manifestum est, ea quibus propter generationem hic usus fuerat illic minime futura: nihil enim supervacaneum Deus facit, neque frustra quidpiam ab eo producitur *)." Recte, si quid video, Epiphanius Haer. 64:

*) Si genitalibus partibus carebimus in vita futura, vacabimus quoque iis quibus cibus et potus sumuntur, digeruntur, excernuntur, stomacho, ventre, intestinis (Cor. 1, 6: 13); quumque corpore *πνευματικῷ* instructi erimus, nec *ψυχικῷ* utemur, laryngе, pulmonibus. Quibus tollendis etiam caro et sanguis cessabit, itaque nihil prorsus istius corporis terreni futura in vita locum habebit; ejus ergo resurrectionem cogitare *τῶν ληπίων* esse videtur. Quumque homines *ψυχικοὶ, σαρκικοὶ*, toti *ἐν σαρκὶ* sint, eamque unam colant (Rom. 8: 9. Gal. 6: 8), nihilque nisi hujus cor-

10. Origenem inducit resurrectionem, nempe orthodoxam illam, impugnantem. Nam, si quando resurrectionem improborum docere videtur, resurrectionis nomen adhibet *καταχρηστικῶς*, invidiam et calumniam orthodoxorum declinandi causa.

Ut ipse testatur Origenes *) tertio seculo adhuc negarunt simpliciores Christianorum (perinde atque quos supra diximus Judaeorum magistri **), *ὅτι ἀναστήσονται οἱ ἄδικοι*, ex quo certum cognoscitur, eos nec Jo. 15: 28, 29, neque Act. 24: 25 ita scriptum legisse, ut hodie textus habet receptus; apocalypsin autem iis vel ignotam

---

poris negotia, otia, gaudia curent, de iis fiet, quod Sirac. 14: 19. dicit: *Πᾶν ἔργον σηπόμενον ἐκλείπει καὶ ὁ ἐργαζόμενος αὐτὸ μετ' αὐτοῦ ἀπελεύσεται.* Confer. Jud. V. 10.

*) *Ἐντεῦθεν οἱ ἁπλούστεροι τῶν πεπιστευκότων ὁρμώμενοι νομίζουσι* (tertio adhuc seculo) *τοὺς ἀσεβεῖς τῆς ἀναστάσεως μὴ τεύξεσθαι.* Orig. Selecta in Psalm 1: 5.

**) Stabant nimirum primi psalmi auctoritate non secus ac seculo decimo tertio David Kimchi. Videsis commentarium ejus in Psalmos. Male profecto hodierni Theologi hoc et illud Judaicam dogmaticen tradere dicunt, quod una Judaicarum scholarum et interdum earum vilissima opinabatur, ita nimirum pro lubitu molem Judaicarum fabularum digerentes, ut ex iis, quae cum catholico systemate maxime congruunt, Rabbinorum commentis suam dogmaticen conflent, quasi Judaei pariter atque Christiani orthodoxiam quandam semel constitutam habuissent. Tum vero Judaicam sui arbitrii dogmaticen volunt Jesum et apostolos mordicus tenuisse atque nos evangelia et apostolica scripta ex illis interpretari debere, unde nostris temporibus novas in fraudes interpretatio L. S. impulsa videtur.

fuisse vel nullius ad fidem ponderis. O si hodiernis Christianis contingeret tam felicibus esse, ut ad integritatem illam fidei, quam simplices Christiani sub initium secundi seculi adhuc tenuerant redeamus, a Tertulliano ac deinceps aliis, si Deo placet orthodoxis, adulteratam vel surreptam. Ceterum *οἱ ἁπλούστεροι τῶν πεπιστευκότων* *) satis recte intellexisse nobis videntur, quid sit *ἀνάστασις*? קוּם, per varias quas apud Latinos quoque verbum standi habet significationes, 1) in re familiari habere unde vivas; 2) in re militari non perire, vitam et incolumitatem servare; 3) in rebus forensibus absolvi criminis; causam obtinere, vincere; 4) in republica locum, dignitatem, rerum prosperitatem tueri ac tenere. Praepositio *ἀνὰ* urgenda non est, ita ut *ἀνάστασις* et simplex *στάσις* tantundem valeant, contrariumque vocabulum habeant simplicem *πτῶσιν*. Videsis Luc. 2: 34. Atqui in civitate Dei *ἀνάστασις* tantum *τ. δικαίων* cogitari potest Luc. 14: 14. Ps. 1: 5, nulla *τ. ἀδίκων*. Sir. 20: 18. *πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει*. Jam vero quinam sint justi necne, *δηλώσει ἡ ἡμέρα* (Cor. 1, 3: 13), i. q. *κρίσις* (vid. Bretschn. sub *ἡμέρα*), praesertim *ἡ ἐσχάτη*, supremus unicuique hominum dies, ut Zuinglius hanc locutionem optime intellexit. Nam (Hebr. 9: 27.) *ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν*,

*) Simile testimonium fert Tertullianus adv. Prax cap. 3: „Simplices quique, ne dixerim imprudentes et idiotae, quae major semper credentium pars est — expavescunt ad oeconomiam, numerum et dispositionem trinitatis. — Itaque duos et tres jactant a nobis praedicari, se vero unius Dei cultores praesumunt.“

*μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις.* Sub hoc judicium ad unum omnes homines vocantur; non autem *ἔρχονται* sive *εἰσέρχοντας* omnes*). Nam *κρίσιν ὑπομένουσιν οἱ δίκαιοι, ἔρχονται* autem, *εἰσέρχονται εἰς κρίσιν*, hoc est occident, occumbent judicio tantum *οἱ ἀσεβεῖς* Haud secus ac nos omnes Cor. 1, 10: 13. *λαμβάνει πειρασμός. Περιπίπτειν πειρασμοῖς ποικίλοις* omnium est Christianorum (Jac. 1: 2), sed *εἰς πειρασμὸν εἰσέρχονται* non omnes *οἱ περιπεσόντες; ὑπομένουσι πειρασμὸν οἱ πιστεύοντες*, i. q. *εὐσεβεῖς, ῥύεται αὐτοὺς ἐκ πειρασμοῦ ὁ Θεός. — Τῷ φοβουμένῳ κύριον οὐκ ἀπαντήσει κακόν, ἀλλ' ἐν πειρασμῷ καὶ πάλιν ἐξελεῖται.* Sir. 33: 1. Sic omnia liquent *τοῖς ἁπλουστέροις*, quod verum, simplex sincerumque est anquirentibus. Turbatur autem ac miscetur haec tota doctrina, simul ut Pharisaeorum dogma de cadaveribus e gremio terrae in pristinum statum restituendis *παρεισάγειν* prurimus. — „Resurgere non est nisi ejus qui cecidit" crebro dixit Tertullianus ac post illum alii; sed linguae Hebraicae et Hellenisticae gnari vocabulum *ἀνάστασιν* saepe nullo ad casum quendam respectu adhiberi didicerunt, etiam a Graecis." Ex. c. Act. 2: 22, 26. non de lapso sive mortuo quodam propheta sermo est: *Ἀνάστασις εἰκόνος* est erectio statuae non prostratae, sed quae prius steterat nunquam. Ita *νεκροὶ* vocantur non qui

*) בּוֹא בְּמַסָּה, non est venire in periculum, sed succumbere periculo. Deum ergo precamur, non ut nos in nullum periculum venire sinat, sed ut adsit auxilio, quo minus ingressi succumbamus periculis. Ita Latini dicunt induere in fraudem. — בּוֹא occidendi significationem habet, יָצָא emergendi.

amiserunt vitam, sed qui nondum adepti sunt unquam. Sap. 15: 5.

Opportunum videtur h. l. audire Didymum, anno 335. Catecheten Alexandrinum, qui ad epist. Petr. 1. cap. 4. hunc in modum disserit: „Quum justus vix — queat adipisci salutem: quid oportet sentire de impiis, quoniam per se judicati ad judicium non resurgent, ἀναστήσονται (Ps. 1: 5) et de peccatoribus, qui in concilio justorum non resurgent, ἀναστήσονται (ibid.)? His enim qui bona gesserunt ad resurrectionem vitae venientibus, qui prava fecerunt ad resurrectionem judicii suscitantur. Quapropter nequaquam inter bonos peccator et impius apparebit.“

Est luce clarius, haec verba: His enim — suscitantur, interpolata esse, quippe quae cum antecedentibus et subsequentibus nullo modo conciliari possint. Didymus autem cum simplicioribus illis τῶν πεπιστευκότων tertii seculi consensisse videtur.

„Origenis aetate, ut Huetius (Origenian. 2, 9: 12.) monet, nondum quaestiones de resurrectione carnis ab Ecclesia fuerant dijudicatae; quo factum est, ut Origenem dum a veritatis norma deflexum revocare satagit Methodius, a vero ipse aberraverit, sicut alii quoque non sine offensione in hac quaestione versati sunt.“ Nominatim defert Huetius Valentianos, Marcionem aliosque haereticos, Methodium Tyrium, Arnobium, Eusebium Caesariensem, Hieronymum, Rufinum.

Ergo usque ad finem quarti adeoque quinti seculi Christianis non modo simplicioribus, sed etiam eruditissimis, parum constitit, quid de resurrectione credere debeant; hac in

gravissima causa plus minus omnes in crimen haereseos inciderunt, praeterquam Irenaeus, Tertullianus, Chiliastarum turba; at vero etiam isti suo Chiliasmi nomine damnandi sunt, et quod resurrectionem non unam carnis profitebantur. Adeo nec recens a Christo ejusque apostolis traditio, neque *τὰ κυριακὰ* et *ἀποστολικὰ* deinceps litteris mandata, et quo propius ab origine abfuerunt sua, eo magis incorrupta, tueri homines potuerant a tantis erroribus; quarto demum et quinto seculo remedium huic labi ecclesia invenit, non ex traditione, non e Sacrarum Litterarum monumentis, sed ex suo ipsius ingenio, ecclesiamque antiquiorem hac in parte fidei inscientem, errantem, falsam fuisse pronunciavit. Quin ergo relicta omni traditione et scripta et inscripta unam audimus ecclesiam, non primaevam illam quidem, sed barbariei juvencae alumnam.

Agedum, audiamus etiam aliquot Patres illius aevi, unice orthodoxos!

Tichonius Afer, qui floruit circa 390. (de VII regulis 4.): Numquid, inquit, perspicue quum resurrexerimus tunc scietnus dominum; at non nunc quum per baptismum resurgimus? aut mortui poterunt dicere: Arida facta sunt ossa nostra, ut merito mortuis id promissum esse credamus? Quid enim est sacramentum ne in ambiguum veniret aperuit Deus. Nam de novissima carnis resurrectione neminem Christianum credimus dubitare. Et Dominus secundum Joannem has resurrectiones manifestat, dicens: Amen, dico — filius hominis est (5: 24—27.) Jungit novissimam resurrectionem: Nolite mirari hoc — judicii

(ibid. 28—30). Primo dixit: Mortui qui audierint vivent. Secundo: Omnes qui in monumentis sunt audient."

Duas ergo distinguit Tichonius resurrectiones, primam per baptismum, quem Patres illius aevi *φωτισμὸν* appellare consueverant, *ἀνάςασιν* spiritualem et moralem, a Paulo Rom. 5: 4. 5. expositam; alteram carnalem. Sed si semel *μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν* (Jo. 5: 24.) vitamque aeternam tenemus *οἱ πιςεύσαντες*, quam aliam vitam desiderare et requirere juvat? Carnis certe vita non curae erit *τοῖς ἄνωθεν γεγεννημένοις*, quae quidem caro *βασιλείαν τοῦ θεοῦ κληρονομῆσαι* non *δύναται*, ut diserte apostolus docet. Num corporis alicujus? At audio Christum ita praecipientem: *Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, εἰςελθεῖν τὴν ζωήν· καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.* Vel nullo corpore instructi vitam beatam agemus *ὑψωθέντες ἐκ τῆς γῆς ἐν οὐρανοῖς*, vel si corpore opus erit, Deus dabit corpus, *καθὼς ἠθέλησε.* Simulac *ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκηνοῦς καταλυθῇ* (Cor. 1, 15: 1): non e sepulchris reddet quod nunc portamus corpus, ex iisdem elementis terrenis confectum, longis post nostrum ex hac vita decessum seculis, Pharisaeorum scilicet dogmati satis facturus, *τῶν μὴ εἰδότων μηδὲ τὰς γραφὰς μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ*, non ita circumscriptam, ut nonnisi terrenum corpus isthoc dissolutum undequaque recolligere possit, novum aliquod domicilium *ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύειν* nobis caelicolis non possit. Eo ipso momento, quo vita terrena finitur, *ἐνδημήσουσιν οἱ πιςεύοντες πρὸς τὸν Κύριον καὶ σὺν Χριςῷ ἔσονται*, vitaque beata perfruentur, non demum postquam omnia secula generis hu-

mani consummata fuerint. De grano Paulus Cor. 1, 15: 37. tropice loquitur, cui Deus daturus sit corpus pro sua voluntate, ibid. 2, 4: 16. de interiore homine, 5: 1, 4. de tabernaculo, quod postquam dissoluta fuerit domus ejus terrena, sit superinduendum non rursus aedificio terreno, sed caelesti, aetherio; ubi Zuinglius τὸ σκῆνος recte tantundem esse vidit ac Mt. 22: 11. ἔνδυμα γάμου, fidei vestem. Sic τὸ σκήνος *) et ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος eodem redit atque significat foetum in hac vita colendo spiritu partum (Gal. 6: 8), virtutem, quae nihil est aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura (Cic. LL. 8.). Nos igitur sapientiam et virtutem, δικαιοσύνην τοῦ θεοῦ, per hanc vitam adepti ornabimur ad futuram vitam caelestem vase sive receptaculo coelesti, non rursus terreno. Num interim ad resurrectionem illam, quam Pharisaei somniarunt, facile carebimus corpore terreno, carne; tum vero ejus indigebimus? Quid quod Jesus docuit vivos esse debere τῆς ἀναστάσεως dudum

*) Unus, quantum scimus, Origenes locutionem ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους recte intellexit, ut ἡ ἐπίγειος οἰκία sit corpus mortale, τὸ σκῆνος autem illis thesauris constet quos ἐν οὐρανῷ peperimus (Mat. 6: 20), illo θεμέλιῳ εἰς μέλλον etc. (Tim. 1, 6: 19). Eodem modo Apocal. 15: 5. ὁ ναὸς σκηνῆς non patitur sic exponi, nt nomen rectum sit loco adjectivi; sed tabernaculum, res dignior, templo circumdatum intelligi debet. Jam vero si quod templum diruatur, non autem reperiatur intus quoddam sacrarium, itaque inanitas templi collapsi appareat: nemini curae erit novum templum idque perennius exstruere, quo custodiatur sacrarium nullum. Cfr. quod locutionem attinet Reg. 1, 6: 19. τὸ δαβεὶρ ἐν τῷ μέσῳ οἴκου ἔσωθεν. Chr. 1, 5: 6.

καταξιωθέντας, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, i. e. omnes quos Deus amicos suos habeat, licet ἔδοξαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνᾶναι, νεκροὶ εἶναι· πλανᾶσθαι· ergo qui opinentur illos (Sap. 3: 2.) longo cum desiderio τὴν ἀνάςασιν praestolari *). Qui volunt ἀσύςατα esse quae in evangelio Joannis et quae in tribus synopticis Jesus περὶ τῆς ἀναςάσεως disseruerit, imprudentes id agunt, ut homines vel ambigant, cuinam evangelio fidem adjungant, vel omni fidem derogent.

Ceterum, ut supra vidimus, Tertullianus ejusque schola resurrectionem solam carnis probantes non, ut Tichonius, Jo. 5: 25. primam resurrectionem esse spiritualem et moralem volnerunt.

Nonnulla Augustinus in hunc locum recte animadvertit; argutius et contortius alia.

Ad Jo. 5: 25. „Non eorum qui audierint alii morientur et alii vivent, sed omnes qui audierint vivent, quia omnes qui obedierint vivent. Ecce videmus resurrectionem

*) Dissimulare nolumus, etiam locum Thess. 1, 4: 13—18. nos interpolationis habere suspectum, quo praetermisso 4: 12 et 5: 1. satis cohaerent. Id unum apostolus curare suos Thessalonicenses monet, ut sanctitatem colant fratrumque caritatem, quieti sua negotia agant et suis manibus victum quaerant, itaque adversus externos decore se gerant, nullaque eorum ope aut venia indigeant. Sic non esse, quod eos sollicitos habeant οἱ χρόνοι καὶ οἱ καιροί. Quis est qui non videat, haec interpellari, non connecti postrema capitis quarti parte? Ubi alias Paulus dicit: οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, facile est intellectu cur suos cujusdam rei certiores facere voluerit apostolus, occasionemque opportunam pervidemus; non item hoc loco.

mentis. Non *) ergo amittamus fidem de resurrectione carnis! At nisi tu, domine Jesu! dixeris eam: quem opponemus contradictoribus? Omnes enim sectae, quae se aliquam religionem hominibus inserere praesumserunt, non negaverunt istam mentium rerurrectionem. — Sed multi carnis resurrectionem negaverunt; dixerunt in fide jam factam esse resurrectionem. Talibus resistit apostolus (Tim. 2, 2: 17.) dicens: „Ex quibus est Hymenaeus et Philetus **) —

*) Fortasse legendum est num.

**) Alexander, episcopus Hierosolymae cum Theoctisto Caesareae, quamvis Demetrius episcopus Alexandriae laudibus Origenis acerbissime obtrectaret: *προσανέχοντες αὐτῷ οἷα διδασκάλῳ μόνῳ τὰ τῶν θείων γραφῶν ἑρμηνείας — συνεχώρουν.* Euseb. H. E. 6: 27. Secundus Theoctisti successor Theotecnus etiam ex Origenis schola profectus est, quantumque conjectare licet secundus Alexandri quoque successor. Hymenaeus circa 259. ejusdem disciplinae fuit. Ibid. 7: 14. — Philetus episcopus Antiochiae fuit circa 222, quo tempore Origenes ibi maxime floruit. Euseb. ibid. cap. 21. Unde conjectamus, Philetum quoque fautorem Origenis fuisse ejusque doctrinae praebuisse adsensum. Nusquam alibi per historiam ecclesiasticam supra Constantinum M. Hymenaeum et Philetum alios nos quidem reperire potuimus. En Hymenaeum et Philetum Origenianos, qui resurrectionem carnis negabant; mentis vero tum evenisse credebant, quum in fidem Christi se quisque contulisset. Si quis alios eruere possit, quibus haec nomina erant, *εἰπόντας, τὴν ἀνάςασιν ἤδη γεγονέναι*, facilem aurem praebebimus. Ejus opinionis fuisse Origenem et asseclas, ut crederent, *ψυχῆς ἀνάςασιν εἶναι καὶ ζωὴν καὶ σωτηρίαν μόνης*, docet Photius. Vid. Suiceri Thes. Eccl. sub voce *ἀνάςασις* VII. Teste Epiphanio similiter senserunt Archontici, Marcion, Hierax. Hinc authentia loci Tim. 2, 2: 17, 18. in suspicionem venit. Tam

dicentes resurrectionem jam factam esse et fidem quorundam subvertunt." — Reprehendit eos apostolus. Cur eos reprehendit? Nonne hoc dicebant quod modo Dominus loquebatur: Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei et qui audierint vivent? Sed de vita mentium loquor adhuc, ait tibi Jesus; nondum loquor de vita corporum: nam scio esse corpora in monumentis jacentia, scio et corpora vestra in monumentis futura. Nondum de illa resurrectione loquor; de ista loquor. In ista resurgite, ne ad poenam in illa resurgatis!" —

„Expressius hoc dicat, ut calumniam haereticus negator resurrectionis corporis non inveniat! — Cum superius dictum esset: Venit hora, non addidit: et nunc est. — Omnes qui in monumentis sunt. Quid evidentius? quid expressius? Corpora sunt in monumentis: animae non sunt in monumentis."

„Superius quum diceret: Venit hora, et adderet: et nunc est, quid subjecit? Quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent. Non dixit omnes mortui etc. Mortuos enim iniquos *) volebat intelligi. Et numquid

---

ambigue Paulus vix crediderim scripserit; nec video, cur τῶν βεβήλων κενοφωνιῶν hanc unam detulisset, vel qua ratione damnasset eos, qui re vera cum ipso sentiebant, ὅτι ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς ὁ θεὸς συνέζωοποίησε τῷ Χριστῷ καὶ συνήγειρε (Eph. 2: 4—6. Rom. 6: 11. Col. 2: 12, 13. 3: 1); immo, qui ut ipse Augustinus fatetur, dicto ipsius Christi stabant.

*) Quos Jesus in evangelio νεκροὺς dicit, omnes intelligi debent omnino homines, priusquam εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας venerint adeo-

omnes iniqui obediunt evangelio? Aperte dicit apostolus: Sed non omnes obediunt evangelio. Tamen qui audiunt vivent, quia omnes qui obediunt evangelio, transient ad vitam aeternam per fidem. Non tamen omnes obediunt; et hoc nunc est. At vero in fine, omnes qui sunt in monumentis, hoc est justi et injusti, audient vocem ejus et procedent. Quo modo noluit dicere: et vivent? Omnes enim procedent, sed non omnes vivent. In eo quippe

---

que veniendi copiam et facultatem habuerint, et probi et improbi, *οἱ ὄντες ἐκ τῆς ἀληθείας* alteri, alteri *οἱ ἐξ ἐριθείας καὶ ἀπειθοῦντες μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθόμενοι δὲ τῇ ἀδικίᾳ, οἱ ὄντες ἐκ τοῦ θεοῦ* alteri, alteri *ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου* (Jo. 8: 44, 47. 18: 37. Rom. 2: 8.). Jam hi mortui omnes universi *ἀκούουσι*, non omnes *ὑπακούουσι*. *Οἱ ὑπακούοντες* hoc ipso *πίζιν* suam comprobant atque *ἐκ πίζεως*, quam veritati ut primum innotuit adjungunt, *δίκαιοι* censentur; reliqui *ἄδικοι*. Confer. Eph. 5: 14. Rom. 13: 11—14. Quid quod ipse Christus *πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν* vocatur, quippe qui primus omnium *τῶν νεκρῶν τοιούτων ἠγέρθη καὶ ἀνέζη*, itaque is evasit qui ceteros omnes excitaret. Assentimur ergo illis, qui Cyrilli tempore dixerunt *νεκροὺς* esse *τοὺς οὔπω εἰς αἰώνιον ἀνακεκλημένους ζωὴν, οἱ δὴ καὶ πάντως εἰς αὐτὴν ἔμελλον ἀναβήσεσθαι, τὴν τοῦ σωτῆρος παραλαβόντες διδασκαλίαν.* „Et servat quidem omnino hic contemplationis modus ut Cyrillo videtur probabilitatis speciem, subtilitatis parum.“ Male igitur Augustinus iniquos tantum opinatur intelligendos esse, quum Jesus Jo. 5. 25. ait: *οἱ νεκροὶ*, non probos pariter et improbos, sicut vs. 28, ubi *οἱ ἐν τοῖς μνημείοις* dicuntur *ἀκούσεσθαι*. Tandem proprie mortui nulli sunt, ne in monimentis quidem, quibus facultas est audiendi. At vero si obedientiam, ergo fidem, sequitur vita aeterna; omnes autem in monimentis obedient (nam *ἀκούειν τῆς φωνῆς τινος* apud Joannem i. q. *ὑπακούειν*. Vid. Matth. Gr. Gr. §. 340): ergo iis omnibus vita aeterna impertietur; nullos manet *κρίσις*.

quod supra dixit: Et qui audierint vivent, in ipsa obeditione vitam aeternam intelligi voluit, quam non omnes habebunt qui de monumentis procedent. Jam ergo et commemoratione monumentorum et expressione processionis de monumentis aperte intelligimus corporum resurrectionem."

Hoc nemo negaverit, dogma de resurrectione carnis, a Pharisaeis inventum, non Christum habere primum auctorem; propriam autem Christi doctrinam esse de resurrectione mentis, quae quid aliud est quam *ἡ μετάνοια*? Haud ergo mirandum, si *οἱ ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν φαρισαίων πεπιστευκότες* (Act. 15: 5.), *παρείσακτοι ψευδάδελφοι* (Gal. 2: 4.) de sua fide laborantes, evangelio aliquam auctoritatem extorquere vel inculcare studebant, qua resurrectionem carnis defenderent contra eos qui unice illam resurrectionem doctrinae Christi propriam amplexi fuerant. Hinc Jesum coëgerunt resurrectionem quoque carnis dicere, ut haberent, quem opponerent contradictoribus, primum proprie, carnaliter sumendo, quod Jesus Jo. 5: 25. tropice, spiritualiter dixerat, pro *οἱ νεκροὶ* rescribendo *οἱ ἐν μνημείοις*, pro *ζήσονται* immutando *ἀναστήσονται*, omittendo denique *καὶ νῦν ἐστιν* et *οἱ ἀκούσαντες*! Deinde satius esse secundis curis intellexerunt, intactum sinere versum 25, et versus 28, 29. qui suum dogma disertissime proloquantur interpolare.

Interlocutores, quos ingeniose quidem finxit Augustinus, ad mentem et sententiam Justini, Irenaei, Tertulliani rem agere videntur, non adversariorum Jesu, Judaeorum, qui Jo. 5. altercabantur cum ipso. Ceterum bene se habet quod Augustinus fatetur, nullas non sectas profiteri istam quam

Jesus docuit animorum resurrectionem; quam nec Augustinus negasse videtur. Haec ergo fides est vere catholica, de qua omnibus Christianis convenit, non autem illa usque in seculum quintum controversa neque unquam justis argumentis ad liquidum perducta.

Postquam sub finem seculi quarti Origenismus, ab Orthodoxis damnatus, in summam invidiam venit: neminem fere Patrum Graecorum exortum videmus qui ausus fuerit eam quam Jesus Jo. 5: 25. 6: 39, 40. etc. docuerit *ἀναστάσιν* mentis, non carnis, esse profiteri, ne Chrysostomus quidem, qui ad illud *καὶ νῦν ἐστι* vs. 25. Lazari exemplum adhibuit, cujus corpori Jesus vitam redditurus esset, verbumque *οἱ ἀκούσαντες* interpres omisit. „Ne videretur, inquit, superbe et arroganter loqui, etiam operum veritatem enarrat; quum: Venit hora, inquit. Quam ne longo post tempore futuram arbitreris, subjicit: Et nunc est quando mortui audient vocem filii Dei et vivent. Intueris incredibilem ejus potentiam? Sicut in resurrectione (universali), sic et nunc erit, inquit. Tunc enim audita imperantis voce resurgemus. Et unde constat non temere dictum? Quoniam nunc adesse dicit. Nam si futura tantum annunciaret, non immerito esset dubitandum; sed se in terris adhuc inter homines versante haec ventura dicit. — Et Lazari resurrectionem memorans judicium tacuit (vs. 25): non enim propterea (ad judicium Lazarus) suscitatus est. Huic autem universali resurrectioni addidit judicium.“ Eandem cantilenam canunt Oecumenius et Theophylactus, cujus haec verba: „Postquam (vs. 25.) de par-

ticulari resurrectione dixit, Lazari nimirum et aliorum qui iterum mortui sunt, nunc (vs. 28.) loquitur de universali.“ Ergone, quum Christus vs. 25. dicit *ζήσονται*, dicit ad tempus, citius tardius iterum morituri? Non igitur *ἅπαξ ἀποθανεῖν* his certe *ἀπέκειτο*, itaque sibimet ipse diserte contradicit, quum modo spopondisset, hos tales tenere vitam aeternam.

Quo tandem *δυσερμηνείας* Orthodoxi hac in causa provoluti sint, si quis investigare velit curiosius, eum delegamus ad unum instar multorum, Epiphanium, qui Haer. LXIII. cap. 32. contra Origenianos: „Fore ut creatura turbetur tamquam moribunda per exarsionem *) (*κατὰ ἐκπύρωσιν*), quo rursus condatur, non autem eam perituram esse, expectandum est, ut instaurati in instaurato mundo citra gustum tristitiae habitemus. — Quum futura sit etiam post hoc aevum terra: omnino necesse est fore etiam incolas, qui non jam morituri aut nuptias facturi aut generaturi, sed ut angeli nulli conversioni corruptionique obnoxii, rem felicissime gerant.“

Sed in hunc renovatum mundum, quaesumus, num renovatio impiorum quoque cadet? Vel extra eum improbine exterminabuntur, an igni consumentur? Et ubinam perdurabunt foris? Sic tandem abit haec omnis orthodoxia, in extremum si persequaris, *εἰς μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις*. Ratio sana religiose modum ponit curiositati, et ultra nihil

*) Vid. Pet. 2, 3: 10, ubi Pott animadvertit: En Stoicorum opinionem de mundi conflagratione olim eventura!

curabit nisi quae Jesus et apostoli diserte et crebro praeceperunt, ita ut controversiam nullam habeant.

„Denique, ut Confessio Helvetica dictat, nihil recipimus, praeter quod Symbolum Apostolicum dictat.“ Atqui symbolum apostolicum ejus quidem recensionis, qua nos Tigurini cum ceteris Helvetiis, quos S. Gallus ejusque socii Scoti olim ad Christi disciplinam erudierunt, pariter ac Britanni hodieque utuntur sic habet: Ich glaube — Auferstehung des Leibes und ewiges Leben. Sed haec parum intelliguntur, nisi symbolum illud veteris ecclesiae, Britannicae nimirum, cognitum habeamus, quae quidem discerni debet a recentiore, per Augustinum sub initio seculi septimi ad cultum Romanum redacta. Illius enim carmen his verbis conceptum fuit: „Ich gelob urstendt mines libes. Ich gelob nách disem Lib ewigen Lib“ Vid. Incerti Monachi Weissenburgensis Catechesis Theotisca — quam edidit J. Georg. Eccardus. 1713. pag. 90—93, et pag. 138, ubi e glossis Keronis: Lib, vita; ibid. p. 120: Lichamon, corpus. Ergo dum Urstendt mines Libes ad mentem et sententiam veterum profiteor: non resurrectionem corporis, nedum carnis profiteor, sed instaurationem illam vitae, quam his verbis Christus spopondit: „Sic est placitum ejus qui me misit, ut omnis qui agnoscit filium eique fidem tribuit, vita aeterna potiatur; ipsumque elevabo ego ultimo suo die (scil. in vitam aeternam), id est: non interire sinam; non committam, ut dum hac vita corporis defungitur, illa vita mentis aeterna deficiat eum. Nam ex eo ipso momento ibi aget, ubi egomet ero, necatus quidem carne, conservatus autem in vita spiritu. Pet. 1, 3. 18.

Noluimus tam longi esse, Vir amicissime! et tamen veremur, ut satis copiose nostra explicuerimus cogitata. Nam propositum erat his litteris ostendere, quorsum tandem ego in studiis theologiae profecerim vel desierim exacta aetate, non tam Tibi, qui profecto cum paucis mea perbene cognita et perspecta habes, sed omnibus omnino, qui aliquo jure in causis Eruditorum ac Theologorum praesertim sententias dicunt ac suffragia ferunt. Pridem audivimus, theologiam Evangelicorum totam esse grammaticam; verum postquam ego puer in Grammaticis desudassem, juvenis intelligere coepi, alias esse easque graviores et sublimiores Theologiae partes, itaque in Criticen sacrorum voluminum meam operam contuli. Quae quidem duplex est, altera externa, *τεχνικὴ*, altera interna, *λογικὴ, νοητικὴ*. Externa illa quae in testimoniorum pro authentia et integritate alicujus loci aut vocis vel contra pugnantium numero colligendo et auctoritate ponderanda cernitur, dudum coli coepta nostraque aetate a doctissimis viris profligata et pene confecta quum nostrae opis haud indigere videretur: hanc internam *λογικὴν* exercere mihi satius esse ducebam *),

*) Internam criticen eam dicimus, quae sola lectionis vel etiam conjecturae varietate contenta non adeo curat, qui codices, quot et quales, quae Patrum aut virorum ecclesiasticorum nomina hanc illamve lectionem commendent, sed quam probabilis quaeque sit per semet ipsam. Immo, ubi nulla omnino datur varietas, haec spectat et explorat, an singulae voces locique breviores longiores ingenium et animum moremque totius libri sapiant, an hoc loco et tempore sic, non aliter, loqui animus consiliumque auctoris tulerit, an quod scriptum legitur antecedentibus et

quamquam praeviderimus atque mox etiam satis superque simus experti, eam non multis gratam et probatam esse, pluribus etiam suspectam et invisam: id quod Cicero Tu-

---

subsequentibus et quasi unice aptum et rotundum sit. Crates quidam, ut Sextus Empiricus tradit, ἔλεγε διαφέρειν τὸν κριτικὸν τοῦ γραμματικοῦ, καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης, φησὶ, δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι, τὸν δὲ γραμματικὸν ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικόν κ. τ. λ. Quum λογικὴν ἐπιστήμην dicit, omnem scientiam dicit quae ad eruditionem pertineat; id quod Fabricius probe animadvertit. Vossius quoque Gerhardus de natura Grammaticae sive Philologiae probe distinguit illamque scientiarum omnium difficillimam dicit ut quae de cunctis scriptoribus judicium promittat; idque non universe modo, sed etiam de singulis, quae in iis legendis controversiam habeant. Diversis modis versare scripta Seneca Epist. 108. docet Grammaticos, Philologos (rerum historicarum curiosos vocat) et philosophos. Apud veteres quum rerum divinarum scientia pars altera philosophiae fuerit: Seneca si philosophos dicit, simul theologos dicit. Haud secus nos eo libro, quem inscripsimus Evangelica doctrina de hominum reconciliatione cum Deo 1829, specimen dedimus triplicis interpretationis parabolae Luc. 15: 11—32, litteralis, historico-grammaticae et theologicae. Qui temporibus nostris omnia volunt esse in historico-grammatica interpretatione, istos non miramur a theologica quam dicimus interpretatione alienos esse, eaque puritatem philologicae interpretationis violari credunt. Haud opus est litem commemorare a Keilio et Staeudlino praesertim agitatam de interpretatione Sacrarum Litterarum, an historico-grammatica sufficiat theologis. Verum enim vero nos maxime omnium detestamur dogmaticam illam interpretationem, per quam litterae sacrae ubivis locorum coguntur orthodoxiae suffragari; sed quum theologicam hermeneuticen volumus, volumus ἐπιστημονικὴν, scientificam, ut ita loquar, a Germaro nostro quam optime praeceptam et illustratam:

soul. 3: 1. de philosophia queritur. Nefas enim esse vulgo putant inquirere et indagare authentiam, integritatem et sinceritatem librorum canonicorum, vitiatum aliquid, adulteratum aut interpolatum in iis olfacere, atque quid ejus sit excutere, adeoque rationibus tantum internis ubi externa critice non satis idoneam vel adeo nullam dubitandi causam suppeditet. Pro sacrilegio ducunt, vel minimam particulam litterarum sacrarum, nedum locos et periochas totas, quo feruntur auctore indignas aestimare, etiamsi luculentis argumentis compulsus isthoc audeas. Quibus hominibus si morem gerere velimus: in eam inciditur necessitatem, ut quae secum pugnantia in voluminibus sacris offenduntur, coeca mente permisceas, et perplexam inde, confusam, ancipitem adeoque monstrosam doctrinam reportes. Vel nullis non argutiis et sophismatis ex altera *τῶν γραφῶν τῶν ἀσυζύτων* sensum eum exprimunt, quem ipsa per se habere nequeat probe interpretata, sed altera, si verum quaerimus, toto coelo diversum quid sonans. Vel denique alto silentio sepeliunt alterum locum, quasi nusquam librorum canonicorum extet, dum alterum identidem citent. Sic deprehendere licet Romanae curiae famulos, si quando Tim. 1, 3: 2, 4. laudant, haec verba *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα — ἔχοντα* praetermittere. Sic orthodoxi suae quisque ecclesiae permultos et gravissimos locos ab suis systematis, catechismis, liturgiis, orationibus exulare jubent, quibuscum placita ipsorum parum constent. Ex. c. non nemo nuper novi catechismi *ἐπιχείρημα* suae censurae subjectum improbavit, eo quod locum Sap. 12: 1. in eo laudatum invenit, ut ipsi videbatur, Rationalismo nimis velificantem;

nosque nullum orthodoxorum catechismum novimus, in quo illud dictum: *Γένος ὑπάρχομεν τοῦ θεοῦ*, occurrat. Alios locos ex vernacula quadam versione ita promunt, ut si nativae linguae exactissime reddas, alius prodeat textus; ex c. inducunt Apostolos de fide in Christum, *περὶ τῆς πίστεως εἰς Χριστὸν*, loquentes Gal. 2: 16. Eph. 3: 12. Phil. 3: 9. Jac. 2: 1. etc. Atqui textus receptus isque nulli varietati obnoxius *περὶ πίστεως Χριστοῦ* disserit, de fide, quam Christus erga Deum colebat, nobis imitanda, qui Christum *ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς πίστεως* habemus; haud secus ac Rom. 5: 19. idem Paulus docet, *ὅτι διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοὶ*, nempe exemplum ejus sectantes. Sic Rom. 4: 16. *ὁ ἐκ πίστεως Ἀβραὰμ* est ille qui fidem Abrahami refert, atque instar Abrahami *πιστεύει τῷ θεῷ* (Gal. 3: 6—9), non qui fidem in Abrahamum habet. — *Πίστις ἡ ἐν* X. I. Tim. 1, 3: 13. 2, 3: 15. coll. Phil. 2: 5. est fides, qualem in Jesu Christo conspicuam habemus. Truncari solent alia, ex. c. Jo. 1, 1: 8, unde hunc locum proferunt: *Τὸ αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας*, praeseeta conditione: „Si in luce versamur, (hoc est: si lucis appetentes ac studiosi sumus eaque quantum licet perfruimur. Conf. Jo. 3: 19—21), sicut Deus est in luce (Jo. 1, 1: 5, 6): communio (nempe lucis) intercedit nobis cum Deo *); et nos, dum eam quam diximus communionem lucis cum Deo tenemus, purgat

*) *Αὐτοῦ* legimus pro *ἀλλήλων*, quam lectionem Clemens Alex. conservavit unice aptam.

sanguis Jesu Christi ab omni iniquitate." Jam verum est integrum dictum; non verum sublata sua conditione.

Ergo quod interna critica palam exercet, orthodoxia dudum clanculum patrabat: omnia in S. L. ab suis placitis aliena atque aversa, si nulla calumnia interpretationis adigi possint, ut suum verum sensum inficientur, dissimulat ac reticet, quasi sacra volumina his vocibus et locis vacent; vel ex sua sententia quodlibet mutat, decurtat. Nos contra, quorum veritatem *πάντα δοκιμάζοντες* non agnoscimus, ea *κατέχειν* religioni ducentes, unde venerit, ut canonicis litteris traditum aliquid non possimus probare, ingenue profitemur, atque in medium candide proferimus, ut quicunque volunt ac possunt nos corripiant, redarguant, meliora doceant, itaque sententias nostras ecclesiae supremo *) judicio submittimus, ut Erasmus fecit, ut Zuinglius, nihil affectantes nisi, ut si quid erravimus, ecclesia nos in viam reducat; si quid veri nostro labore partum sit, id gratum acceptumque habeat. Omnium autem primum judicatum volumus, utrinam candidius et religiosius eum ecclesia agant, meliusque in ecclesiam mereantur, furtivi illi, si Deo placet, critici, an nos aperti, nihil celantes, dissimulantes, fingentes. Deinde, quaesumus, diligentius consideretur, an theologia Christiani nominis, quae in monimentis S. L. penitus cogno-

*) „Fidei meae summam — nulli uni nullisque paucis, sed toti ecclesiae Christi, quatenus illa quum verbi Dei praescripto, tum spiritus adflatu, pronuntiat judicium, crediturus ac permissurus sum." Ad Carol. Rom. Imperatorem.

scendis et intelligendis constat, metam suam attingere possit, donec ad Grammaticen et externam Criticen interna quoque Critice accesserit, utriusque opibus et patristica litteratura dives, ut quum per alias disciplinas haud affatim detur a veris discernere falsa incertaque a certis, internis praecipue verborum et rerum argumentis opus, quousque hodie liceat, conficiatur et absolvatur. Quae quidem ars, ut ita loquar, adhuc in herba esse videtur, illis jam adultis et maturescentibus. At idcirco, qui internam criticen ut magis arduam sic parum tritam et frequentem ingrediuntur, ab omnibus aequis facile veniam impetrabunt, si quid interdum minus succedat, si quid alucinentur, delinquant, offendant. Immo gratiam hoc ipso inibunt, quod aliis occasionem et stimulum admovent errata sua corrigendi, dubitationem tollendi, veritatem ad liquidum perducendi. In magnis denique voluisse est.

Nuper quidam popularis meus ille quidem, sed cui bilem moveram, dum Collegii patrii a Carolo Magno conditi jura, pro eo quem obtinebam loco, ad extremum ejus fatum usque mordicus defendebam, etiam hac a parte in me invectus est:

„Ex quo, inquit *), philologiae profanae dexterior cultus in biblicam benigne redundavit: viri, ut Winer, Gesenius, Lachmann, Usteri, Fritzsche, Rueckert, de Wette, Schulze et alii, sacra volumina eadem cum libertate tractare coeperunt, ut Hermannus, Becker, Boeckh Classicos. Nemo

*) Vid. Tabellae Litterariae Helveticae, quae recentiorem novarum rerum nuntium Turicensem comitantur. 1832. pag. 85. sq.

jam audet, ut olim mos fuit, citra idoneas causas externas atque internas libros, periochas commataque singula ποθείας postulare, idcirco tantum quia non nihil contineant, quod rationi parum consentaneum, secum pugnans vel minus conveniens Critico videtur. Sollicite cavent exegetae, ut ne per contortas interpretationes in genium saepe adeoque primas leges linguae impingentes, interdum etiam per adscitam interpunctionem, obtrudant aliquid scriptori quod ipsi nunquam in mentem venerat, modo ut nolens per hujusmodi tormenta exegetica confiteatur, quidquid de misero quaerere elingui *) libitum fuerit. Quam sit optabile, ut licentia theologica, quam modo notavimus, dudum antiquata nusquam rursus in philologicam interpretationem monumentorum profanae antiquitatis transportetur, censoris, dum has Praestigias **) legit, totum perculit animum."

Licentiam igitur exegeticam, qua in libros sacros ego grassari solitus sim, me transtulisse in locum quendam Digesto-

*) Von dem armen Mundtodten"; vernacule. Scriptor classicus, quicunque is est, sive sacer sive profanus, nullo pacto dici potest deminutus esse, jure privatus rem suam agendi, pro se causam dicendi. Is vero classicus non est qui non ita scripserit, ut liber ipse suis et verbis et sententiis ab iniquitate Criticorum semet ipse satis vindicet. Ex. e. nemo classicus elinguem dixerit, quidquam tormentis coactum fateri; et classicum jus fas videtur scriptorem eum esse negare, qui tam inscite scripserit.

*) Sic meum inscripseram libellum: Praestigiae Jurisperiti cujusdam anonymi abactae a D. Jo. Schulthess.

rum criminatus est, qui censoris mei personam induit, adversarius. Falsitatis eum redarguimus, calumniamque interpretationis, quam in Digesta me commisisse voluit, nullam esse singulari diatribe evicimus. Licentiae autem exegeticae infinite quidem accusatus haud abs re esse ducebam causam longius persequi atque hoc loco prodere, cujusmodi ausibus fortasse in hoc me crimen venisse opinetur, quum ipse peccatorum meorum theologicorum detulerit nullum.

Ceterum non eadem est ratio critices et exegetices profanae atque sacrae. Nihil enim scimus de haeresibus, quae ex. c. de Ciceronis aut Livii libris, inde ab illo quo sunt editi seculo, aemulatae sunt eosque certatim pro suis opinionibus et adversus alienas quasque testes et arbitros citaverint. Non lectionis extat varietas ea, ut homines notos ignotosve de industria classicos auctores Graecos Latinosque vitiasse et adulterasse compertum habeamus. Scimus vero per pias Christianorum fraudes secundo seculo jam Josephum Flavium non uno loco interpolatum. Vid. Strothius ad Euseb. 5: 10. 2: 10, et M. Wilh. Korbii Anticarus. 1831. p. 71 sq. Videsis etiam pag. 11 sq. hujus nostri libri. Eodem seculo ejusmodi spuria, ut Acta Pilati, Evangelium de partu Mariae, Sibyllina etc. inter Christianos excurrisse et pro veris venditata esse, ex Justino Martyre, Clem. Alex. etc. constat.

Nihil denique refert ad nostras religiones, quid profanus aliquis auctor litteris prodiderit. Promiscue Cicero falsa veraque narrasse, censuisse, praecepisse potest; nostro jure sive credere sive rejicere licet. Hoc idem non licet in auctoribus qui nobis et

populo nostro sacri adeoque divini habentur. Quos si in rebus maximis et gravissimis errasse, communi, non meae tuaeve, rationi parum consentanea, a certa veritate aliena, secum pugnantia, falsa dixisse concesseris: sacros esse non re, sed nomine tantum eos judicaveris, suoque ordine moveris. Utrumvis ergo fiat necesse est: sive evincas, quae divino scriptore quopiam indigna videntur, modo subtilius ea quis explorata habeat, prorsus digna esse; sive quum unus alterque locus libri justis argumentis excusari nequeat et vestigium aliquod vel umbra saltem piae fraudis obveniat, authentiam addubites potius quam virum divinum falsorum auctorem esse credas; id est auctorem divinitate sua mulctes.

Haud miramur quod nonnulli opinantur, si qui sacris in litteris altius rimentur ac subtilius disquirant, quam profanarum litterarum interpretes suo in genere soliti sunt, cancellos philologicae interpretationis excedi. Egrediuntur, fateor, quoniam non *κοιναῖς γραφαῖς*, sed *ἁγίαις* operam dant, earumque *ἁγιωσύνην* explorare propositum habent. Jam si quid delinquunt sive peccant citra fines litteralis et historico-grammaticae artis, castigantor ab Hermannis, Beckeris, Boeckhiis; sin ultra: in aliud forum vocari debent.

Quid multa? Sacra philologia, exegetice, critice latius aliquanto patet ac sublimius fertur, praecipuaque sua munera et officia habet quorum immunis est profana, et in iis tantum, quae in utramque communiter et pariter cadunt, sub easdem leges theologicam interpretationem atque profanam vocare verum et aequum videtur.

Haec scribebam, Vir omnibus laudibus celeberrime, ut si quo vitio sum implicitus, Tu, abs quo emendari maxime cupio, me candide corripias. Te monitorem, censorem, judicem nunquam ejerabimus. Sin autem falsis criminibus me appeti cernas, Tuam quoque fidem obsecro, ut meum nomen *ὀλίγον τε φίλον τε*, dum per senium conticesam et postquam hac vita defunctus ero, tueri velis, si quidem ad rectam theologiam nonnihil referre videatur.

Alterum symbolarum volumen, aliquanto ante typographis traditum, sed moris quibusdam illatis tardatum, ita ut hoc, quod secundum vides inscriptum, anteverteret primo, mox in lucem prodibit, Papiae et Hegesippi reliquiae ad vivum resectae et undique illustratae cum crisi horum virorum et partium quas sectabantur diligentissima. Tertio volumine, si suppetent vires, Justini praesertim, ut ita loquar, evangelium inquirere, et qua auctoritate, quo pretio habendum sit quaeque ratio inter illud et evangelia canonica atque apocryphorum reliquias intercedat, indagare animus est.

Interim Tu vale plurimum longosque in annos perge, ut fortiter adhuc fecisti, vitam impendere vero!

# LUCULENTA TESTIMONIA

## ADULTERATIONIS

# LIBRORUM SACRORUM

## JAM EO QUO CANON EXTITIT AEVO

## AC DEINCEPS

## PATRIBUS ORTHODOXIS ET CATHOLICIS

## CRIMINI DANDAE

Operae pretium videtur, querelas alternas mutuaque crimina et Orthodoxorum et Heterodoxorum recensere de adulteratis Scripturis inde ex ipso quo Canon N. T. extitit aevo.

Qua in causa non praetermittendus est Anonymus ille, abs quo refutationem Artemonis conscriptam Eusebius refert H. E. 5: 28. Auctor qualis fuerit, ex eo perspicitur, quod Justinum, Miltiadem, Melitonem, Irenaeum, Tatianum principales habet magistros de Christi Deitate, inventumque opinionis, *ψιλον ἄνθρωπον εἶναι τὸν Χριστὸν*, Theodoto imputat Byzantio, qui nono secundi seculi decennio floruit; quamvis constet ab origine Christiani nominis fideles hujus opinionis fuisse et Judaeos et Graecos. Nam apostoli, ut Chrysostomus ait prooemio Homiliarum in Acta, Christum non Deum,

sed ἄνδρα pradicaverant (Act. 2: 22. 17: 31. Rom. 5: 15, 19. Cor. 1, 15: 23. Tim. 1, 2: 5. Hebr. 2: 10—18 etc). Ebionitis certe, id est fidelibus e circumcisione, haec opinio crimini datur ab Justino, Irenaeo etc. Audiamus praecipue Tertullianum adv. Prax. c. 3. sic fatentem: „Simplices quique et idiotae, quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus Diis seculi ad unicum et verum Deum transfert — expavescunt ad oeconomiam, numerum et dispositionem trinitatis. — Itaque duos et tres jam jactitant a nobis praedicari; se vero unius Dei cultores praesumunt. — Monarchiam, inquiunt, tenemus.“ Haec opinio igitur cum simplicibus quibusque, cum majore parte credentium priscae ecclesiae, Theodoto et Artemoni eorumque discipulis communis fuit, viris litteratis ac doctis, quippe quum iis Anonymus noster exprobret Logicae et Geometriae studium, Euclidis, Aristotelis, Theophrasti, Galeni cultum *). Falso contra insimulat eosdem

*) Nullum certius est indicium superstitionis quam, si qui eruditionem et naturalium earumdemque divinarum rerum scientiam exprobrant atque in invidiam vocant, quasi nemo nisi infans, ignarus et imperitus probus Christianus esse possit. Rectissime Clericus: „Atqui Logica, inquit, et Geometria eae sunt disciplinae, ut si quis ex earum regulis ratiocinetur, non possit errare; quippe quae perspicua veritate et legibus, quae fallere nequeunt, nitantur. E contrario si quis ea negligat non potest ad veritatem pervenire, nisi casu. Nam si quis ea sumat quasi vera quae non sunt, aut ex iis consectaria ducat quae iis non sunt iis connexa, potest quidem contingere, ut vera quaedam per imperitiam ratiocinandi e falsis perperam deducat.; sed in perpetuo errandi periculo versabitur. Satius ergo fuerat quod et postea factum a recte sentientibus, eas artes diligenter excoli earumque ope, quod facile erat, sophismata errantium solvi, quam optimarum rerum et utilissimarum cultum exprobrari. Eadem opera vitatae fuissent innumerae inanes ratiocinationes quibus scripta Veterum scatent, et quae aliunde ortae non sunt, nisi ex Logicorum et Mathematicorum neglectu.“ Addimus: ex Hi-

sacras litteras deserere, nisi forte scripta V. T. intellecta *) velit. Nam paulo infra libros N. T. multum versasse Theodotianos atque in codicibus emendatius describendis industrios fuisse Anonymus fatetur. In hanc partem, exercendo puta criticen, Anonymus noster omnino non peccasse videtur, qui fabulam de Natali quodam narrat, quem a Theodotianis corruptum Dominus primo saepe corripuisset in somnis; sed quum nocturna ejusmodi visa parum proficerent sanctos angelos tandem per totam noctem flagris cecidisse Natalem et atrocissime verberasse; tum vero veniam et pacem ab episcopo Zephyrino et ecclesia omnibus modis expetivisse, *δείξαντα τὰς μώλωπας ὧν εἴληφει πληγῶν.*

Verum etiam illum Cajum Presbyterum Romanum, *ἄνδρα λογιώτατον, ἐκκλησιαστικὸν* (Eusebio teste 2: 25. 6: 20) et

storicorum, Physicorum et Anthropologiae ac Psychologiae inscitia, earumque linguarum ac temporum, quibus ipsi auctores sacras litteras consignarunt.

*) Huc pertinet quod noster Anonymus ibidem culpat, „aliquot eorum legem et prophetas plane repudiasse *προφάσει χάριτος*.“ A Paulo nimirum didicerant, *ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν.* R. 6: 14. 5: 20. Gal. 5: 18. Cor. 2, 3: 3—18. Sic auctor Homiliarum Clem. Mosaicis libris multa falsa inesse dixit ac Deo indigna, nihilque de argumento eorum recipiendum, nisi quod cum disciplina Christi congruat. Irenaeus, quocum Anonymus iste unarum partium esse videtur, (adv. Haer. 3: 12) „omnes, inquit, qui sunt malae sententiae, alienati ab ea legislatione quae est secundum Mosen; dissimilem eam et contrariam Evangelii doctrinae arbitrantes animum non appulerunt eo, ut differentiae utriusque Testamenti inquirerent causas,“ quas se traditurum et utriusque unitatem demonstraturum ipse profitetur. Huc scilicet animum appulit Irenaeus, ut Novum Testamentum et Vetus misceret, ex Vetere quantumlibet retineret, et Novum ad Vetus quomodocunque depravaret. Alii autem ex Jo. 1: 17, 18. Cor. 2, 3: 5—16 etc. probe intellexerant, contrariorum nullam dari unitatem, unoque recipiendo alterum tolli.

Praxeam Asianum, adversarios Presbyterianorum *) sive Chiliastarum, nobis quidem probabile est ab hoc dogmate Deitatis Christi, cujus principes Justinus, Miltiades, Irenaeus etc. recensentur, alienos et aversos fuisse. Nimis certe perperam hallucinantur, qui eum, quem modo diximus, Cajum Anonymum nostrum esse conjectant. De Praxea certum videtur; nam ex eo quod non Deum, sed filium Dei Christum habebat, qui fuerit in patre et in quo fuerit pater, Tertullianus pro sua calumnia Praxeae nomen Patropassiani imposuit atque, dicam haereseos scripsit. Accedit scriptor Homiliarum Clementinarum, qui (16: 15.) Petrum rogatum a Simone Mago: annon ipsi videatur, *τὸν ἀπὸ τῦ θεῦ θεὸν εἶναι*, respondere facit huno in modum: *„Πῶς τῦτο εἶναι δύναται φράσον ἡμῖν. Τῦτο γὰρ ἡμεῖς εἰπεῖν σοι ὐ δυνάμεθα, ὅτι μὴ ἠκούσαμεν αὐτῦ.* Dominus noster neque Deos esse praeter opificem universorum pronuntiavit neque se Deum esse praedicavit; sed eum, qui ipsum dixerat filium Dei, conditoris universi, cum ratione dixit beatum.“ Ibidem argumentatione et logica et philosophica, quibus artibus Theodotiani valebant, diluitur prorsus dogma Tertullianeum. Cl. Recognitt. Clem. 3: 3 etc.

Laudat Chrysostómus hac in re sapientiam Apostolorum didacticam, qui nec Judaeis nec vero Graecis dogma tradere voluissent, cui recipiendo et concoquendo essent adhuc impares. Quasi homines inde a seculo primo ad ingruentem barbariem seculo quarto amplius ingenium, capacioremque mentem et altiorem intelligentiam adepti essent. Immo vero! tantum hebetati et obstupefacti erant, tantum *ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἐπὶ μωρὰς ζητήσεις καὶ ἀντιθέσεις ψευδωνύμυ γνώσεως ἐξετράπησαν*, ut absurdissima quaeque inculcare sibi paterentur. Chrysosto-

*) Presbyterianos illos vocamus ab Joanne Presbytero profectos, qui probabiliter Apocalypsin scripsit (Vid. Euseb. H. E. 3: 39), Polycarpum, Papiam, Justinum, Irenaeum, Tertullianum etc.

mus ipse fatetur, nec Petrum nec Paulum Deitatem Christi docuisse. Undenam igitur concilium Nicenum hoc dogma sumsit non apostolicum certe? Si per tria secula prima homines hoc dogmate carentes aeternam vitam felicitatemque consequi potuerunt: undenam necessitas hujus novi dogmatis quartum seculum et posteriora secula incessit? Quid quod apostoli non solum non hoc dogma tradiderunt, sed adeo negarunt. Nam quum Paulus dixit: Nobis unus est Deus, Pater, et unus magister, Jesus Christus: dixit Patrem unum Deum esse, ex quo necessarium est consequens ut Filius non sit Deus; dixit, Filium esse unum magistrum, ex quo item consequens ut Deus non sit nobis magister *). Cfr. Eph. 4: 5, 6. Sexcenta illa loca hoc dogma refutant, ubi Deus et Jesus aut Deus et Christus, haud aliter quam Deus et Moses, discernuntur adeoque particulis adversativis haec nomina inter sese utuntur. Quanta vis et rationi et orationi adhibenda est, quantisque tormentis adficienda sunt verba, ut Dei legatus, Dei Christus et Deus, ut ita loquar, identificentur. Quid multa? tollunt, non modo mentem et rationem, tollunt Sacras Scripturas, qui haereseos damnant quod natura sua et necessitate ipsae sonant, et quod ipsis mortalibus placitum est supponunt, itaque verbum quod ipsi dicunt divinum cum humano permutant.

Quid ergo magis manifestum, quam quod ultro Tertullianus confessus est, dogma de Filii deitate, ineunte seculo tertio, novum et inauditum fuisse simplicibus, majori parti credentium, cui talis opinio pugnare videbatur merito cum regula fidei. Tantum abest ut regula fidei hoc dogma diserte tradiderit. Sibimet ipse ergo Tertullianus prorsus contradicit adv. Prax. c. 2, atque impudens mentitur, quum dicit, „hanc regulam ab initio Evangelii decucurisse: unicum quidem Deum

*) Κύριος non אדני i. q. יהוה, sed אדון, מר, רב hoc loco et paralleliis: ut Matth. 23: 8—10, ubi vide Lightf. H. ad h. l.

credimus sub hac tamen dispositione quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et filius, sermo ipsius qui ex ipso prodesserit — hunc missum a Patre in virginem, et ex ea natum hominem et deum." Omnia prisca symbola pronicena Romanaque ad hodiernum diem cuncta unum Deum Patrem et unum filium Deum Jesum Christum, (non ergo Deum) ut credamus exigunt. Illa autem oeconomia trinitatis ad quam expavisse ineunte seculo tertio Tertullianus ipse testatur simplices quosque, majorem credentium partem, nihil minus fuit quam regula ab initio Evangelii decurrens, sed inventum sui male sani capitis.

Epiphanius haeresin Theodoti surculum haereseos Alogorum vocat, nullique dubitamus, Theodotum idem fecisse cum Cajo, Presbyterumque aspernatum esse Joannem et ejus apocalypsin, necnon dogmata quae Presbyteriani evangelio et epistolae Joannis apostoli veri vel perversa interpretatione extorserant vel supposuerant interpolationibus. Quocirca Irenaeus ejusdemque familiae alii per calumniam scripta Joannis repudiare vociferabantur eos, quibus dogmata Presbyterianorum, si Deo placet, Joannea non arriderent. Nam Theodotianos quidem evangelio Joannis auctoritatem tribuisse, ex eo apparet, quod illa voce: „Nunc vero me interficere studetis hominem, qui verum vos docui" (Jo. 8: 40), suam sententiam comprobarunt. Vid. Epiphanius Haer. LIV.

Ceterum ex his Anonymi reliquiis perspicitur, ante Victorem, qui idem Quartodecimanos e medio ecclesiae tollere animum induxerat, id est ante finem seculi secundi, neminem haereseos reum actum fuisse, qui Christum nollet praedicare Deum, ita ut nihil novi Theodotus docuerit, sed novam tyrannidem exercuerit Victor, ausus praeter regulam fidei damnare, quod simplices, quae major semper credentium pars est, ut verbis utar Tertulliani, a primordio rei Christianae crediderant in tertium usque seculum.

Jam audiamus Anonymum de adulteratione scripturarum

Dominicarum sic lamentantem: Divinis scripturis sine metu injiciunt manus, dicentes, eas ab ipsis correctas esse. Et non falsam esse hanc meam accusationem, discere quemvis licet. Nam si cui lubuerit comportata eorum cujusque exemplaria invicem conferre, multum invenerit dissonantia. Haud consona certe erunt Aslepiodoti Theodoti exemplaribus. Multis autem datur potiri, propterea quod studiose consignarunt discipuli eorum, ab singulis eorum, ut ipsi vocant, correcta, hoc est oblitterata *). Rursus autem his Hermophili non congruunt; Apollonii autem nec sibimet ipsa constant. Licet enim conferre prius ab eo adornata cum iis, quae postea rursus pervertit, et invenire multum absona. Quantae autem audaciae est hoc peccatum! Nec vero illos ignorare credibile: aut enim non credunt ab sancto spiritu dictatas esse scripturas et infideles sunt, aut se arbitrantur sapientiores spiritu sancto esse. Nam infitias ire nequeunt facinus ab sese commissum, quum etiam ipsorum manu sint scripta."

Quam infinita diversitas lectionis apud Catholicos ipsos invaserit exemplaria, testatur Hieronymus illa epistola, per quam Damaso recensionem suam Italae commendavit. Sed jam hujus Anonymi aevo Tertullianus adversarios suos, id est haereticos, adulterationis multae incusat; quam temerarie et falso Semlerus et Rosenmyllerus ostenderunt. Lectiones ratas ecclesiastico usu, atque etiamnunc vulgo receptas, condemnabat, et ipse sui dogmatis gratia comminiscebatur tam improbabiles, quam nihili habitas a sanioribus Patrum; ex c. Jo. 1: 13. lectionem nostram Valentinianorum errori tribuens ad Irenaei sui arbitrium rescripsit: ὅς — ἐγεννήθη. Nam cap. 19. De Carne Christi: „Quid est ergo: non ex sanguine nec ex voluntate carnis nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est? Hoc enim capitulo ego potius utar, cum

*) Inde facilis est conjectura, hos emendatores non interpolasse scripta, sed purgasse quibus verbis interpolata videbantur.

adulteratores ejus obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt: Non ex sanguine — natus est. Quasi supra (v. 12) dictos credentes in nomine ejus designet, ut ostendat esse semen illud arcanum electorum et spiritalium quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, quum omnes, qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani *) ex sanguine et ex carnis et ex viri voluntate nascantur, etiam Valentinus ipse: adeo singulariter ut de Domino scriptum est: sed ex Deo natus est. Merito, quia verbum Dei et cum verbo Dei spiritus et in spiritu Dei virtus et quidquid Dei est Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis et viri voluntate, quia ex Dei voluntate verbum caro factum est" etc.

Ecce nobis principes illos testes Canonis N. T. atque Codicum ecclesiarum quas Catholicas appellare consueverant, authentiam et integritatem unicam asseverantes, Irenaeum ac Tertullianum! Hi vero ipsi manifesto tenentur in adulteratione Scripturarum, cujus alios insimulare solebant. Ejusdem autem dogmatis fuisse Anonymum nostrum jam vidimus. Ubi ergo de hoc dogmate et similibus agitur, est quod

*) Ergo Tertullianus ipse, ut ita loquar, de facto confitetur, Presbyterianorum Christologiam cum certis disertisque verbis Evangelistae, cui prae ceteris auctoritatem tribuebant, pugnare. Hic docet apostolus, homines communi lege generis humani natos non item omnes ex Deo natos esse, sed indolem et facultatem habere, per quam τέκνα θεῦ reddantur, modo dum τὸν λόγον, quasi Deum, ducem subsequantur, ut verbo Ciceronis (Tim. 5: 16) utar, quod sonat idem atque illud Joannis: πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα (numen) τῦ λόγυ. Ut maxime quis τὸν λόγον παρέλαβεν, ἢ ἐγένετο ἐν τῷ λόγῳ sive λογικὸς, ita maxime ἐγεννήθη ἐκ θεῦ. Jesus ergo non singulariter, ut Tertullianus ait, ex Deo natus est, sed perfectissime, super ceteros homines excellenter, λογικὸς τὸ ὅλον, ut Justinus Apol. 2: 10. dicit, τελειοθείς, ut Paulus. Hanc igitur sententiam quum Tertullianus mente non conceperit, sui dogmatis gratia Joannis dictum falsavit.

suspectiores Presbyterianos habeamus quam quos isti haereseos accusabant.

Hoc ergo non dubitandum, quin inunte seculo tertio jam codices sacri varia et inscitia et oscitantia foedati fuerint librariorum, cum sermonis hebraici et hellenistici, tum rerum ac nominum imperitorum; quid quod ex industria vitiati ab iis quibus destinatum erat, pro ratione sui dogmatis librorum sacrorum auctores sive locutos esse, sive loqui debuisse; sin secus aliquid sonet, mendum subesse corrigendum. Sic Tertullianum constat saepenumero egisse *). Praeterea margini adlinere soliti erant quomodo hoc illud dictum accipiendum sit ac disertius in suam rem efferri queat **); alia vero, quae heterodoxis inservire videbantur, delebant ***). Tandem haud

*) Huc referimus lectionem Act. 1, 9 immutatam. Prisca lectio, quam antiquissimus codex reservavit et Augustinus: *ἐπόντος αὐτὰ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν καὶ ἀπήρθη*, apud Irenaeum ac Tertullianum sic rescripta deprehenditur, ut hodie receptus textus perhibet. Nam Presbyterianorum intererat suam opinionem auctoritate quadam N. T. approbare; quumque nullam reperirent, pro suo lubitu ipsi finxerunt. Justinus enim de Resurr. c. 9. *Ἀνειλήφθη βλεπόντων αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανὸν ὡς ἦν ἐν τῇ σαρκί.* Cfr. Iren. 1, 10: 1, 3; 18. Tum demum hic textus interpolari poterat commatibus 10 et 11, quibus per lectionem priscam locus non fuit; itaque dogmati suo Presbyteriani de secundo Christi caelitus adventu, eoque in carne, auctoritatem pia fraude crearunt.

**) Huc referenda tautologa illa crebra in evangelio et epistola Joannis, quae placita Presbyterianorum nimis redolent, ex c. Jo. 5; 28, 29, inculcata nimirum, ut resurrectionem carnis eamque duplicem approbarent, quam Jesus ibid 21—27. simplicem docuit eamque spiritualem.

***) Ex e. illud: Tu filius meus es: hodie te genui, in baptismate Jesu coelitus auditum, quod Justinus ex suo evangelio refert (adv. Tryph. c. 88 et 103), similiterque scriptum legitur in evangelio secundum Hebraeos, quod unum solumque eos habere tradens Irenaeus vocat secundum Matthaeum, illud igitur dictum resecuerunt homines, qui nolebant Jesum Nazarenum ex baptismate demum Christum extitisse, id est muneris sui et virtutis conscium, e Spiritu sancto genitum sive unctum Spiritu Sancto

religioni ducebant, evangelia et apostolos amplificare, factis et dictis inculcandis, quae ad integritatem pertinere *) ac plebis aviditati respondere ipsis videbantur. Haec autem scholia, interpretamenta et additamenta deinceps in textum recepta sunt, et quo amplificatior liber, hoc integrior putabatur.

Jam vero si Theodotiani elaborarunt in eo, ut exemplaria sua deprensis corruptelis purgarent, intermixta veris propriisque aliena, supposita, adficta exterminarent atque nativae sinceritati, quam optime possent, redderent, laudabilem omnino praestiterunt operam. Quod autem eorum codices nonnihil inter se discreparunt ac posteriores codices, quos eadem manus adornaverat, ex. c. Apollonii, prioribus castigatiores fuerunt, nihil aliud arguit, quam Theodotianos non conspirasse pias ad fraudes, libertatemque judicii et optionis inter sese conservasse, atque si quam lectionem potiorem secundis tertiisve curis investigassent, sua exemplaria prius conscripta emendasse: id quod critici religiosissimi quique ac diligentissimi hodieque faciunt. Quid tandem iniquius quam eos insimulare, dum exemplaria sacrorum librorum corrigerent et emendarent, vel sacram eorum originem negasse vel sapientiam sibi majorem, quam Spiritui sancto arrogasse? Quasi Spiritus S. propria manu vel apographa quoque et apographorum apographa exaraverit ea, quae emendationis indi-

---

(Act. 10: 30). Nam Presbyteriani docebant: Jesus, filius Mariae, est filius Dei τὸ κατὰ σαρκά, Jesus est Χριστὸς ἐν σαρκὶ ἐληλυθώς. Quod contra Paulus R. 1: 4. Cor. 2, 5: 6 docuit: Christus non est κατὰ σάρκα aestimandus, agnoscendus; Jesus ergo, quatenus e semine Davidis et Abrahami prognatus est, filius Mariae, non filium Dei sese praestitit atque approbavit, sed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης.

*) Ex. c. L. 24: 51, 52. antiquissimus codex vocabulis: καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανὸν et προσκυνήσαντες αὐτὸν, caret. Item Marci 16: 9—20. assumentum esse, Criticis constat. Vid. Griesbachius et Dav. Schulzius ad utrumque locum.

digere Theodotianis videbantur, ut a verbis quae Spiritus S. dictasset, falsa, vana, ficta, quae fraudulenti homines admiscuerant, Irenaeus, Tertullianus vel eorum principales magistri; errataque librariorum, socordium et inscitorum, secernerent. Et quo magis litterati eruditique, artibus ac disciplinis instructi, id quod Anonymus Theodotianis vitio vertit, hoc magis idonei fuerunt ad exercendam criticen.

Utinam Anonymus vel unum alterumque exemplum dedisset adulterationis a Theodotianis commissi! utinam codex aliquis ab iis emendatus reliquus esset! Sed mala conscientia Catholicorum haec talia monimenta sollicite delevit, unde ipsorum falsa posteritas cernere posset. „Si quid illi Theodotiani, Clericus inquit, pro arbitrio atque ex conjectura mutarunt, id vero nullo modo ferri potuit. Sed si e veteribus exemplaribus ea, quae serius exscripta nec sine mendis (certe nulla supersunt, in quibus permulta non insint, queruntur que ea de re veteres) correxerunt, minime sunt proptera vituperandi. Verum de re, quae nonnisi per vehementem" [adeoque imperitum, superstitiosum, nullis factis crimina sua probantem] „adversarium innotuit, nullum certum a nobis ferri potest judicium."

Constat profecto, vetustissimos codices librorum sacrorum inter se plurimum discrepasse, et quo apographa minus recentia sunt a prima librorum origine, hoc magis concordare; id quod contra accidit in Classicis Graecis atque Latinis. Haud ergo iisdem prorsus legibus Critica Sacra et, quae Profana dicitur, adstricta nobis quidem videtur. Haec inversa conditio inde provenit, quod Christianorum partes de sinceritate doctrinae litigantes auctoritatem scripturarum Dominicarum quocunque modo affectabant. Praeterea decernebat arbitrium virorum ecclesiae dominantium, non ulla collatio cum autographis, nec vero critica apographorum varietates momentis suis ponderans. Quae lectio palato illius aevi, dogmati praeplacenti rationibusque ecclesiae Catholicae

censione diversis. Postea quoque Catholici in controversiis Canone posterioribus eandem rationem tenuisse videntur. Si quis locus N. T. adversariis suis favere videbatur: adulterata esse vel verba contendebant aut perperam interpuncta, vel aliquid insertum demtumve fraudulenter.

Verum enim vero etiam vetustiorem adulterationem librorum Veteris T. deprehendere licet, quam Hegesippus, Justinus, Irenaeus cum Judaeis disputantes exercere soliti erant; ex c. apud Euseb. H. E. 2: 23. videsis locum Jes. 3: 9, apud Justin. Apol. 1: 52. locum Zach. 2: 10, apud eundem c. Tryph. 74. locum Ps. 14: 3. etc. Attamen iidem Judaeos acerbe criminantur audentes dicere, quaedam non ita scripta legi, ut Christiani laudent. Ibid. 68.

## 1.

„Ariani, inquit Hieronymus de Fide 11, 15: 335. scripturas falsavere divinas.“ Similia non dubitamus quin Ariani vicissim de Athanasianis dictitaverint. Ex. c. Math. 24: 36. Marc. 13: 32 *). Ambrosius de Fide V, 16: 193. voces: quia nec Filius scit, dolo malo censet intrusa scribens hunc in modum: „Veteres non habent Codices Graeci haec verba. Sed non mirum, si et hoc falsarunt, qui scripturas interpolavare divinas. Qua ratione autem videatur adjectum, proditur dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur.“ Et Hieronymus in Matthaeum: „In quibusdam, inquit Latinis codicibus additum est: neque filius, quum in Graecis et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus hoc non habeatur adscriptum.“ Videatur Schulzio-Griesbach. recensio! Jesus reddit rationem, cur discipulos de die et hora certiores non reddat, quippe quae nota sit nemini praeter patrem; ex quo per se intelligitur nescire filium, ita ut nihil referat, οὐδὲ υἱὸς diserte scriptum habeas

*) Vid. variae lectiones in Schulzio-Griesb. editione.

necne. Est ergo aliquid ignotum filio; cujus consequens, eum, filium Dei, non omniscium esse, non Deum. Hoc autem expungere intererat Orthodoxorum.

2.

Luc. 2: 33. *Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.* Varietatem lectionis videsis in eadem recensione, ubi potior habetur lectio: *ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἡ μήτηρ.* Haud immerito Erasmus conjecit, mutatum id ab hominibus, qui verebantur, Josephum vocare patrem Jesu. Cfr. v. 48. et v. 43, ubi varia lectio. Ceterum *Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ* syntactica ratione hoc sonaret: Josephus et mater Josephi.

3.

Eodem pertinent Luc. 3: 23. variae lectiones: *ὢν ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ*", qui erat, sicut existimabatur, filius Josephi. Nam sublato vocabulo *ὢν*, intelligenti cuique dictum erit, putativum quidem, non autem naturalem filium Josephi Jesum fuisse; servato autem hoc vocabulo, Jesum fuisse tam naturalem, quam putativum *) falsoque Judaeos exprobrasse Jesu *νοθείαν* **). Ceterum quid ad rem genealogia putativi, si quidem Judaei expetebant Messiam filium Davidis et Abrahami naturalem, non putativum. Putativa *γνησιότης* re et veritate nulla est. Merito Judaei regessissent, sese Christum exposcere, qui naturalis sit filius Davidis, non putativus, oraculisque non putative, sed re et veritate congruat.

4.

Ad Luc. 19: 41. Epiphanius in Ancorato c. 41. „Sed etiam, inquit, ploravit, extat in exemplaribus incorrectis

*) Vid. Westenius ad h. l.

**) Vid. Orig. c. Cels. 1, 9: 4.

(ἀδιορθώτοις), et usus est hoc testimonio S. Irenaeus in Opere c. Haer. adversus eos, qui Christum specie tenus fuisse hominem dicebant. Orthodoxi vero sustulerunt vocem, fraudem veriti, nec intelligentes ejus finem et summam vim".

At vero οἱ λέγοντες, δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφυκέναι, eadem opera contendebant, eundem δοκήσει κλαῦσαι, λαλῆσαι, περιπατῆσαι, φαγεῖν. Vid. Grot. ad h. l. Ceterum horum exemplarium ab Orthodoxis correctorum hodie nullum superest; omnia igitur quae hodie extant, a Docetis falsata. Ceterum hoc Epiphanii testimonio constat exemplaria evangeliorum ab Orthodoxis esse correcta, nimirum sua: nam Haereticorum emendandi copia non fuit. Undenam, quaeso, exemplaria vitiosa Orthodoxorum? et quonam fato accidit, ut Irenaeus vitiosis exemplaribus uteretur?

## 5.

Hieronymus c. Pelagianos P. II. Tom. 4. col. 521. Ed. Bened. refert, locum Luc. 22: 43, 44. in quibusdam exemplaribus tam Graecis quam Latinis inveniri. Unde liquet olim pleraque hoc loco caruisse. Similia habet Hilarius de Trinitate Lib. X. cap. 41. Videatur varietas lectionis in Schulzio-Griesb. recensione. „Falsarii, ut Clericus censet, qui pro sua imperitia historiam Christi emendabant, haec sustulerant, quasi indigna Christo." Nobis autem vero similius videtur, haec ex Apocrypho quodam alios evangelio Lucae, alios Matthaei *) inseruisse. Justinus certe, antiquior evangeliis Canonicis, quem constat apocryphis, ex. c. Actis Pilati, usum esse, hunc ἱδρῶτα ὡσεὶ θρόμβους καταχεομένους Ἰησοῦ εὐχομένου καὶ λέγοντος· παρελθέτω εἰ δυνατὸν τὸ ποτήριον τοῦτο, in Dial. c. Tryph. c. 103. infert, quae verba apud Lucam ordine inverso leguntur, interrupta hoc dicto: „Visus autem est ei angelus de caelo corroborans eum." Videamus quae

*) Vid. lectio varia ad Matth. 26: 39.

tantam recreationem et corroborationem excipiunt verba quibus alienius nihil: *καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο.* Quid quod subsequuntur haec: *ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος*, qualis sudor supremum gradum angoris arguit. Ergo Jesum et corroboratum ab angelo, et postquam iterum atque enixius patrem orasset, nec recreationem angelicam sentientem neque eam levationem, cujus efficiens precatio justa, anxietas extrema tenebat. Annon *τὸ πνεῦμα ἰησοῦ τὸ αἰώνιον συναντιλαμβανόμενον τῇ ἀσθενείᾳ τῆς σαρκὸς ἢ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ* corroborantius omnibus angelis adfuit ipsi: qui *τοσούτῳ κρείττων ἐγένετο τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτὸς κεκληρονόμηκεν ὄνομα, τὸ τῦ υἱοῦ.* Cfr. Matth. 26: 38, 41. Rom. 8: 26. Hebr. 1: 4, 5. Jesum non semel lacrimatum esse credimus; in Gethsemane lacrimis vel guttatim stillasse, quae Prudentii est locutio, haud improbabile est. Hebr. 5: 7. Sed *ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος* ineptum est dictu atque absurdum, quo vacat certe Justinus; nisi forte putes Jesum illa *καχεξίᾳ* laborasse, de qua Aristoteles de partibus Animal. 3: 5: „*ἤδη δέ τισιν ἱδρῶσαι συνέβη αἱματώδει περιττώματι διὰ καχεξίαν*, scilicet quum corpus laxum fluxumque esset sanguisque prae cruditate humesceret imbecillitate caloris etc.“ Lacrimae cum sanguineis guttis comparatae coloris certe similitudinem habere debent, non magnitudinis tantum ac figurae. Quo pacto autem discipuli noctu colorem lacrimarum humi decedentium cernere poterant *ἀποσπασθέντος ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βολήν*? L. 22: 41. Ecce contra quam egregie commata 43 et 45. inter se cohaereant, ut quidquid intercedat sententiarum interimat nexum?

## 6.

Jo. 7: 8. *Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω* est recepta lectio; Porphyrii tempore videtur in plerisque CDD. lectum *οὐκ*. Hieronymus c. Pelagg. ibidem: „Iterum se negavit ac fecit quod

prius negaverat. Latrat Porphyrius, inconstantiae ac mutationis accusat, nesciens omnia scandala ad carnem *) esse referenda.“ Nec Orthodoxi, si verum quaerimus, neque Heterodoxi hanc vocem intellexerunt: Jesus enim negat, se adscensurum esse εἰς τὴν ἑορτὴν, in quam adscendere dicebatur, qui iter ita instituit, ut eo die Azymorum vel Tabernaculorum, qui proprie ἑορτὴ vocabatur (Mos. 2, 23: 6, 34.) praesens adesset. Nam τῇ ἡμέρᾳ τῇ πρώτῃ, quae κλητὴ ἁγία vocabatur (Mos. 3, 23: 7, 8, 21, 35, 36, 2, 12: 16), Israelitarum quisque ad legis praescriptum in atrio templi se sistere debebat et coram adesse cum oblatione (Vid. Lightf. Opp. 1. p. 428). Et πρὸ ἑορτῆς octo vel plures dies multi Hierosolymae confluebant, ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτὺς (Jo. 11: 55. Act. 21: 26 sq.), ita ut Jesus quum πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα non adesset, inter se sciscitarentur: τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι ὁ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν; Ergo si quis Hierosolymae non ante solemnia praesens aderat, feriatoque illo die, quo exordiebantur celebritatem, non intererat cerimoniis, is propria vi locutionis non venerat εἰς **) τὴν ἑορτήν. Nec vero sumamus necesse est Jesum rite sacris operatum esse his solemnibus, nempe atrium Israelitarum intrasse; sed in atrio gentium videtur egisse, quae capp. 7 et 8. Joannis traduntur.

*) Haec est illa excusatio, qua hodie fanatici, qui suae regenerationis beneficio sese immunes a vitiis jactant, si quod manifestum peccatum differi non possunt, culpam non in ipsos cadere, sed in carnem suam, alienam ab ipsis, contendunt.

**) Εἰς τήνδε τὴν ἡμέραν ἀντὶ τοῦ μέχρι τῆσδε τῆς ἡμέρας. Schol. Eurip. (Sic differt πρὸς ἑσπέραν, sive εἰς ἑσπέραν, לערב Ps. 59: 7, 15. Mos. 1, 49: 28. ante solis occasum, pomeridiano tempore, et ἑσπέρας, vesperi. לאור, ante lucem. Hiob. 24: 14 — עד a LXX. interdum praepositione εἰς redditur, ex c. Mos. 2, 16: 23. עד הערב, ante vesperam.

Male Chrysostomus, Beza et novissimi interpretes Lueeke ac Tholuck volunt subintelligi debere *νῦν*. „Ego non [hoc die quo vos iter suscipitis] in solemnia proficiscor;“ quasi haec non reservatio mentalis, ut vulgo dicunt, esset prorsus indigna Christo. Si quis ex c. suos juberet coenatum ire, semetipsum negaret iturum, sed tamen coenantibus ipsis sese inferret convictor: hunc veracem esse vel secum constare, nemo putaret. Quoniam vero Jesus mediis demum solemnibus, die quarto vero similiter, Hierosolymam venit, non numeratus est inter *τὺς ἑορτάζοντας, τὺς ἐλθόντας εἰς τὴν ἑορτὴν*, sed aliam ob causam venisse videbatur.

7.

Act. 20: 28, ubi lectio *διὰ τῦ αἵματος τῦ ἰδίυ* potissima videtur, itaque reddenda locutio: Sanguine proprii, nullique dubitamus vocabulum *υἱῦ* extremo commate evanuisse vel litteris vocabuli *ἰδίυ* consimilibus absorptum esse. Cfr. R. 28: 32. *Ὁ θεὸς τῦ ἰδίυ υἱῦ ὐκ ἐφείσατο*, Ibid, 3: 25. 5: 9. Interpres vetus verarum Ignatii epistolarum habet sic: „Sanguine Christi Dei“ (i. q. filii Dei. Cfr. L. 9: 20. Mt. 16: 16. — Constitutt. Ap. 2: 57. „*Σῶσον τὸν λαόν συ κύριε* (i. q. *ὁ θεὸς*) *καὶ εὐλόγησον τὴν κληρονομίαν* (i. q. *ἐκκλησίαν*) *συ, ἣν ἐκτήσω καὶ περιεποιήσω τῷ τιμίῳ αἵματι τῦ Χριςῦ συ*. Ibid. 2: 61. *συντρέχετε εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῦ κυρίυ, ἣν περιεποιήσατο τῷ αἵματι τῦ Χριςῦ τῦ ἠγαπημένυ* (i. q. *τῦ ἰδίυ* Cfr. Act. 20: 28). Lectio *τὴν ἐκκλησίαν τῦ κυρίυ* *)

*) Ecclesia non Christi dicitur, sed Dei, semel aut iterum addito (Thess. 1, 2: 14.) *ἐν Χριςῷ Ἰησῦ*, cui Deus *τὴν ἐκκλησίαν πανηγύσατο σῶμα* (Hebr. 10: 5), ut ecclesiae sit caput, ergo pars ipse, sed principalis, totum corpus membraque omnia regens. — Praeter unum Paulinum semel R. 16: 16. *αἱ ἐκκλησίαι τῦ Χριςῦ*, quod totum comma non extat in DEFGH. Aliquot autem exhibent *τῦ Θεῦ*.

sine dubio vera, sed synonyma τ. ἐ. τῦ θεῦ. Hinc lectio κυρίυ καὶ θεῦ e scholia nata.

Quae synonymia quum fugeret recensores atque τῦ κυρίυ idem sonare putarent quod τῦ Χριςῦ, vocabulum τῦ ἰδίυ tamquam supervacaneum deleverunt. Sic tandem lectio parta est deleto uno vocabulo, mutato altero, gratissima orthodoxis, comprobare gestientibus, eum qui sanguine suo ecclesiam comparaverit Jesum diserte nuncupatum esse Deum ab Apostolo. Sed antiquiorum Patrum nemo de Christi Deitate disserens hunc locum laudat, nullus Apostolicorum, non Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus. Unde satis certo efficitur, eos non sic legisse ut receptus textus habet.

## 8.

Rom. 5: 14. lectio recepta: ἐπὶ μὴ ἁμαρτήσαντας. Origenes autem animadvertit in multis CDD. non esse μὴ, atque ita legendum contendit Ambrosiaster, eos qui Graecos Codices, in quorum plerisque *) erat negatio, quasi emendatiores Latinis praeferebant, ita corripiens: „Sic praescribitur nobis de Graecis codicibus, quasi non ipsi ab sese discrepent. Quod facit studium contentionis. Quia enim propria quis

*) Hae locutiones multi, plerique, pauci CDD. referendae sunt ad litteraturam singulorum Patrum atque ad regiones quas notas habebant. In Graecia fortasse plures huic lectioni, in Aegypto plures illi suffragabantur Nullum vetustas enim Millium, nullum Westenium, nullum Griesbachium et Schulzium tulit. Suo pondere lectiones aestimari debent, non numero testium. Nam vera lectio interdum vix quidem ac ne vix in uno Codice injuriam temporis aut piam Dogmaticorum fraudem effugit. Quo vetustior corruptela, hoc sane latius in Codices superstites permanavit, ex. c. Cor. 1, 11: 24, ubi et recepta lectio κλώμενον, et variae lectiones διδόμενον, θρυπτόμενον interpolatori debentur. Vid. Wetst. ad h. l. in varietate lectionis et Schultheß de S. Coena. Ea autem menda et adulteria, quae Canone sunt antiquiora vel inter fabricationem Canonis primam commissa sunt, Critices tantum internae sagacitas odorari potest.

auctoritate uti non potest, ad victoriam verba legis adulterat, ut sensum suum quasi legis adserat, ut non ratio, sed auctoritas praescribere videatur. Constat autem porro quosdam Latinos de veteribus Graecis translatos esse olim codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat. Postquam autem a concordia animis discedentibus et haereticis perturbantibus torqueri quaestionibus coeperunt: multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in divinis litteris quod homini videretur: unde et ipsi Graeci diversos codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando et historia et ratio et auctoritas observantur. Nam hodie quae in Latinis reprehenduntur, codicibus, sic inveniuntur a Veteribus posita, Tertulliano *) Victorino, Cypriano." Augustinus de peccatis, mer. et remiss. 1. 11. „Scio plerosque Latinos CDD. sic habere — — — in eos qui peccaverunt" etc.

Si quis hunc locum legerit nulla praeoccupatus opinione, facile viderit, apostolum id agere, ut persuadeat, quemadmodum per unum hominem Adamum, totum *ψυχικὸν*, quem primum ideoque rudem et inchoatum vocat (Cor. 1, 15: 45), vitiositas in humanum genus irrepserit omnesque Adamum vestigiis persecutos infecerit atque inde merito similem illius mortem passi fuerint, non naturalem illam quae nulla poena est; sed vitam beatam, quae in hominibus innocentibus tantum locum habet, non impetraverint: sic per unum hominem Jesum, totum *πνευματικὸν* sive *λογικὸν*, quem ultimum perfectumque Paulus vocat, integritatem et sanctitatem e contrario in hominum genus processisse (R. 5: 15—19), quem ut hominem imitantes, atque in Christo, hoc est ejus vestigiis ingredientes, vitiorum immunes atque ut bonos sic beatos reddi.

*) Hunc locum a Tertull. laudatum nobis quidem in ejus reliquis libris invenire non contigit.

Hoc ergo consentaneum erat affirmare Paulo, ante legem positivam ut Mosis, aeque ac postquam ea lata esset, miseriam et exitium, quod primus ille homo sibi contraxerat, ad homines pertinuisse, quotquot instar Adami peccassent, (sive γενόμενοι ὑπὸ νόμον, sive ἄνομοι, hoc est legi positivae non subjecti) secundum legem Dei universalem; itaque Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, πάντας ἁμαρτεῖν (R. 3: 9, 23, 11: 32. Gal. 3: 22).

Recepta igitur lectio a mente et consilio Pauli prorsus est aliena, qui sua vineta caederet, fabulans, unquam ullos mortalium fuisse, qui non peccaverint. Hinc nobis certo certius est, judaizans ingenium hoc μὴ supposuisse Paulo. Nam partim Rabbini fabulabantur homines etiam omnibus numeris et partibus absolutos, qui nunquam deliquerint quidquam, supplicium mortis pependisse, ut Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Samuelem. Est in Thalmudicis, Bava Bathra et Sabbah: „Quatuor mortui sunt propter consilium serpentis et non propter aliud peccatum, Benjamin, Amram, Isai, Caleb.“ In Debarim inducitur Moses ita loquens; „Domine mundi! triginta tres sunt excisiones. Si homo transgressus fuerit unam ex illis: reus est mortis. Non transgressus sum unam ex illis. Cur mihi mortem decernis? Respondit ipsi: Propter peccatum Adami primi, qui mortem adduxit in mundum, tu moreris“ Vid. Westen. ad h. l.

Ab judaizantibus igitur Antipaulinis hoc dictum suppositum videtur auctori, plane contrarium sententiae ejus, quo nemo expressius affirmavit: Οὐκ ἔστι δίκαιος (h. e. ἀναμάρτητος), οὐδὲ εἷς. Πάντες ἥμαρτον. R. 3: 10, 23. Quod si ita est: omnes peccarunt instar Adami, atque ut ὄντες ἐν Ἀδὰμ, h. e. Adami sequaces, quo illo punitus est leto, mulctantur. Jam vero litteratura patristica monstrat, primum Irenaeum hunc locum sic protulisse, primum Canonis praedicatorem, quippe qui pro suo dogmate non a noxa, quam suis quisque delictis meruerit εἰς τὴν σάρκα σπείρων,

sed a physica quadam labe et pestilentia, cujus origo illud unum unius Adami peccatum, mortem physicam carnis et sanguinis deduceret itaque necessitatem contenderet ac pretium carnis Jesu, qua justa quum vescerentur homines, *κατὰ μεταβολήν*, per digestionem et assimilationem, justam quoque redderent suam, itaque in beatae immortalitatis partem cum Jesu pervenirent. Vid. Iren. 3: 20. 5: 2, et ibidem 6, 11, 14 etc. Justin. Apol. 1: 66, quibus Tertullianus consentiens carnem sanctam Christi praedicat (de Monog. 3, de Carne Chr. 16). Christus contra carnem suam non minus quam omnem aliam *ἀσθενῆ* vocat, *ἀνωφελῆ* (Matth. 26: 41. Jo. 6: 63), et Paulus Rom. 8: 3. docet, Jesum similem omnibus fuisse *κατὰ σάρκα ἁμαρτίας*, quali carne si non usus esset, non potuerat *πειράζεσθαι*. Nam nemo tentatur nisi *διὰ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας*; libidinis autem elementum et fomentum *ἡ σὰρξ, ἐν ᾗ ἔστι οἰκεῖ ἀγαθόν*; honestum, unde *σὰρξ ἁμαρτίας* propria vocatur quippe in qua *οἰκεῖ ἁμαρτία* (R. 7: 17, 20. 8: 2. Cfr. Sir. 17: 31.) *).

## 9.

Similiter Tertullianus adv. Prax. c. 22. negativa particula Jo. 7: 28 interpolavit ita: „Neque me scitis, inquit, unde sim" etc.

## 10.

Tim. 1, 3: 16. recepta lectio: *θεὸς ἐφανερώθη*, cui Griesb. *ὅς* anteposuit, receptam lectionem ac tertiam *ὅ* suppares arbitratus. Sed *ὅς* est contra omnem syntaxin. Nam ubicunque pronomen relativum subjecti locum tenet, si non

*) Alias nostram suspicionem edisserimus, non solum particulam *μὴ*, sed quae R. 5: 14 post *ἁμαρτήσαντας* habentur verba *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος*, esse glossema in textum infartum. Vid. Schulthess, Revisio ecclesiacticī Systematis Theologiae. Pars 3.

praedicatum genere diversum praebeat attractionis causam, genus conformari debet ad nomen, cujus vicem gerit relativum. Ergo τὸ μυστήριον, ὃ — ἐφανερώθη, i. q. ὃ ἐγένετο φανερόν. Vid. Matthiae Gr. Gr. §. 440. 7. Hermann. ad Vig. p. 707. Fischer ad Weller. III. a. p. 341. sq. Vechner. Hellenol. 1, 2. 15, 3. p. 252. sq. Alia res est Col. 1: 27. τῶ μυστηρίω, ὅς ἐστι Χριστός. Similiter Gal. 3: 16. Eph. 1; 14. 6: 17. Tim. 1, 3: 15. Sic autem, ut Griesbachio legendum videtur, nihil habemus neque antecedens nec subsequens, cui ὅς respondeat. Haud recte igitur Griesbachius ὅς tamquam difficiliorem et insolentiorem lectionem ceteris praefert, quae si verum quaerimus, soloecа deprehenditur, ab omni usu loquendi etiam Paulino prorsus aliena.

Ex ὅ, quod in D* extat, enatum videtur ὅς in A C F Ggr. 17. 73. Hiant hoc loco ℵ B H aliique nonnulli — Vulg. et It. (clar. bosm.) ὅ, quod. Syr. utr. Erp. Arm. legerunt pronomen omnis generis, quod quum nomen μυστήριον sit antecedens, nullum subsequens, hoc ipso ad μυστήριον referatur necesse est. Copt. Sahid. Syr. p. in m. ὅς.

Lectio θεὸς in nullo CDD. uncialium reperitur; alii vero CDD. Graeci omnes, juniores nimirum, fere sic habent. Antiquissimis temporibus rarissime videmus a Patribus Graecis hunc locum excitatum ne contra Arianos quidem initio controversiae Arianae. „Si olim, ut Millius probe animadvertit, locus iste Paulinus olim extabat ut nunc typis editus est: maxime mirandum, quod etiam e Patribus Catholicis, quibus id operae datum, ut divinitatem Christi locis Scripturae undique conquisitis adstruerent, nemo — textum hunc in medium protulerit.“ Nec vero in rationem venire debent Patres, qui locutionem ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ laudant extra suum connexum, omisso nomine μυστήριον, alioque, posito λόγος, ἰησοῦς, σωτὴρ, κύριος, θεὸς. E talibus enim phrasibus et applicatione locutionum e contextu decerptarum neutiquam colligere par est patres hosce in textu legisse θεός. Non-

nulli certe non legerunt θεὸς, ut Cl. Alex. et Cyr. Alex. Alii pro hac lectione vel perperam citantur vel dubitationem habent.

Θεὸς legerunt omnino Chrys. Theodoret. Damasc. Oecum. Theophylactus, ut Griesb. ait. Westenius aliquanto cautius: „Fateor, horum commentarios in ipso textu nunc exhibere θεὸς. — Si quis tamen et interpretationes textui subjectas et alia Patrum loca diligenter consideraverit, difficulter sibi persuadebit aut universam ecclesiam Graecam aut ipsos illos qui ad testimonium citantur Patres ita legisse.“ Ὃς autem Cyrill. Al. Theodor. Mopsv. Epiph. Gelas. Cyziz. Huc pertinent eorum codices, qui Macedonium sub Anastasio Imperatore ὅς in θεὸς mutasse narrarunt. Quod nobis quidem admodum probabile videtur: nam ante annum 360, quo Macedonius, Constantinop. episcopus, per Arianos de gradu dejectus est, frustra lectio θεὸς requiritur; quam primus Chrysostomus (Macedonii successor 397) dedisse fertur, qui idem contra Arianos et Macedonianos Jo. 1: 3. receptam interpunctionem: οὐδὲ ἓν, ὃ γέγονεν. Ἐν αὐτῷ etc. contra priscam eamque veram: οὐδὲ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ etc. tuebatur. Vid. West. ad h. l. Unde efficitur, ut lectio θεὸς junior sit reliquis. Patres Latini omnium temporum omnes legerunt „mysterium sive sacramentum quod manifestatum est,“ licet de Christo intelligerent. Veruntamen non infitior, ὅς pro ὅ per quosdam usu venisse, priusquam θεὸς pro ὅς *) Orthodoxis rescribere placeret, syntactica quidem ratione probabilius.

Ὃ igitur et antiquitate certaque auctoritate praestat ceteris lectionibus et syntactica ratione praesertim lectioni ὅς, quam usus loquendi nequaquam concedit. Nam imputare non par est scriptoribus sacris soloecismum nullius exempli.

*) „Antiquum codicem nos vidimus, inquit Clericus, in quo est ὅ et recentiori manu additum s.“ Crit. Vol. 2. p. 236.

Nos denique non possumus omnino temperare conjectura, Apostoli nullam esse harum trium lectionum, sed Paulum scripsisse: *μέγα ἐστὶ — τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον ἐφανερώθη* etc. ita ut sit *ἀσύνδετος λέξις*. Laudatur aliquod carmen, opinor, Timotheo satis notum, ac memoria facile suggerebat subjectum orationis. *Ἔλλειπει* nota orationis directae: *ὅτι*.

## 11.

Jo. 1, 4: 3. Lectio recepta: *πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ* I. X. *ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα*. Vulgatus: „Spiritus qui solvit Jesum", itemque Irenaeus, Tertull. Socrates Hist. Eccl. 7: 32. Media quaedam lectio CD. Alexandrini: *πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν*. Lectionem Irenaei: *ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν*, jure dixeris difficiliorem et insolentiorem. Illam reperimus a nonnullis additam huic explicationis causa vel adeo confusam. Vid. Griesb. ad h. l.

*Λύειν τὸν Ἰησοῦν*, ut reddidit Lucifer, destruere Jesum dicuntur Presbyterianis, qui Jesum ab utero matris nudum hominem, *ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον* existimabant, et Christum discernebant ab ipso, quam personam gessit Jesus adultus, *κατὰ προκοπὴν ἤθους* (Euseb. H. E. 3: 27. Just. Dial. c. 48, 49), vel ut Paulus docet *πνεύματι δεδικαιωμένος, ὁρισθεὶς κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, τετελειωμένος* (Tim. 1, 1: 16. R. 1: 4. Hebr. 5: 9). Ebionaei, confitentes illi quidem, Jesum in carne venisse, eumque extitisse Christum, negabant, Jesum ex utero matris, in cunis jacentem, fuisse jam Christum, natum Christum, non educatione factum, ut ita loquar, ingenii et animi cultu, *διὰ παθημάτων τὸν ἀγῶνα τετελεκότα τὸν αὐτῷ προκείμενον*. Hebr. 5: 8. 2: 10. 12: 1—3. Confer. Iren. 4: 70.

## 12.

Jo. 1, 5: 7, 8. nolumus morari, manifestissimum exemplum, Orthodoxos undecimo adhuc seculo falsare sacras litteras ausos esse.

13.

Jud. v. 4. *Τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι*, est recepta lectio. Vocem *θεὸν* AB C 27 etc. Vulg. Chrysost. etc. omittunt.

Interna Critica lectionem receptam confirmat. Nam delendo nomine *θεὸν* vocabulum *δεσπότην* privatur suo praedicato, quemadmodum I. X. amitteret suum praedicatum, si nomen *κύριον ἡμῶν* tolleremus. Differt autem inter *δεσπότην* et *κύριον*: illud vocabulum enim *πρὸς δῦλον*, hoc *πρὸς ἐλεύθερον*, ut probe docet Hesychius. Ammonius: *Δεσπότης καὶ κύριος διάφερει· κύριος γὰρ τῆς γυναικὸς ὁ ἀνὴρ καὶ τῶν υἱῶν ὁ πατὴρ, δεσπότης δ' ἀργυρωνήτων.* Vid. Tim. 1, 6: 1, 2, 2, 2: 21. Tit. 2: 9. Pet. 1, 2: 18. Prov. 30: 10. 17: 2. 22: 7. LXX. Sap. 18: 11. Sir. 3: 6. Alibi nemo neque in V. T. neque in N. T. nisi supremum numen sic vocatur, ne reges quidem, qui quod gerunt imperium non ab sese habent, sed *ἀπὸ τῦ πάντων δεσπότυ*. *Δεσποτεία* enim plus quam *ἀρχὴ* sive *κυριότης*, est *ἀρχὴ ἀνυπεύθυνος*. Idem Hesychius. Hoc nomine ergo significatur infinita potestas, quae mancipia omnis libertatis et juris expertia domini propria tenet, ita ut ab eo neminem appellare possint; quali potestate herus familias in domesticos omnes erat apud antiquos, familiae suae dominus, *δεσπότης*. Qui *δεσπότης*, idem est *κύριος* isque absolutus; qui *κύριος*, non idem continuo *δεσπότης*. LXX parum accurate vocabula אֲדֹנָי (i. q. אלהים, יהוה), et אָדוֹן eodem nomine reddunt, parcissime vocabulo *δεσπότης* utentes.

Notum est liberam Romam non sustinuisse principes et magistratus dominos dici, *δεσπότας*, adeoque extincta republica imperatores abstinuisse hoc nomine invidioso. — Plinius (Panegyr. 45: 3): „Scis, ut sunt diversa natura dominatio et principatus, ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur.“ — „Trajanus sedem obtinet principis, ne sit domino locus.“ (55)

„Quae poterat inter eos esse amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur.“ Tertullianus (adv. Gentes c. 34): „Augustus, imperii formator ne Dominum quidem se dici volebat: et hoc enim Dei est, cognomen. Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor ut Dominum Dei vice dicam. Ceterum sum liber illi: dominus enim meus unus est Deus omnipotens et aeternus, idem qui et ipsius“ — „Sed et gratius est nomen pietatis quam potestatis; etiam familiae magis patres quam domini vocantur. Tantum abest ut imperator Deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima sed et perniciosa adulatione *) Tamquam si habens imperatorem alium appelles: nonne maximam et inexorabilem offensam contrahas ejus quem habuisti, etiam ipsi timendam quem appellasti. Esto religiosus in Deum qui vis illum propitium Imperatori! Desine alium Deum colere vel credere atque ita et hunc Deum dicere cui Deo opus est!“

Hic prae omnibus animadvertendum, ex quo homines coeperunt aliquod foedus Dei cum hominibus mente concipere, eos desiisse Deum sibi *δεσπότην* talem cogitare, qualem servi habent omni omnino jure et libertate destituti. Unde non mirandum, quod hoc nomen in sacris litteris raro tribuatur Deo. Si tribuitur, tantundem est ac pater. Nam liberi, ut Aristoteles docet, natura sunt servi parentum. Luc. 15: 29. Sir. 3: 7. Mal. 1: 6. Quare Mos. 1, 31: 35 et Matth. 21: 30. filius ad jussa facienda, ut fas est, paratum se declarans patrem appellat *κύριε*. Ceterum non animadvertere non possumus in libris tantum antilegomenis Deum vocari *δεσπότην* Pet. 2, 2: 1. Jud. v. 4. Apocal. 6: 10. Act. 4; 10 **), uno loco Luc. 2: 29. excepto.

*) Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum patrem familiae appellarunt.“ Seneca Epist. 47.

**) Inter *ἀντιλεγόμενα* ecclesiastici nonnulli, eruditione et gravitate

Jam vero parum sibi constare videtur Grotius ad Tim. 2, 2: 21. sic annotans: „Δεσπότης potest et Christus dici; sed saepius sic vocatur Deus Pater, ut Luc. 2: 29. Act. 4: 24. Judae 4. Vid. Gen. 15: 2. Jos. 5: 14. Jes. 1: 24. 3: 1. 10: 33, et saepissime in libris Sapientiae, Siracide et 2 Maccab.“ Idem contra ad Jud. v. 4. et Petr. 2, 2: 1. Jesum appellatum voluit δεσπότην. Quid ita? Proptera quod Pet. 2, 2: 1. ὁ ἀγοράσας vocatur δεσπότης, ubi varietatem lectionis vel scholion potius Deus videsis apud Griesbachium. — Westenius bene: „Δεσπότης patrem semper significat, nunquam filium.“ Nam Deus Pater, ut Petrus (Pet. 1, 1: 17—19) docet, nos redemit sanguine Christi. Paulus (Cor. 1, 6: 20): Ἠγοράσθητε, inquit, τιμῆς, nempe a Deo, ἀφ' ἧς ἔχετε τὸ ἅγιον πνεῦμα (v. 19), id quod ex proximis verbis intelligitur: Δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν (τὸν ἀγοράσαντα). Cfr. Act. 20: 28, quem locum supra enodavimus, Cor. 2, 5: 19. R. 8: 32. 5: 8. Luc. 1: 68. Nihil officiunt Tit. 2: 14. Gal. 3: 13. Hebr. 9: 12. Apoc. 5: 9. Sic Deus in Psalmis et Proph. persaepe λυτρώτης vocatur Ps. 19: 15, 78: 35, qui Mos. 2, 6: 6. 15: 13. ἐλυτρώσατο λαὸν αὐτῆ 5, 7: 8 etc. Sir. 48: 23 ἐν χειρὶ Ἡσαΐου, Maco. 1, 4: 11. Et tamen Moses Act. 6: 35. λυτρώτης vocatur, ὃ ἐν χειρὶ ὁ θεὸς ἐλυτρώσατο τὸν Ἰσραήλ, coll. L. 24: 21. Tit. 2: 14. Sic Deus in N. T. saepius vocatur ὁ σωτήρ, quam Jesus, ὁ Χριστὸς τῆ θεῦ.

E nihilo igitur est, quum qui vocantur orthodoxi dicunt, Jesum Christum Pet. 2, 2: 1. δεσπότυ nomen gerere; e nihilo, si opinantur Jesum Christum et δεσπότην esse respectu creationis et κύριον respectu redemtionis. Nam ὁ

---

praecipui, Apocalypsin numerarunt, adeoque inter νόθα quidam quatuor primis seculis. Actus autem apostolicos sero in communem usum ecclesiae venisse, ex Chrysostomo constat, et antilegomenis contributos esse scimus e Stichometria, quam Cotelerius edidit (Vid. Patres Apost. Ed. Clerici. Vol. 1. p. 8), atque ex Canonibus Apost. §. 66 (ibid. p. 453 et 482).

δεσπότης h. l. nos redemisse dicitur, non ὁ κύριος. Praeterea secundum regulam fidei sive symbolum apostolicum, perinde ut secundum regulam rationis, Deus pater est creator, non Jesus. Ergo Sam. Clarke, Rob. Nelson, West. atque Interpretes N. T. Franco-gallici Berol. verum viderunt.

Inter δεσπότην et κύριον idem discrimen est quod Matth. 23: 8 — 10. inter πατέρα et καθηγητὴν *) sive ἐπιστάτην, quod nomen Lucas diligit. „Imperiorum — alia sunt herilia, δεσποτικὰ, alia magistralia ἐπιστατικὰ, κυριακά. Magistrale, quum quis non sui, sed eorum qui parent causa imperat. Tali praeceptione utuntur aliptes in athletas, medicus in aegrotos, docens **) in discentes. Spectant enim non quid sibi, sed quod illis utile quibus praesunt, nempe male habentibus medici, corpus exercentibus aliptae, imperitis periti.“ Callicratidas Pythagoreus. Vid. Grot. ad Luc. 5: 5.

Interest autem potius hoc, quod καθηγητῆ, κυρίῳ, quum discernitur a Patre (vid. Westen. ad Matth. 23: 8) sive a Despota, ἡ ἐξουσία ἐδόθη, ut, quae commissa sunt, secundum ejus, qui commisit, voluntatem et mandatum, ἐντολὴν (Jo. 10: 18) administret, curet, tueatur, non ἀφ' ἑαυτῆ κρίνων (Jo. 5: 27, 30), ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξεν ὁ πατὴρ, vel si qua familia est, καθὼς ἤκουσε παρὰ τῦ δεσπότυ, ex c. ὁ ποιμὴν τὰ πρόβατα, τὰ δοθέντα αὐτῷ (Jo. 10: 29. 17: 7, 9. 6: 37). Sic optime secum congruunt θεὸς, ὁ πατὴρ sive ὁ δεσπότης, et Jesus, ὁ κύριος, ὁ καθηγητὴς ἡμῶν, eorum quos ei Pater dedit regendos, pascendos. Qui vero Jesum ὁμολογῦσι δεσπότην, ii ἀρνῦνται τὸν πατέρα. Sic autem ἀρνούμενοι τὸν πατέρα, etiam ἀρνῦνται τὸν υἱὸν. Jud. v. 4.

---

*) Vid. Westen. ad Matth. 8: 8.

**) Christi tempore doctorem apud Judaeos discipulis non solum רַבִּי magistrum, sed etiam אָדוֹן, κύριον, vocari, adeoque אַבָּא moris erat, quod quidem ultimum Jesus Matth. 23: 9. deprecatur, priora duo probans Jo. 13: 13.

## 14.

Hebr. 2: 9. recepta lectio: ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Origenes, Ambrosius, Hieronymus, alii testantur lectum hic fuisse χωρίς. Χωρὶς θεοῦ i. q. παρὰ ἀγγέλους ἠλαττωμένος ibid. Ps. 8: 6. חסר מאלהים, ἐλάττων, ἐνδεὴς θεότητος. Sed consilium apostoli et connexus orationis ac vis particulae ὅπως, quae modum quo quid fiat simulque causam finalem inferre solet, necessitate quadam ut indicetur exposcit, quo consilio Jesus propter suam necem gloria et decore sit coronatus.

Jam textum videamus! In vocabulo θανάτου metathesis observanda erat, quod nomen aptum est ex ὑπέρ. Ὑπὲρ παντὸς θανάτου grammatico-logicus ordo. Jam γεύσηται nullum intellectum habere videtur; quam ob causam facili opera post J. J. Reiske rescribimus: γένηται. Sic phrasis datur γίνεσθαι ὑπὲρ θανάτου *), i. q. περιγίνεσθαι sive ὑπεργ. **), π. θανάτου. Περιγίγνεται τῷ δεῖνος ἀντὶ τοῦ νικᾷ τὸν δεῖνα. Hesych. τῶν πολεμίων Plutarch. ἐχθρῶν Isocr.

Jam haec sententia profluit: Cernimus Jesum propter mortem (pro veritate atque ut officium Deo patri praestandum cumularet, oppetitam) majestate et honore coronatum, ut sic mortis generosus contemtor omni se leto superiorem ostenderet, ac mortem abrogaret, πάντοτε ζῶν (Hebr. 7: 25. R. 6: 8—10. 7: 24. Cor. 1, 15: 55—57); quippe cui mors non jam dominetur (Apoc. 1: 18), et eum qui mortis tyrannidem gerebat, diabolum (Hebr. 2: 14, 15. Tim. 2, 1: 10) debel-

*) Apud Hellenistas pro verbis compositis simplicia usu venire solent cum praepositione et nomine ex ea pendente. Sic Jo. 1: 1. ἦναι πρός τινα pro προσεῖναί τινι.

**) Praepositiones ὑπὲρ et περὶ in quadam certe significatione fere synonymae ut plurimum una pro altera ponuntur et per se solae et in compositis vocibus. Ex c. ἀγωνίζεσθαι ὑπὲρ et περί τινος, θεῖναι ὑπὲρ sive περὶ ἁμαρτίας Hebr. 5: 2, 3. 7: 27. 10: 6, 8, 12.

latum habeat. Contra vero sciscitanti; Quo consilio Jesus gustavit mortem? perverse omnino responderes: Propter suam mortem gloria et decore coronatus.

Hunc textum Vigilius Tapsensis et Oecumenius existimant mutatum esse, ne passio fuisse Deitatis putaretur et occurreretur Theopaschitis. Quod quidem aliquanto probabilius esset ratione temporis, si de Patropassianis cogitasset Vigilius, quos insectatus est Tertullianus. Vix tamen putarim, Clericus inquit, quod controversiae Nestorianorum et Eutychianorum hac lectione χωρὶς posteriores. Nam ante Praxeam Tatianus c. Graec. 7. „Ὁ κατ' εἰκόνα τῦ θεῦ γενομὲς, χωρισθέντος ἀπ' αὐτῦ πνεύματος τῦ δυνατωτέρυ θνητὸς γίνεται. Basilius centum annis ante Eutychen et Fullonem: ἡ γὰρ σαρὸς τῆς τῦ μονογενῦς θεότητος ἄπτεται. Euseb. Or. in Constantin. 14. Οὐκ ἐμολύνετο τικτομένυ τῦ σώματος ἀδὲ τὴν ἰσίαν ἔπασχεν ὁ ἀπαθὴς τῦ θνητῦ πάλιν αὐτῷ διαιρυμένυ. Theodor. Mopsv. circa 394. episcopus μεμφόμενος τὲς χάριτι γράφοντας τὸ χωρὶς τῦ θεῦ λέγει, ὡς ἰδὲν πρὸς τῦτο παραβλαβείσης τῆς θεότητος. Vid. haec et plura apud West. ad h. l. Placuit haec lectio Bezae, Colomesio, Bengelio.

Minus probabile judicium Clerici, qui hoc mendum incuriae tantum librarii tribuit; ac nostra quidem sententia male divinat Griesbachius, χωρὶς θεῦ scholion esse ad comma 8. adnotatum, alieno autem loco inculcatum in textum: Τὰ πάντα ὑποτεταγμένα, nimirum χωρὶς θεῦ, quemodmodum Cor. 1, 15: 27, πάντα ὑποτέτακται, δῆλον ὅτι ἐκτὸς τῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα (i. q. ἐκτὸς τῦ θεῦ). Sed consilium apostoli et contextus orationis illo quidem loco requirit exceptionem; in nostro textu contra supervacanea et inutilis ejusmodi reservatio.

Videamus, quid scribere Apostolo convenerit, postquam dixerat, eum, quem Deus paulisper ad angelos deterioris

conditionis fecisset, חִסַּר מְעַט מֵאֱלֹהִים, nos videre propter toleratam mortem majestate et honore coronatum, jam consentaneum erat dicere quo eventu, nempe ut coronatus majestate a Deo, nil minus ergo quam sine Deo, omni morte superior existeret, immortalitate par Deo, nihil praecipui angelis, qui cogitantur immortales, reliquum faciens. Illa conditio autem, qua Patres Jesum χωρὶς θεῦ fuisse volunt, et is quem dicunt status exinanitionis, unum idemque esset, itaque Apostolus praepostere et inscite loqueretur, ut nihil supra.

## 15.

Passim Orthodoxi nomen θεῦ sive κυρίυ, ubi nomen est rectum, in casum regentis transmutabant, ut attributum fieret ejus. Ex c. Χριςὸς κύριος sive θεὸς pro Χριςὸς κυρίυ sive θεῦ. Luc. 2: 11. Confer. 2: 26. 9: 20. Act. 4: 26, unde corrigas ibid. 2: 26, Χριςὸν αὐτῦ, non αὐτὸν. Jo. 1: 18. μονογενὴς υἱὸς, ubi alii μ. θεῦ, quidam υἱὸς θεῦ, alii θεὸς, nonnulli υἱὸς θεὸς, quidam μονογενὴς sine ullo additamento. Eadem fraus in Constitutt. Apost. et Patribus Antenicaenis acta est, ut Orthodoxis suffragari viderentur. Saepe nomen τῦ Χριςῦ adjectum, ut quod sacra volumina simpliciter ad Deum referunt, Christo ex parte saltem tribuant, ex. c. Col, 2: 2, 3. Eph. 3: 9, ubi videsis apud Griesb. varietatem.

Quoniam facilis est compendiorum $\overline{\Theta C}$, $\overline{\text{KC}}$, $\overline{\text{XC}}$, $\overline{\Theta Y}$, $\overline{KY}$, $\overline{XY}$ et ita porro per casus reliquos commutatio, pro suo placito aliud alii substituebant; ex. c. Χριςῦ R. 14: 10, ubi Origenes in suo Commentario θεῦ. Cfr. v. 11, 12.

## 16.

Interpunctione etiam textum Orthodoxi falsarunt, ut Jo. 1: 3, 4, qui locus a Patribus Antenicaenis creberrime ita laudatus est, ut voce ὃδὲ ἓν sententiam clauderent. Recepta

interpunctio reddit supervacaneum annexum ὅ *γέγονε*. Nec vero per syntaxin praeteritum ὃ *γέγονε* constat cum aoristo *ἐγένετο*. Ὃ *γέγονεν ἐν αὐτῷ* scil. *τῷ λόγῳ*, i. q. ὃ *γέγονε λογικὸν*, perinde ut Rom. 16: 7, *οἱ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ*, i. q. *οἱ γεγόνασι Χριστιανοί*. Ergo docet Evangelista: „Quod non solum *γέγονε διὰ τοῦ λόγου*, itaque opificium est *θεοῦ λόγου*, sed quod *τὸν λόγον* habet *μένοντα ἐν ἑαυτῷ* itaque *λογικὸν* est, hoc vita est (R. 8: 10. Cor. 1, 15: 45), plusquam extrinsecus animatum, quippe in quo insit ipso principium vitae. Confer. Tusc. 1: 23. Nos legimus ergo: Ὃ *γέγονεν ἐν αὐτῷ*, *ζωὴ* scil, *ἐστὶ*, non *ἦν*. Vid. var. lect.

## 17.

Rom. 9: 5. Antiquissimi Patres diserte negarunt, Christum *τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν* dicendum esse, quam sententiam haereseos adeo damnabant. Vid. Constitutt. Apost. 6: 26. Ignat. ad Tars. c. 2. ad Phil. c. 7. Idem ad Heronem c. 7. *τὸν θεὸν τῶν ὅλων* et *τὸν Χριστὸν* discernit. Vid Cotelerius ad hoc locos. Quae res male habuit Jac. Usserium in dissertt. de Ignatii epistolis cap. 12: 6. Nam qui non *ἐπὶ πάντων θεὸς*, nec Deus est justi nominis ac plenae potestatis. Unde liquet priscos R. 9: 5 post *σάρκα* interposuisse *τελείαν στιγμήν*.

Ceterum nemo Graeci sermonis peritior ὁ ὢν et ὢν et ὅς ἐστι confuderit, quasi *ταυτολόγα* essent, Vulgatus quum dicit: qui est, ὅς *ἐστι* reddit, sicut 1: 25. 4: 16. 5: 14. Cor. 1, 3: 11. 2, 4: 4, non ὁ ὤν. Nec ὢν sine articulo si praedicati nomen habet adjunctum, idem sonans quod verbum finitum cum aliqua conjunctione quoniam, quum, quamquam, ex. c. Matth. 1: 19. 7: 11. Jo. 4: 9. 10: 12. 33. 19: 38. etc. recte sic vertitur: qui est. Atque tantum non ubique ὢν postponitur nomini praedicati, ubicunque certe casus est rectus; nisi forte subjecti locus a pronomine relativo teneatur, ut Hebr. 1: 3.

*Ὁ ὤν* autem, si non adverbium aliquod vel praepositio cum suo nomine praedicati vice fungitur (tum enim sub eam regulam cadit, quam videsis Matthiae Gr. Gr. §. 269), *ὤν* igitur cum articulo idem sonat per se quod *ζῶν*, vivens, *ἀληθινὸς*, verus, *κύριος*, ratus, *ἀκμάζων ἔτι καὶ κραταῖν*, florens adhuc et vivens, potens, pollens, apud Graecos, ex. c. R. 13: 1, Cor. 1, 1: 28, interdum subintellecto *τι*, ex. c. R. 12: 3. *τῷ ὄντι*, scil. *τι*, ei qui aliqua facultate, virtute, dignitate praeditus est. Confer. Cor. 1, 8: 2. Act. 5: 36. Gal. 2: 6. 6: 3. Vid. ad Vig. p. 152. Herm. p. 725.

In sacris autem voluminibus et apud Patres antiquos *ὁ Ὤν* nomen Dei *κυριώτατον*, quod uni Patri, *τῷ ὅλων θεῷ* debetur. Vid. Suiceri Thes. Eccl. ad hoc nomen. Apoc. 1: 4, 8. *ὁ Ὤν, ὁ Ἦν, ὁ Ἐρχόμενος* epexegesis quaedam est, quo diligentius reputetur quantum *ὁ Ὤν* valeat. Vid. Westen. ad h. l. — Clem. Al. Paedag. 1: 8. *Ἐν ταυτότητι ἀγενήτῳ ὁ Ὤν αὐτὸς μόνος.* Strom. 6: 16. — *Ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν, ὁ θεὸς Ἀβραὰμ* etc. (Mos. 2, 3: 13—14). *Εἰς ἀπόδειξιν γεγόνασιν οἵδε οἱ λόγοι, ὅτι υἱὸς θεῷ καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστι, πρότερον λόγος ὤν — τὸν τῶν ὅλων πατέρα καὶ δημιουργὸν τὸν ταῦτα εἰπόντα λέγεσιν εἶναι οἱ ἀνόητοι Ἰουδαῖοι.* Just. Apol. 1: 63. Immo *ἀνόητος* Justinus, quum vecordes dictitat Judaeos, qui universorum patris et conditoris nomen *ὁ Ὤν* proprium esse intelligebant *).

*) Mos. 2, 3: 14. sqq. rogatus a Mose nomen quod Israelitis enuntiaret Dei, abs quo missus esset, majorum, ita profatus est Deus: אהיה אשר אהיה, LXX. *ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν*, parum fideliter opinor. Nisi me fallit, haec est sententia: Ero talis, sive talem me praestabo erga vos, qualem me praestiti erga majores vestros, soterem, evergeten; unde nomen Dei Abrahami, Isaaci, Jacobi inveni. Quod si ita est, alterum אהיה emendatione indiget ac rescribamus oportet: אהיה אשר הייתי, ero qui fui; elliptice אהיה ex ore ipsius Dei, ex ore Mosis et aliorum de

Paulus quo certius intelligeretur nomen ὁ Ὤν, subvenit appositione: ἐπὶ πάντων θεὸς. Cfr. Eph. 4: 6. εἷς θεὸς πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων. Unde certo certius est, eum qui ibidem v. 5. εἷς κύριος dicitur, et qui v. 6. εἷς θεὸς, ὁ ἐπὶ πάντων, non unum atque eundem esse, quemadmodum ex Cor. 1, 8: 6. manifestum est, Patrem esse unum Deum; Jesum Christum autem unum Dominum sive Magistrum. (Math. 23: 10). Non magis ergo Jesus Christus est Deus, quam Pater magister, qui Jesum fecit κύριον καὶ Χριστὸν ἑαυτῷ (Act. 2: 36. Hebr. 3: 2) ac prophetam excitavit eum suumque famulum*) designavit. (Act. 3: 22—24, 25, 26. coll. Rom. 15: 12. Hebr. 7: 11, 15).

Sic ergo Justinus manifesto tenetur ejus haereseos, quam Constitutt. Apostolicae et Ignatius notarunt, eorum qui Jesum τὸν τῶν ὅλων πατέρα καὶ δημιουργὸν facerent, τὸν ἐπὶ

---

eo loquentium יהיה, quas litteras futuri temporis praeteriti vocalibus dotarunt יְהוָה „Erit erga nos qui fuit erga nostros proavos", ut litteris quidem futurum, punctatione praeteritum eodem verbo mystice exprimerent. Lectio certe Hebraicorum Codicum isensum nullum doneum et accomodatum fundit. Sic autem aevo praeterito ac futuro per aposiopesin praesens quoque concluditur, ut unum et eundem per omnia secula sese pronuntiaverit Deus; LXX autem Alexandrini Platonicam Mosi suggesserunt notione.m.

*) Παῖς עבד, famulus, non filius, his certe locis. Nam in Jesu Petrus affirmat illud oraculum Mosis eventum habere, qui pollicitus erat Israelitis προφήτην, Jehovam post ipsum e popularibus eorum, sicut ipsum, ἀναστήσειν. Atqui Moses Neh. 1: 7, 8, παῖς, alibi δοῦλος, οἰκέτης vocatur, item propheta Bar. 2: 20, 28. Jer. 34: 4. Nec vero est, quod vocabulo παῖς Act. 4: 27, 30. aliam potestatem subjiciamus quam ibidem 4: 25. Conf. Bretschn. sub παῖς 4: b. Similiter Matth. 12: 17 sqq. Jesus ille esse docetur, quem Deus Jesajae 42: 1. עַבְדִּי, παιδά μου, vocat. Idem sonat ἀνὴρ Act. 2: 22. 17: 31, qui est in operis alicujus, (Dienstmann) Sam. 2, 19: 41. Chron. 2, 9: 7. Sic ἄνδρες sive ἄνθρωποι θεῦ, prophetae Sam. 1, 13: 1. 2, 4: 40. Ἄνθρωπος contra ἁμαρτίας Thess. 2, 2: 3. propheta iniquitatis. Macc. 1, 5: 59. viri Gorgiae milites Gorgiae vocantur.

πάντων θεὸν; non intelligens, in voluminibus sacris, quemadmodum apud antiquissimos Graecos, ex. c. Homerum, legatum personam ejus agere, abs quo missus sit, ejusque nomine loquentem iisdem omnino verbis uti quae, si coram praesens afforet, is ipse suomet ore sit elaturus. Adeo ignarus vel certe immemor fuit Justinus antiquitatis in rebus sacris disputandis!

Ejusdem furfuris commenta sunt Irenaei, qui (2: 4) opinatus est, nomine suo Jesum, ישו, praedicari dominatorem coelorum ac terrae *) (יהוה **) κύριον, שמים, οὐρανῶν, והארץ, καὶ γῆς), quorum vocabulorum hebraicorum litterae initiales ישו mutilatum ***) nomen ישוע efficiunt; atque eum, quod per universum mundum glorificetur in ecclesia nomen Patris, suum esse confiteri Mal. 1: 10, 11. ait idem: „Pater generis humani verbum Dei est" †), quod probatur Mos. 5, 32: 6. apud Iren. 4: 51.

Eundem errorem aliquanto amplius recoquit adv. Prax. c. 16. sq. Tertullianus. „Quale est, inquit, ut Deus omnipotens ille, invisibilis — ille altissimus in paradiso ad vesperam deambulaverit quaerens Adam, et arcam post introitum Noë clauserit — et Moysen de rubo ardenti vocaverit?" Quale est, nos vicissim rogamus, Tertulliane! ut Verbum Dei, quod non magis visibile quam Deus, quodque

*) Hoc iterum et iterum dicitur ab eodem 2: 6, 10.

**) יהוה a LXX ut plurimum redditur κύριος.

***) Hac mutilatione nominis et sua fabula infantiae, evangelio secundum Matthaeum praefixa, Presbyteriani Judaeos irritarunt ad componendum libellum famosum, cujus titulus Toldos Jeschu Jam Celso illi, contra quem Origenes scripsit, argumentum ejus innotuerat.

†) Hanc sententiam centum annis abhinc parens Herrnhuthianorum denuo professus est praeter omnem regulam fidei et rationis; ac Tertulliani, Justini, Presbyterianorum denique παραλογισμοὶ et παρερμηνείαι continuae recrudescunt hodie in Academiis Borussiae.

filius Dei, antequam corpus assumsisset, tam incorporeus quam Pater, haec talia fecerit? Et si Filius tua opinione (ibi d. c. 17 omnipotens, altissimus etc. instar Patris: nec Filium fas est mente concipere haec talia unquam fecisse. Annon tu ipse paulo supra (Cap. 14) dixisti, visum Deum secundum hominum capacitates? ergo non infinitum, ergo non Deum, qui hoc ipso quod infinitus, invisibilis est. Quum ais, filium Dei oculis corporeis conspectum esse, cum negas Deum *) — „Hinc igitur, pergit, apparet error eorum? Ignorantes enim, a primordio omnem ordinem divinae dispositionis per filium decucurrisse, ipsum credunt Patrem et visum et congressum et operatum — et ita unum Deum semper egisse, id est Patrem, quae per Filium gesta sunt." — „Omnia, inquit, Patris mea sunt **). Cur non et nomina? Cum ergo legis Deum omnipotentem et altissimum et Deum virtutum et Qui est ***) (ὁ Ὤν), vide, ne per haec Filius etiam demonstretur suo jure Deus."

Sed redeamus ad nostrum textum! Ὁ Ὤν praeter Mos. 2, 3: 14. etiam Jer. 14: 13, 32: 17. apud LXX reperitur: ὁ Ὤν κύριε, ubi אדוני pro אהיה legisse videntur. Cor. 2, 11: 31. ὁ Ὤν εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας, ubi sine ulla controversia Pater hac formula celebratur. In Liturgicis, quae Constitutiones Apost. posteritati prodiderunt, haec extant: Δέσποτα σῶτερ ἡμῶν, ὁ βασιλεὺς τῶν θεῶν, ὁ Ὤν μόνος, παντοκράτωρ καὶ κύριος — δείξας τὸν Χριστόν etc. 7: 33. Προσκυνοῦμέν σε διὰ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως σου τὸν Ὄντα θεὸν. cap. 47. Precatio

*) Vid. Suizeri Thess. Eccl. sub ἀόρατος.

**) Sic Menelaus (apud Eurip. Androm. 585) de Pyrrhi generi sui rebus: ἐκεῖνα ἐκείνη τἀμά, τἀκείνη τ' ἐμά. Sic Philton ad Lysitelem filium (apud Plaut. Trinum. 2, 2: 24 sqq.): Quod tuum 'st, meum 'st; omne meum est autem tuum. Luc. 16: 31.

***) Ergo, ut Irenaei Logicam adhibeamus, nominis Menelaus et Pyrrhus, Philton et Lysiteles communis fuerunt.

8: 5. sic orditur: *Ὁ Ὢν, δέσποτα, κύριε, ὁ θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἀγέννητος — δὸς διὰ τοῦ Χριστοῦ σου τὴν μετουσίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος.*

Etiam hoc probe animadvertendum, in Novo T. *) perpetuo *εὐλογητὸς* esse praedicatum Dei, *εὐλογημένος* hominum atque nominatim Christi. Ergo neque *ὁ Ὢν* neque *εὐλογητὸς* ad *ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα* R. 9: 5. referri potest, qui *τὸ κατὰ σάρκα* homo est, non filius Dei; nedum Deus (Vid. R. 1: 3, 4), neque hac ratione aestimandus et agnoscendus a fidelibus Christus (Cor. 2, 5: 16).

His tandem, qui volunt *εὐλογητὸς* primo loco positum esse debere, ubi doxologia sit, hoc respondemus: O miserabiles vos Critici, qui doxologiam e vocis loco, nullam syntacticam necessitatem habente, cognoscitis! Ceterum usus loquendi per inductionem nos docuit, ubi ea, pro quibus gratiarum est actio, commemoraturus est orator, *εὐλογητὸς* praemitti; ubi jam commemoravit, non item. Ex. c. Cor. 2, 11: 31. sunt ante commemorata pericula, labores, aerumnae, per quas Paulus conservatus Deo gratias agit; R. 9: 5. praerogativae nationis Israeliticae, quapropter Paulus, patriae amantissimus ac studiodissimus, Deum laudibus extollit, jam enarratae. Apud LXX unum certe exemplum est Ps. 68: 20. *κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός.*

Verum igitur vidit Erasmus, qui *τελείαν στιγμὴν* ante *ὁ Ὢν* posuit, ac reprehendendus est Clericus, cujus haec verba l. l.

---

*) In Vetere Test. apud LXX unam et alteram exceptionem regula patitur, sic tamen ut de veritate lectionis dubitare liceat: varietas enim lectionis occurrit Mos. 1, 26: 29. — Ruth. 2: 20. Sam. 1, 15: 13. non simpliciter *εὐλογητὸς* legitur, sed *εὐλογητὸς τῷ κυρίῳ* sive *ὑπὸ κυρίου*. Inter locos ergo 36. vix duo reperiuntur, ubi *εὐλογητὸς* apud LXX simpliciter hominis aut rei humanae sit praedicatum. Vicissim quoque inter plurima exempla vocabuli *ἐυλογημένος* paucissima usu veniunt, ubi Deus vel res divina sit subjectum, in libro 1. Chron. in Hiobo et Psalmis.

pag. 243. extant: „Invito Paulo Erasmus Christo titulum Dei detrahere est conatus“. Equidem novi plures locos, ubi Paulus Christum diserte hominem dicit; nullum omnino ubi Deum. Vid. R. 5: 14 — 19. Tim. 1, 2: 5. Hebr. 2: 10 — 17. 5: 1. Et si Christo titulum Dei usquam impertire voluisset, maxime absurdum in. l. esset, ubi de Christo τὸ κατὰ σάρκα tantummodo facienda erat mentio, idcirco quod ἐξ Ἰσραηλιτῶν. Quin vulgatus per simplicitatem interpretationis ut verbo Tertulliani utamur (adv. Prax. c. 5), ὁ Ὢν hic ibi reddens Qui est, ut ipse paulo supra Tertullianus, ubi nomen Dei praecipuum hoc vocabulo effertur, nihil autem relativo est opus (ut Mos. 2, 3: 14, 15. Cor. 2, 11: 30. Apocal. 1: 4), per suam consuetudinem haud concedit, ut R. 9: 5. ita construamus: Christus secundum carnem, qui est — Deus; verum post carnem σιγὴ τελεία poni debet.

Ineptissima vero est interpunctio Apocal. 19: 10, ubi τελείαν σιγὴν post μαρτυρίαν ponit Cd. 6, item Cyprianus, omisso τῶ ita pergentes: Ἰησοῦ, τῷ θεῷ προσκύνησον.

## 18.

Postremo juvat exemplum addere, quam impudenter Catholici tum, quum ipsi maxime sacras litteras depravarunt et interpolarunt, acatholicos in falsa crimina adducere soliti fuerunt. Fictus est a pio scilicet impostore prologus in septem epistolas canonicas, in quo Hieronymus ita loquens inducitur: „Quae si ut ab eis digesta sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum eloquium verterentur: nec ambiguitatem legentibus facerent nec sermonum sese varietas impugnaret; illo praecipuo loco, quem in prima Joannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula in sua editione ponentes, et Patris, Verbi ac Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et fides Catholica roboratur, et Patris

et Filii et Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur".

Hunc prologum esse confictum probavit Rich. Simonius in Hist. Crit. Textus N. T. cap. 18, quamvis in multis erraverit si fide stemus Monachorum Benedictinorum, qui Hieronymum ediderunt. Ipsa tamen in re adsentiuntur" etc. Clericus l. l. p. 240 sq.

Nullum omnino extare testem vel medio criter vetustum, cujus auctoritate ac fide vindicari possit authentia loci Jo. 1', 5: 7, si a versione latina recentiore, Patribusque nonnullis latinis discedas, quorum chorum ducit Vigilius Tapsensis, a Griesbachio accuratissime perdocti sumus, idemque quovis pignore contendit, in nulla bibliotheca Europaea extare codicem ullum graecum, in quo comma controversum legatur praeter codicem Dublinensem, seculo demum 15 aut 16 scriptum ac manifesto e latina vulgata interpolatum, et codicem vulgo Ravianum dictum, quem apographum esse Complutensis editionis, Griesbachius coarguit. Quid jam falsius dictu quam translatorum culpa contigisse, ut in codicibus latinis testimonium capitale trinitatis deficiat, quum nullus codex graecus usquam extet, unde istud comma transferre potuerint. Ceterum ex hoc falso Hieronymo quem Vigilius Tapsensis mentitus est, ut Griesb. auguratur, tamen aliquid veri certa conjectura assequi licet, ejus aevo sub finem seculi quinti necdum versiones latinas hoc loco interpolatas fuisse.

Hoc admonet immensae fraudulentiae, quam in patristica litteratura librorum suppostores exercuerunt. Quot libros, nominatim Augustino et Hieronymo adscriptos, Critici deprenderunt spurios? quot magnam certe suspicionem habent? In promtu est septem illas Ignatii epistolas integras conferre interpolatis, quibus accedunt sex adulterinae. Quantum spuriorum Clementis et Jacobi nomine decoratum est? Quis non desperet in Constitutt. Apostolicis ad sinceritatem revocandis? Eusebii quoque historiam ecclesiasticam interpola-

tores hic illic foedarunt, Origenis scripta plurima Rufini mala fides tum mutilavit, tum mente alienavit. Quid quod Josephi Flavii scripta fraus pia Christianorum non praetermisit intacta?

Sed vero, quod etiam pejus est, Patrum praestantissimorum libri, quoniam cum dogmatis ac ritibus Catholicorum, post eorum obitum constitutis, ac studiis consiliisque hierarchiae parum conspirabant, et ingruenti barbariei castitas eorum, subtilitas, elegantia non jam sapiebat, inde ab seculo quinto vel oblivione sepulti perierunt, vel judicio sacri cujusdam tribunalis de medio sublati sunt. Casu nonnisi et forte fortuna contigit, ut nolentibus hierarchis frusta nonnullorum supersint, ex quibus ut ex ungue leonem totos aestimare liceat. Sic Diodori Tarsensis omnia nobis abierunt in pulverem, qui primus fere litteras sacras rite et scite interpretatus est relictis illis, quas Patres antiquiores per coecam Judaeorum magistrorum, Philonis, Aristobuli etc. imitationem coluerant, allegoriae ac typologiae argutiis: interpretationes ejus in totum vetus Testamentum, liber de discrimine intelligentiae et allegoriae, commentarii in quatuor evangelia, in acta Apostolorum, in epistolam S. Joannis, cujus damni magnitudinem vix metiri possumus. Sic de Theodori Mopsvesteni literis reliquum nullum monumentum habemus, qui tanta fuit apud omnes veneratione, ut ecclesiae totius magister appellaretur; sed anno 429 in pace ecclesiae mortuum anno 553 in concilio Constantinopol. turba fanaticorum Episcoporum et Monachorum haereseos damnarunt. Specimen aliquod ejus videsis apud Wetsten. ad Jo. 20: 28. Clementis Alex. Hypotyposes, in quibus *πάσης τῆς ἐνδιαθήκου γραφῆς ἐπιτετμημένας πεποίηται διηγήσεις, μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών*, orthodoxorum sollicitudine perditae sunt; de Caji Romani ac Dionysii Alex. scriptis, quos Eusebius viros *λογιωτάτους* vocat; de Apollonii et aliorum, qui Presbyterianis et Montanistis adversabantur, nihil praeter fragmenta supersunt in

Eusebii Historia eccles. Taceo de universa litteratura Acatholicorum. Nam nihil fere ejus notum, nisi quod inquisitores haereticae pravitatis inde ab Irenaeo tradiderunt per calumniam malaque cum fide frustatim, ita ut veram sententiam certo perspicere non liceat, reticentes, quae in rem potissimum forent Acatholicis.

Hinc venit, ut iniquissimae simus conditionis cognituri, exploraturi, judicaturi in hoc rerum genere, haud aliter ac si de litis alicujus actis, quae pro reo faciunt, omnia deleta essent, quae vero sunt ad rem accusatoris tota conservata; nosque ex his tantum, quae et quo modo in reum prolata sunt, ex orationibus ac testimoniis contra eum scriptis investigare debeamus, quid ipse pro sua causa dicere habuisset. Sunt enim nonnunquam accusationes et criminationes ejusmodi, ex quibus ipsis rerum peritus judex et prudens innocentiam rei perspiciat. Hic labor, hoc opus, si nolimus inaudita prorsus altera parte judicare; vel omni supersedere sententia jus et aequitas postulat. Ex actis certe ita comparatis cautum ac tutum non est quidquam pro certo et vero habere.

Quae quum ita sint; quum statim ex eo seculo, quo libri canonici N. T. primum innotuerunt, ii profecto, qui Catholici habentur et Orthodoxi, continuas fraudes et fallacias admiserint, quo Sacrarum Literarum auctoritatem sibi conciliarent: quam temere confidemus testimoniis veterum Orthodoxorum, ubicumque e re ipsorum fuerit aliquid vel affirmare vel infitiari de ortu librorum sacrorum, de authentia, integritate, sinceritate. Interna profecto Critice, hoc est argumentorum inquisitio atque investigatio, quae suae veritatis ipsae dictiones ac sententiae sacrarum litterarum secum intus gerant, nobis opus est, quo filo per tot dolos, fallacias praestigiasque diu nebulosa nocte peractas barbariei rectum iter teneamus. Ubi vero, quod interna critice perviderit, externae critices argumenta confirmabunt, hoc est Patrum catholicorum testimonia et ab iis adornatae S. Litte-

rarum recensiones, quotquot e CDD. manuscriptis reliquis colligere licet: tum bene habet. Externa Critice, nisi internam comitem habeat, parum affert probabilitatis. Internam autem Criticen dicimus non coecum aliquod arbitrium, non subjectivam quam dicunt sententiam, mihi vel tibi propriam, sed eam quae via et ratione, omnium eruditorum et doctorum communi, procedens certa argumenta, quibus verum quid esse vel falsum intelligatur, exquirit iisque stat immota, donec pari via et ratione manifesto rectiore sublata fuerint. Nam, utut in scripto quodam Joannis Paulive aliquid scriptum legatur sine ulla lectionis varietate, cunctorum codicum suffragio, quod ab ejus ingenio et animo, συναφείᾳ orationis et auctoris consilio certo totum alienum et aversum sit, quodque si scripsisset sibi non constaret et pugnaret cum ceteris omnibus, quae ipse passim eadem de re pronuntiavit, judiciis ac retulit factis: utrumvis fiat, necesse est, sive istiusmodi locum τῆς νοθείας damnemus, sive apostolum deliramenta effutivisse arbitremur. Ut maxime autem ingeniosus, peritus, prudens, sapiens, sanctus denique scriptor: ita maxime nefas erit ita de eo judicare. Nihil autem probabilius est quam N. T. litteras tum eo tempore, quo in unum corpus, quem canonem vocamus, redigerentur, nativa sinceritate et integritate multum deminutas esse, atque etiam postea, Irenaei ac Tertulliani aetate, tertio seculo et quarto, donec systema ecclesiae catholicae totum concreverit atque induruerit, in ejus gratiam multa esse adulterata. Has autem fraudes pias, utpote virorum Catholicorum, partim externae Critices ope magis minusve manifesto deprehendere licet; partim internae nonnisi critices sagacitas odorari atque in lucem protrahere potest. Qua via et ratione, propositum habemus exemplis docere.

# ADULTERATIONES CARMINUM LITURGICORUM AC DOXOLOGIAE

## AB ORTHODOXIS PATRATAE

Nihil solidius quibusdam videtur authentiam, integritatem, sinceritatem librorum N. T. praestare, quam inde ex quo scripti sunt ecclesiae perpetuus usus, quae non passa esset adulterari, interpolari, mutilari ea quae pro sacrosanctis habebantur. At boni homines vetustatem ex nostro aevo metiri solent, quasi vero, antequam typographia inveniretur ac V. et N. T. volumina in manus quoque plebejorum Christianorum puerorumque per ecclesias reformatas typis adeo quos vocant stantibus vulgarentur, ea vigilantia omnium invaluerit. Sed non concedere non poterunt, hoc argumentum pari robore vel aliquanto majore pugnare pro authentia et integritate Liturgicorum, quae primis seculis quovis conventu sacro recitari solebant. Carmina sacra, quibus praeeundis plebs Christiana assuevit, priusquam scripta N. T. recitari coepta erant, quae non anniversaria inaudivit, sed omni dominico die, et quoties ad sacra obeunda conveniebant, haec si per patientiam ecclesiarum immutata et adulterata sunt novorum dogmatum causa: haud quaquam mirabimur, hoc idem et facilius adeo in evangeliis et scriptis apostolicis accidisse. Jam hymnus, qui ἑωθινὸς, sive angelicus dicitur, quo nihil solemnius inter liturgica, nihil antiquius, quomodo hodie sonet in ritualibus libris, omnibus notum. Hunc hymnum igitur juvat quam diligentissime sub leges criticas vocare.

## Antiquissimum carmen a Christianis publice tum integrum tum interpolatum ab

| A *). | R. Vindob. |
|---|---|
| Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ | — — — — — — |
| Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη | — — — — — — |
| Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία | — — — — — — |
| Αἰνοῦμέν σε | — — — — — — |
| Ὑμνοῦμέν σε | — — — — — — |
| Εὐλογοῦμέν σε | — — — — — — |
| Δοξολογοῦμέν σε | Εὐχαριστοῦμέν σε |
| Προσκυνοῦμέν σε **) | — — — — — — |
| Διὰ τὴν μεγάλην ἀρχιερέως σου | — — — — — — |
| Τὸν Ὄντα θεὸν | — — — — — — |
| Ἀγέννητον ἕνα | — — — — — — |
| Ἀπρόσιτον μόνον | — — — — — — |
| Διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν | — — — — — — |
| Κύριε βασιλεῦ | — — — — — — |
| Ἐπουράνιε | — — — — — — |
| Θεὲ πάτερ παντόκρατορ | — — — — — — |
| . . . . . | Κύριε υἱὲ μονογενῆ |
| . . . . . | Ἰησοῦ Χριστὲ |
| . . . . . | Καὶ ἅγιον πνεῦμα |
| Κύριε ὁ θεὸς | — — — — — — |
| Ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ | . . . . . |
| Τοῦ ἀμώμου ἀμνοῦ | Ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ |
| . . . . . | Ὁ υἱὸς τοῦ πατρος |
| Ὃς αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου | Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου |

*) Versus lineolis expletos communes habet proxima quaeque recensio cum antecedente; versus autem stigmatibus obsiti deficiunt in ea, quae super ipsos indicata est, recensione.

**) *Εὐχαριστοῦμέν σε* ex A. videtur excidisse inter versum 8 et 9. Versu

precationis matutinae
privatimque fundi solitum
et sincerum
Orthodoxis et vitiatum

| R. Alex. | R. Rom. |
|---|---|
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | Hominibus bonae voluntatis |
| — — — — — | — — — — — — |
| *Εὐλογῦμέν σε* | — — — — — — |
| *Προσκυνῦμέν σε* | — — — — — — |
| *Δοξολογῦμέν σε* | — — — — — — |
| *Εὐχαριστῦμέν σε* | — — — — — — |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| — — — — — | — — — — — |
| — — — — — | Domine Deus |
| — — — — — | Rex coelestis |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | J. C. (altissime) |
| — — — — — | . . . . . |
| — — — — — | — — — — — — |
| . . . . . | . . . . . |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |

9 et 10. rescribere lubet *ἀρχιερέως σου* (pro *σε*) *Τὸν Ὄντα*. Sic versu 13 in 14 abeunte prima pars carminis finiretur. Versibus autem 14 et 15 in unum contractis altera pars totidem versibus constaret.

| | |
|---|---|
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| *Πρόςδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν* | — — — — — — |
| *Ὁ καθήμενος* | — — — — — — |
| *Ἐπὶ τῶν Χερουβίμ* | *ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς* |
| . . . . . | *Ἐλέησον ἡμᾶς* |
| *Ὅτι σὺ μόνος ἅγιος* | *ὁ. σ. εἶ μ. ἁ.* |
| *Σὺ μόνος κύριος* | *σ. μ. εἶ Χριςὸς* |
| *Ἰησοῦ Χριςῷ* *) | *Ιησοῦ Χριςὲ* |
| *Σὺ θεὸς πάσης γενητῆς φύσεως* | . . . . . |
| *Καὶ βασιλέως ἡμῶν* | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| *Δι' οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ σέβας* | *Εἰς δόξαν τοῦ θεοῦ πατρὸς* |
| **) . . . . . | *Ἀμὴν* |

*) Hic versiculus et proximi duo sic habent in editione Cotelerii; *Ἰησοῦς Χριςὸς τοῦ θεοῦ πάσης γενητῆς φύσεως τοῦ βασιλέως ἡμῶν.* „Tota orationis series postularet *Ἰησοῦ Χριςοῦ.*“ Cotelerius.

**) Per istas mutationes versuum tamen numerum quater septenarium servatum videmus.

Liturgia Tigurina 1743 Missale adhuc Constantiense sequitur. Tertius versus ita sonat: Homini recta mens (Dem Menschen ein recht Gemüth). Versu 13 inseritur: et benignitatem. Versu 16. vocabulum altissime omittitur, autem quod autem in Constantinensi omittitur: et Spiritus Sancte, Tigurina effert.

Et in missali Constantiensi 1504 typis excuso, et in Missali 1498, manuscripto, quo sacellum S. Martini in pago Dorlikon ditionis Tigurinae olim instructum fuit, reperitur quoque

Cantus angelicus de Beata Virgine,

qui a vocibus Jesu Christe hunc in modum pergit:

Spiritus et alme orphanorum paraclite! Domine Deus, agnus Dei, filius patris, primogenitus Mariae,

| | |
|---|---|
| Ἐλέησον ἡμᾶς | — — — — — — |
| Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου | — — — — — — |
| Ἐλέησον ἡμᾶς | . . . . . |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| — — — — — | — — — — — — |
| Σ. μ. εἰ κύριος | — — — — — — |
| — — — — — | (Tu solus altissimus) o I. C. |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | . . . . . |
| . . . . . | (Cum sancto Spiritu) |
| — — — — — | In gloria D. P. |
| — — — — — | — — — — — — |

Virginis matris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis! Qui tollis peccata mundi suscipe deprecationem nostram ad Mariae gloriam. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis, quoniam tu solus sanctus, Mariam sanctificans, tu solus Dominus, Mariam gubernans, tu solus altissimus, Mariam coronans, Jesu Christe, cum sancto spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Quomodo hic hymnus sub littera R. Alex. proponitur, conceptus hodie extat in codice τῶν Ἑβδομήκοντα Alexandrino, quem Jac. Breitingerus, patrum memoria unus doctissimorum et celeberrimorum Tigurinae Scholae Professorum, Concilio Nicaeno anno 325. habito haud antiquiorem esse ex epistola Athanasii ad Marcellinum, Psalmis praemissa, cum Eusebii Hypothesibus, plane evicit atque haud diu ante annum 396. exaratum arbitratus est aut aliquanto post.

E constitutionibus autem Apostolicis 7: 47 carmen isthoc ductum esse, manifestum facit Codex harum Constitutionem

Vindobonensis, a Clerico primo collatus, ubi cum varietate exigua idem prorsus reperitur, quod in Codice τῶν LXX Alexandrino. Absunt enim tres tantum versus ἐλέησον ἡμᾶς, ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τῦ κόσμυ, ἐλέησον ἡμᾶς. Σὺ μόνος εἶ Χριςὸς legitur pro κύριος, permutatis scilicet compendiis $\overline{\text{ΧΣ}}$ et $\overline{\text{ΚΣ}}$, quod saepissime accidit in CDD. quoque N. T. Et quum proxime subsequitur Ἰησῦς Χριςὸς, statim apparet hoc vitio dandum esse librariis. Pro δοξολογῦμεν versu 7. εὐχαριςῦμεν, προσκυνῦμεν v. 8. pro εὐχαριςῦμεν. Versus 9—12, quibus vacat R. Alexandrina, R. Vindobonensi cum A. communes sunt. Versibus quoque 5, 6 et 8. R. Vind. cum A. consonat. Cetera in R. Vindob. et Alex. nihil prorsus differunt. Unde manifestum est R. Alexandrinam magis interpolatam esse quam Vindobonensem. R. Romana bis tantummodo paullulum ab Alex. dissonat, versu tertio ad vulgatam versionem reficta, et vocabulo Deus ante Rex caelestis amplificata. Pluris facienda omissio versiculi: Et Sanctus Spiritus, quo sequentia Domine Deus, agnus Dei nihil intercipiantur ab invocatione Jesu Christe. Missale Constantiense propriis interpolationibus magis est auctum Romano, quas uncinis inclusimus. Cetera prorsus inter se consonant.

Jam quaestio suboritur, quid operis constitutiones Apostolicae sint; Constitutiones quasdam sub Apostolorum nomine, Epiphanius quarto seculo testatur non modo pro antiquis, verum etiam pro vere Apostolicis habitas esse; unde haud mirum videtur, si nonnulli tertio jam seculo, eas authenticis Apostolorum commentariis subjunxerint adeoque canonicis S. S. libris adnumeraverint.

Corrodius, harum rerum aestimator admodum solers, parte secunda libri sui de Canone pag. 390 sqq. sic disseruit:

„Constitutiones Apostolicas pariter et Canones vero simile videtur traditiones esse primum ore propagatas, tandem litteris consignatas. Quo plus auctoritatis adipiscerentur,

Clemens Romanus ferebatur eas Apostolorum mandatu exarasse, ut διαταγὰς sive διατάξεις τῶν Ἀποστόλων. Athanasius, qui medio seculo quarto floruit, eas contribuit scriptis ecclesiasticis; auctor Synopseos antilegomenis, hoc est iis scriptis, quorum auctores addubitabantur, num ii ipsi essent, quorum nomina tituli prae se ferrent; quamvis argumentum eorum nemo improbaret. Nam ejusdem Synopseos testimonio ἀναγινωσκόμενα sive ἐκκλησιαστικὰ fuerunt. Jo. Damascenus sec. 8. inter ecclesiastica scripta Canones Apostolorum refert ac fortasse constitutiones et canones eos, qui hodieque extant, hoc simul nomine comprehendit, sicut auctor Imperfecti Operis in Matth. apud Chrysost. bis Constitutiones Canonas vocat. Αἱ διαταγαὶ ab indicibus recentioribus accensentur libris Novi Testamenti, sed quos in usum episcoporum scriptos non oporteat vulgare ἐπὶ πάντων διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά." Pro γνησίοις judicavit has constitutiones Epiphanius, Cyprius sec. quarto, qui saepe ad eas appellat; anonymus ille interpres Matthaei, quem modo diximus; Timotheus Presbyter Aegyptius sec. V; Maximus, Abbas Chrysopoli apud Constantinopolin sec. VI; Nicetas Pectoratus, Monachus coenobii, cui nomen Studium fuit, ejusdem regionis, sec. XI; Georg. Cedrenus, monachus Graecus XI, et Nicephorus Callistus, monachus Constantipoli, XIV."

„Concilium Trullanum anno 680. decrevit canone suo secundo: Apostolorum per Clementem Constitutiones, quibus jam olim ab Heterodoxis ad Ecclesiae perniciem inserta sunt quaedam adulterina et aliena a pietate, rejecimus." Nihil mirum, quod isti concilio sub finem seculi VII. Constitutiones quinque seculis fere antiquiores admodum displicuerunt, quibus dogmata recentiora refutari potius, quam comprobari possent. Ceterum primam αὐθεντίαν haud negarunt, sed propter ea, quae ab Heterodoxis inserta essent, Constitutiones rejiciendas esse pronuntiarunt.

Rectius eas integritati suae restituturi erant, purgatas ab adulterinis. Sed adulterina duxerunt, quaecunque ab suis dogmatis discreparent; et facilius fuit hoc praetextu de medio tollere totas quam refingere. Ceterum omnino credibile est, haec scripta sensim in eam formam redacta esse, qua nunc habentur. Nam plures loci, quos Patres laudant, non jam in iis reperiuntur." Varia profecto vestigia adulterationis Criticorum acies non deprehendere non potest, sed quae Orthodoxos arguunt, in suam sententiam incommoda detorquentes, non Heterodoxos. Luculento specimini hoc ipsum est carmen.

„Materia, inquit Moshemius, libri vetusta est: mores enim et instituta Christianorum, maxime Graecorum et in orientis solis regionibus, seculo secundo et tertio viventium complectitur."

Vehementer sane dolemus, quod hoc opus fortasse non semel et plus una opera interpolatum videtur. Attamen idcirco nihili aestimare iniquum foret, quum eandem ob causam partem canonicorum librorum N. T. aliaque vetustissimorum Christiani nominis monumentorum rejicere deberemus. Nos certe alios certiores et integriores fontes ignoramus, unde notitiam rerum ecclesiasticarum ex illo aevo repetere liceat. Eademque ars Critica, quae labes ac vitia investigare callet, non ignorans, aera quid distent lupinis, medicinam quoque facit: sincera ab adulterinis, nativa ab adsutis, antiqua a novis secernere et nonnunquam quoque non tam externorum quam internorum indiciorum auxilio corrupta restituere in integrum potest. Sic nos propositam προσευχὴν accuratissime ad regulam fidei et librorum sacrorum auctoritates revocavimus atque etiam syntactica via et ratione unum, quod offendebat, mendum feliciter curavimus, ita ut nihil reliquum videatur, cur integritatem et sinceritatem hujus carminis addubitemus.

Ceterum hic ipse hymnus, ut Clericus vidit, in Manu-

scripto Vindobonensi Constitutionum ad Orthodoxorum formulam, id est ad illa dogmata, quae Concilium Nicaenum primum peperit, refictus esse manifesto deprehenditur, et magis magisque adulteratus deinceps primum in Codice Alexandrino, deinde in Liturgia Romanae ecclesiae, tandem in Missali Constantiensi; quae fraudes piae jam lustratione accurata patebunt.

*Προσευχὴν ἑσπερινὴν* et *εὐχὴν ἐπ' ἀρίστῳ* adferemus infra consulto, ut e concentu consensuque hoc evidentius fiat, quid verum, simplex sincerumque sit; quid *γνήσιον* ex ingenioque primi auctoris profectum, quid secus. Haud apparet, cur hic hymnus matutinus in CD. Alex. vocetur, in quo nihil vespertinum reperiamus; apparet in Constitutionibus, quas propterea, si non sedes natales, aliquanto tamen propiores ab origine hujus carminis abesse, jure censemus.

Eccardus, Jo. Georgius, 1713. incerti Monachi Weissenburgensis Catechesin Theotiscam seculo nono conscriptam primus typis exprimendam curavit, quae catechesis (pag. 72) post fidem, quam vocant, Athanasianam postremo libelli loco hymnum Angelicum offert, cum Missali Constantiensi prorsus congruentem, praeterquam quod versus tertius est: mannom guates willen, hominibus bona voluntas, non „bonae voluntatis," si quidem recte intellexit Eccardus. Epitheta: Jesu Christe altissme et benedictus agnus, non exhibentur, versus 16. contra „et Sanctus Spiritus", quo caret Missale Constantiense, item deficit; cum hoc Missali quoque has voces habet communes: v. 15. rex, 27 et 28. tu solus altissimus et cum sancto spiritu.

„lisdem verbis, auctore Eccardo (ibid. p. 43—45), hic hymnus conceptus legitur in Codice Monachi Weissenburgensis, quibus in Missali Romano Urbani VIII. Papae auctoritate recognito pag. 141. expressus invenitur (qui Papa 1261 creatus 1264 defunctus festum corporis Christi invexit). Prima habemus hymni verba ad angelis ad pastores prolata esse, notum;

reliqua quis addiderit, incertum. Quidam Telesphoro Papae (137—148), alii Symmacho Papae (qui 498 creatus cum Laurentio contra creato diuturnum horrendumque certamen gessit); nonnulli Hilario Pictaviensi accessionem tribuunt (nobili Arianorum hosti), qui 386 obiit. Nec vero improbabile nobis videtur, hominem partium Athanasianarum hunc hymnum haud paullo antiquiorem ita adulterasse, ut in Codice Constitutionum Apostol. Viennensi extat, circa illam aetutem, qua Hilarius floruit. Nos in re dubia nihil definimus. Tantum constat, hymnum hunc antiquissimis temporibus in usu fuisse apud Graecos et Latinos. Vid. D. Thomae Commentatio, Usserius de Symbolis pag. 34. Bona Cardinalis Rer. Liturg. 2, 4: 4 sqq., et Tentzelius Exercitat. Select. p. 398. Graecis ille ἑωθινὸς, Latinis Matutinus dicebatur, quia mane et quidem in Prima, ut ex Ramberto et Gualdone patet, decantabatur. Anastasius (Bibliothecarius, sec. 9. vergente) scribit, Telesphorum Papam constituisse, ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus; hoc est: Gloria in excelsis Deo. Sed in D. Can. Nocte sancta dicitur hoc institutum a Telosphoro, ut hymnus hic caneretur in Missa in Natali Domini. Deinde usu receptum est ut idem decantaretur semper in Missis solemnibus, etiam in Coena Domini. Vid. Canon Porro de Consecr. dist. 1. Symmacho Papae hoc tribuit laudatus jam Anastasius in ejus vita. In Missa Latina, quam Flacius Illyricus ex vetusto Codice descriptam edidit et circa annum Domini 700 in Gallia et Germania usitatam fuisse putavit post Kyrie eleison et ante Evangelii lectionem Carmen angelorum, prout a nobis theotisce hic publicatur, cantari jubetur. Ludovici Germanici tempore finita Oratione Dominica post Gloria in excelsis in Missae Liturgia Sacerdos ter dicebat: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat; tum pro Nicolao Papa, pro Ludovico Rege, Hemma Regina, probe regia, Judicibus, id est Comitibus, et exercitu Francorum

et Alemannorum Sancti Sanctaeve invocabantur, hoc est Litania accinebatur, quae videri poterit apud Goldastum T. II. Rerum Alemannicarum p. 136."

„Ceterum in ecclesiis Lutheranis idem hymnus angelicus dominicis et festis diebus sive latine, sive in germanicam linguam a Luthero translatus canitur; in catecheses vero ejus loco seculo 13. irrepsit salutatio angelica seu Ave Maria cum appendice: „Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Ea Vadiano auctore a mendicantibus primum fratribus in preculas numeratas et meritorias relata est. Cardinalis Bona in tract. de divina Psalmodia Cap. 16. §. 2. putat, illam ante breviarium jussu Pii V. pontificis reformatum in solo breviario Cardinalis S. Crucis lectam fuisse. In primis Catechismorum Lutheri editionibus Germanice versam eandem offendas; attamen postea ab ipso, nec sine causa, est praetermissa." Apud Tigurinos inde a repurgatis sacris in liturgia tantum S. Caenae hic hymnus recitatur.

Si cui operae pretium videtur, lustret Bibliothecae Civicae Turic. B. 7. p. 155. f. 179. B. 10. p. 1 et 1169. F. 19. Missale secundum ritum Gonstantiensis ecclesiae editum Ingolst. 1579, et Missale Constantiense ad Romani formam revocatum Constant. 1603. Gal. 1. 31. Missale Romanum, ex decreto Concil. Trid. restitutum, Pii V. jussu editum, et Clem. VIII. auctoritate recognitum. Lugd. 1616. Rituale Rom. Pauli V. jussu editum. Rom. 1615. Tz. 809. Missale. Aug. Vindel. 1509. — In Bibl. Canonicorum Repert. C. CLII. est Missale et Liturgia antiqua. Codex Membr. cum historia inaugurationis in Dorlichen 1489.

Aliquantum interest ad rei propositae judicium, etiam quae subjicimus inspecta habere cum προσευχῇ ἐωθινῇ cognata sine dubio, pariterque antiqua, ἑσπερινὸν ὕμνον et εὐχὴν ἐπ' ἀρίστῳ, quae προσευχὴν ἑωθινὴν in iisdem Constitutt. Ap. VII. 48, 49. excipiunt:

*Προσευχὴ ἑσπερινὴ*
Eodem Constitutionum cap. 48.

*Αἰνεῖτε παῖδες κύριον,*
*αἰνεῖτε τὸ ὄνομα κυρίου·*
*Αἰνῶμέν σε,*
*ὑμνῶμέν σε,*
*εὐλογῶμέν σε*
*διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν*
*κύριε βασιλεῦ,*
*ὁ πατὴρ τῶ Χριστῶ,*
*τῶ ἀμώμω ἀμνῶ,*
*ὃς αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.*
*Σοὶ πρέπει αἶνος,*
*σοὶ πρέπει ὕμνος,*
*σοὶ δόξα πρέπει*
*τῷ θεῷ καὶ πατρὶ*
*διὰ τοῦ υἱοῦ*
*ἐν πνεύματι τῷ παναγίῳ*
*εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.*
*Ἀμήν.*

*Εὐχὴ ἐπ' ἀρίστῳ.*
Apostolicarum libro cap. 49.

*Εὐλογητὸς εἶ κύριε,*
*ὁ τρέφων με ἐκ νεότητός μου,*
*ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί·*
*πλήρωσον χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης*
*τὰς καρδίας ἡμῶν,*
*ἵνα πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν*
*ἔχοντες*
*περισσεύωμεν εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν*
*ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν,*
*δι' οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ κράτος*
*εἰς τοὺς αἰῶνας.*
*Ἀμήν.*

His hymnis Athanasius quoque vel quisquis est auctor libelli de Virginitate Athanasio adscripti cap. 20. lucem adfert his verbis: „Sub matutinum (πρὸς ὄρθρον) psalmum hunc dicite: „Ad te primo mane evigilo“ (Jes. 26. 8. Vid. hymnorum psalterio adjunctorum in CD. Alex. Bibl. LXX. quartus: et Ps. 42: 2.). Diluculo autem: „Benedicite opera Domini Dominum!“ (Ps. 103: 22. Hymn. in CD. Alex, X. 57), et: „Gloria in excelsis Deo et in terra pax, in hominibus bona voluntas. Canimus te, benedicimus te et cetera.“ Unde non liquet, quam recensionem scriptor significaverit, ante-Nicaenam, an post-Nicaenam. Non autem dubitamus, si quidem Athanasius vel aliquis Athanasianorum est auctor libelli, posterius. Apud eundem Athanas. l. l.

cap. 12. *εὐχὴ ἐπ' ἀφίεσι* eadem extat, quam supra depromtam habemus e Constitutt. Apostolicis, fine tamen nonnihil diverso: *μεθ' ὃ σοι πρέπει δόξα, κράτος, τιμὴ καὶ προσκύνησις σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.* Necnon CD. Vindob. *δι' ὃ* cum *μεθ' ὃ* permutavit. Idemque in precatione vespertina *τῷ θεῷ καὶ πατρὶ* etc. sic interpolavit: *καὶ τῷ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.*

Antiquiorem formulam quum consideramus, quae sub littera A scripta habetur, uno tenore legentes videmus solum Deum invocari et adorari per Jesum Christum, id est ejus munere, qui nobis mentem indidit ut cognoscamus solum verum Deum, eumque solum precemur Patrem caelestem, qui *ὁ Ὤν* appellatur, idemque *ἀγέννητος ἀπρόσιτος* (Tim. 1, 6: 16.), id quod *ἀπροσπέλαστος*, quem nemo majestate et gloria potest adsequi, cui nil viget quidquam simile aut secundum, *παντοκράτωρ, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβίμ.* Haec sunt epitheta Dei Patris propria nec per sacra volumina usquam cum Christo communicantur. Ex. c. in Apocalypsi *ὁ καθήμενος ἐπὶ θρόνου* 4: 2, 9, 10. Deus est; Christus autem *ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ* (Hebr. 12: 2.), *ἐπὶ θρόνου τῆς δόξης αὐτοῦ* (*τοῦ Χριστοῦ*, non *θεοῦ*) Matth. 19: 28. 25: 31. Similiter (Matth. 19: 18) spopondit apostolis Dominus, quando ipse occupaverit thronum majestatis suae, fore ut ii quoque consideant rectores in duodecim thronis, aliquanto nimirum humilioribus ad dexteram ipsius et sinistram alterni, omnibusque adeo Christianis promissum est, *εἴπερ ὑπομείνωσι, καὶ συνδοξασθήσεσθαι, συγκληρονομήσειν, συμβασιλεύσειν.* Nec porro mirum, quod Deus solus dominus Jesu Christi vocatur: nam qui Dei est (Cor. 1, 3: 23), *ὁ παῖς τοῦ θεοῦ*, i. q. *δοῦλος* (vide supra), quem patrem habet eundem *κύριον* sive *δεσπότην* habere, consentaneum videtur *). Qui Deus et

*) In N. T. pluribus locis Deus *κύριος Ἰησοῦ* mihi dici videtur, ubi alii *κύριος* non regens nomen esse arbitrantur, sed epithethon.

pater Jesu, idem dominus Jesu. Singularis laus Christi constat in eo, quod solus Deus ejus dominus, quod majorem ipso neminem quam Deum novimus et habemus.

Versiculo vicesimo quinto τῷ θεῷ πάσης γενητῆς φύσεως non est evangelica dictio, in qua mendum odorari fas est. Nostra quidem conjectura rescribendum: Σὺ θεὸς πάσης γενητῆς φύσεως καὶ βασιλέως ἡμῶν. (Tu Deus cum omnis genitae naturae, tum regis nostri). Φύσις apud Patres ipse Deus vocatur, ἡ ἀνωτάτω. Deus ἀγεννήτη φύσις sola; πᾶσα γενητὴ φύσις, i. q. πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ἐκ τοῦ θεοῦ ὀνομαζομένη Eph. 3: 15. Origenes c. Cels. 1: 6. Οὐ τὸν πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν εἰδέναι τις δύναται εἰ μὴ ὁ γεννήσας αὐτὸν ὁ πατήρ. Jam vero si Christus πρωτότοκος πάσης γενητῆς φύσεως, idem ejus est βασιλεύς, itaque Deus rite dicitur θεὸς πάσης φύσεως γενητῆς ejusque, qui πρωτότοκος π. φ. γ. est: regis nostri, Jesu Christi. Eph. 1: 3. Vid Constit. Ap, 8: 6. 7: 42.

Tandem conclusio prorsus evangelica: δι' ὃ σοι δόξα. Sic R. 16: 27. διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾧ ἡ δόξα ubi notanda, metathsis pro ᾧ ἡ δόξα διὰ I. X. Similiter Hebr. 13: 21. Cfr. Tim. 1, 1; 17. Judae 25. R. 11. 36, Gal. 1: 5. Phil. 4: 20. Col. 4: 20. Tim. 2, 4: 18. Pet. 1. 5: 11. Apocal. 1: 6. 4: 9, 11. 7: 12. 14; 7.

Notanda est varietas lectionis Eph. 4: 21, ubi textus receptus: αὐτῷ ἡ δόξα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Alii: in ecclesia ejus et in Jesu Christo. Inverse alii: in Jesu Christo et in ecclesia. Unus CD. et Oros. omisso in ecclesia tantum: in Jesu Christo. „Unde utique suspicio oriri debet ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ spurium esse.“ Koppe.

---

Ex. c. Jac. 1: 1. „Plerique ex interpretibus Dei et Domini sejungunt, illud ad Patrem, hoc ad Filium referentes. Potest tamen esse quam Dialectici de sensu communi copulativam dicunt.“ Zwingl.

Pe. 2, 3: 18. *Ἰησοῦ Χριστῷ. Αὐτῷ ἡ δόξα* in textu recepto. CDD. autem 9, 40, 69. Syr. uterque, Theoph. *θεῷ πατρὸς, ᾧ.*

Apocal. 5: 13. unus est locus Athanasio assentiens: *τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα.* Verumtamen nec hic locus omni varietate est immunis. Nam *καὶ τῷ ἀρνίῳ* non habet Copt. et *καὶ ἡ δόξα* non legitur in Cd. 12.

Ceterum Orthodoxis posteris nec formula R. satis justa videbatur; id quod apparet ex ea redactione quae in theotisca catechesi, medio seculo nono scripta, extat, ab J. Georgio Eccardo primum edita, ubi versiculus *καὶ ἅγιον πνεῦμα* omissus, penultimus autem et ultimus ita sunt amplificati: *Σὺ εἷ μόνος ὕψιστος, Ἰησοῦ Χριστέ, Σὺν πνεύματι ἁγίῳ ἐν δόξῃ θεοῦ πατρός. Ἀμήν.* Sic etiam Liturgia Tigurina hunc hymnum hodie finit.

Quatuor nimirum formulas doxologiae discernere licet:

Prima Arianorum tessera existimari coepta est:

*Δόξα πατρὶ δι' υἱοῦ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.*

Altera Orthodoxorum tessera:

*Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ πνεύματι ἁγίῳ*

sive

*Δόξα πατρὶ μετ' υἱοῦ σὺν πνεύματι ἁγίῳ.*

Tertia Macedonianorum de Filio Semiarianorum:

*Δόξα πατρὶ ἐν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.*

Quarta Macedonianorum de filio Athanasianis assentientium:

*Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ ἐν ἁγίῳ πνεύματι.*

In Constitutionibus Apostolicis hodie ista prima, secunda et quarta formula reperitur; sed frequentissima, sicut antiquissima, sine dubio prima. Lib. 1. initio, 1: 5, 6. fin. 7: 25 35, 45, 49. *Δι' αὐτοῦ σοι δόξα.* Ibid. 38. „Nos viventi Deo per Christum ejus commendemus.“ 8: 36. — „Suscipe tui populi preces, quae tibi per Christum offeruntur in Spiritu“.

7: 45, *δι' ὅ σοι δόξα ἐν πνεύματι.* Item 8: 5, 6 bis 8, 9, 11, 36, 37, 40, 41.

Altera 8: 12, 15. „Tibi omnis gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc et semper et in infinita et sempiterna secula.“ Ibid. 13. „Cum Christo tibi gloria et Spiritui Sancto. Item 16, 37, 38, 39.

Quarta 8: 7. Tibi gloria et per Te Patri in Spiritu Sancto.

In Codice Vindobonensi Constitutionum Apostolicarum, in quo recensio hymni matutini postnicaena inest, complures passim varietates reperiuntur ad dogma Athanasianum rescriptae ex. c.

7: 48. pro: *Σοὶ δόξα πρέπει τῷ θεῷ καὶ πατρὶ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐν πνεύματι παναγίῳ.* Vindobonensis: *Σοὶ δόξα Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.*

7: 49. pro: *ἐν* X. I. *τῷ κυρίῳ ἡμῶν, δι' ὅ σοι δόξα* Vindob. *μεθ' ὅ.* Similiter ibid. 38, 45, 8: 5, 40, 41. Alibi corrigere Vindobonensis neglexit, multaque reliqua fecit, quae antiquiorem recensionem comprobant, ex. c. 8: 6. *Ὁ θεὸς παντοκράτωρ, ὁ ἀγέννητος καὶ ἀπρόσιτος, ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς, ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ σου, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου, ὁ θεὸς τοῦ παρακλήτου* *) *καὶ τῶν ὅλων κύριος — μετόχους ποίησον αὐτοὺς τῶν θείων μυστηρίων διὰ Χριστοῦ, δι' οὗ σοι δόξα — ἐν ἁγίῳ πνεύματι,* 7: 42. *τὸν ἀγέννητον θεὸν, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ, τὸν βασιλέα πάσης αἰσθητῆς καὶ νοητῆς φύσεως.*

Addimus eam *δοξολογίαν*, in quam desinit Cl. Alex. liber, quem inscripsit: Quis dives salvetur? *Ὁ πατὴρ ἀγαθὸς ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ᾧ διὰ τοῦ παιδὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου τῶν νεκρῶν καὶ ζώντων, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη δόξα* etc. Quae verba interpres minus fideliter sic reddidit: „Pater — cui cum filio — per Sp. S. sit gloria.“ Origenes (de Orat. 33): „Videntur mihi quatuor describendae partes (*τῆς εὐχῆς*),

*) Vindob. *ὁ προβολεὺς τοῦ παρακλήτου.*

quas inveni dispersas in sacris litteris: *Κατὰ δύναμιν ἐν τῇ ἀρχῇ καὶ τῷ προοιμίῳ τῆς εὐχῆς λεκτέον τῷ Θεῷ διὰ Χριστοῦ συνδοξολογεμένῳ ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι συνυμνεμένῳ — καὶ ἐπὶ πᾶσι τὴν εὐχὴν εἰς δοξολογίαν Θεῷ διὰ Χριστοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι καταπαυστέον.*

Ante quartum seculum ergo, quantum nos quidem scimus Ariana tantum quae dicitur doxologia reperitur *);

Ad rem, quam quaerimus plurimum referebat hanc discrepantiam doxologiarum expedire, quae post Concilium Nicaenum seculo quarto demum vergente oborta videtur. Nam apud antiquiores, v. c. in Constitutionibus Apostolicis, ubicunque non interpolationem passae sunt, haec formula: *δόξα παρὰ δὶ υἱοῦ ἐν πνεύματι ἁγίῳ*, dominatur. In libro demum postremo Constitutionum, in Homiliis Clement. et Epitome, itemque in Epist. Smyrn. de martyrio Polycarpi praevalet altera formula.

Quantum turbarum et scandalorum hac formula novanda concitatum fuerit, annales ecclesiastici plus abunde clamant. Theodoretus Hist. Eccl. 2: 19 de Leontii episcopi Antiocheni circa 350 florentis calliditate haec narrat: Quum duas in partes divisum clerum et reliquum coetum videret, atque alios copulam *καὶ* in filii doxologia ponentes, alios autem praepositionem *διὰ* filio, *ἐν* spiritui sancto applicantes: ipse silentio doxologiam proferebat: solum autemillud: *εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων* exaudiebant propius adstantes. Alium ibidem episco-

*) Aliud extat non minus illustre documentum licentiae, quod Catholici in rebus dederunt ecclesiae sanctissimis; symbolum illud apostolicum. Sed longum est docere, quam multis variisque modis nativam ejus veritatem, simplicitatem, sinceritatem adulterarint, prout multiplicatio dogmatum et infinitae contentiones cum adversariis causam materiemque praebebant. Vid. Kingii Petri Historia Symboli Apostolici, Walch. Ch. W. Fr. Bibliotheca symbol. vetus, Walch J. E. Im. Antiquitates symb. quibus symb. apost. hist. illustratur et Gruner. Dr. considerationes generales de Symbolo Apostolico in Semleri collectionibus Halensibus Part. XI.

pum Flavianum circa 380, Philostorgius H. Eccles. Lib. 3. auctor est, coacta multitudine monachorum primum acclamasse gloria patri et filio et spiritui sancto. Eos vero, qui eum praecesserint; alios quidem: Gloria patri per filium in spiritu sancto, et hanc ἐκφώνησιν magis invaluisse; alios vero: Gloria patri in filio et sancto spiritu. Formula nempe: Gloria per filium etc. sive in filio, tamquam Arianorum, apud Athanasianos, quos imperatoris Theodosii decretum Catholicos nominc fecerat, male audire coepit. At vero quid existimandum de apostolis, quorum in doxologiis plerumque Rom. 11: 36. Gal. 1: 5. Phil. 4: 20. Tim. 1, 1: 17. 6: 16. Tim. 2, 4: 18. Petr. 1, 4: 11. (2, 3: 18) Jud. v. 25. Apocal. 1: 6. 7: 12, 19: 1. Matth. 6: 13. de Christo nulla omnino fit mentio, aut ἐν Χριστῷ Eph. 3: 21. vel διὰ Χριστοῦ Rom. 16: 27. Hebr. 13: 21. Petr. 1, 4: 11. additur. Quid, quod Apostolus disertissime praecipit: Quidquid rerum sacrarum obitis oratione aut opere, omnia praestate nomine Jesu Christi, i. e. ejus causam tuentes, gratias agentes Deo et patri per ipsum i. e. ejus munere et beneficio. Cor. 1, 10. 31. omnia in gloriam dei facite! Phil. 2: 11. omnis lingua dominum profiteatur Jesum Christum in gloriam patris. Rom. 15: 7. Cor. 2, 4: 15. Eph. 3: 6, 12. Phil. 1: 11.

Jam inspiciamus precationem illam matutinam, atque ipsam clausulam expendamus, quid ea retro exposcat: δι' οὗ (Χριστοῦ) σοι (τῷ ὄντι θεῷ) δόξα. Certo certius est non permittere hanc locutionem, ut ipse Christus proxime antea compelletur: Σὺ μόνος κύριος; sed aliqua emendatio necessaria est, quod ante nos Cotelerius probe sensit; unde animadversionem hanc adjecit: Tota series orationis postularet Ἰησοῦ Χριστοῦ. Non ausim tamen quidquam mutare praesertim ob illud lib. 8: 13. Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος, εἷς Ἰησοῦς Χριστός. Veruntamen si quid videmus: unus Sanctus ibi non Christus vocatur, sed Deus. Sicut unus sanctus, unus dominus (אדני), sic unus est Jesus Χριστὸς κυρίος. Δι' οὗ ergo necessitate

referimus ad Jesum, qui est Χριστὸς τῦ θεῦ, qui θεὸς est πάσης γεννητῆς φύσεως, ergo etiam τῦ πρωτοτόκυ τῆς κτίσεως. Quod si ita est, ὁ Χριστὸς τῦ θεῦ rex noster. Unde liquet pro ὁ βασιλεὺς ἡμῶν reseribendum esse τῦ βασιλέως ἡμῶν, quia est πρωτότοκος πάσης γεννητῆς φύσεως, cujus Deus est pater Christi.

Ἅγιος ὲκ ἔςι πλὴν συ, κύριος θεὸς γνώσεων, θεὸς ἁγίων, ἅγιος ὑπὲρ πάντας ἁγίυς· οἱ γὰρ ἡγιασμένος ὑπὸ τὰς χεῖράς συ εἰσίν. 7: 35. Idem judicium Cyrilli Hieros. Catech. Neoph. 5. Ἀληθῶς εἷς ἅγιος, φύσει ἅγιος etc. et Cyrilli Alex. in cap. 49. Jesajae: „Deo hoc convenit epitheton et soli κυρίως τε καὶ ἰδικῶς.“ Videsis Suizeri Thess. Eccles. Neque alius praeter unum Deum εἷς κύριος, Adonai, vocari potest, i. q. δεσπότης, Luc. 2: 29. 4: 24. Apoc. 6: 10. Petr. 2, 2: 1. coll. Cor. 1, 6: 20. Pet. 1, 17: 19. Act. 20: 28. Jud. v. 4, ubi discernuntur δεσπότης θεὸς et κύριος ἡμῶν I. X. Justin. M. Apol. 1: 12. Ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος (cujus synonymum κύριος Christo tribuitur) καὶ τῦ πατρὸς πάντων καὶ δεσπότυ Θεῦ ὑὸς καὶ ἀπόστολος ὢν I. X. Ergo Deus dominus (Adonai Jehova) unus plenissimo et absolutissimo sensu nominis: dominus dominorum (Mos. 5, 10: 16, 17. Tim. 1, 6: 13).

Nihil ergo difficultatis e loco, qui Cotelerium absterruit, quin emendationem necessariam excogitemus textui nostro. Ceterum laudamus Cotelerium, quod remedio uti nolebat plus nocituro, quam profuturo. Nam vitium fugit eum, ubi lateret, v. 24, in vocula σὺ, pro qua legendum σᾶ. Sic saepe haec tria nomina κύριος Ἰησῦς Χριστὸς, dominus (noster) Jesus (qui est) Christus, sese excipiunt Cor. 1, 8; 6. Rom. 1: 7. 13: 14. Cor. 1, 16: 22, 23. 2, 1: 2, 13: 13. Eph. 6: 23. Phil. 2: 11. Col. 2: 6. Thess 2, 1: 12. Idemque εἷς vocatur κύριος i. e. μόνος Cor. 1, 8: 6. Eph. 4: 5. Tim. 1, 2: 5. Hebr. 9: 7. Unus Deus erat, cui Christus serviret Math. 10: 4. obedientiamque infinitam praestaret Rom. 5: 19. Phil. 2: 8. Hebr. 5: 8, cujus esset. Nam Χριστὸς τῦ

θεῦ Cor. 1, 3: 23, κεφαλὴ Χριστῦ ὁ θεὸς 11: 3. Ἰησοῦς est Χριστὸς τῆς δόξης, i. e. τῦ θεῦ Jac. 2: 1, sicut Luc. 9: 20. ὁ Χριστὸς τ. θεῦ. 2: 26. κυρίυ, quae lectio sine dubio etiam 2: 11. restitui debet; et Act. 2: 36, κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν (l. αὐτῦ) ὁ θεὸς ἐποίησεν τὸν Ἰησοῦν. In carmine illo Messiano Ps. 110: 1 manifestum est priorem τὸν κύριον יהוה alterius κυρίυ, qui hebraice אדון vocatur, κύριον esse. Ergo quemadmodum Jesus Χριστὸς κυρίυ, sic Deus solus κύριος Ἰησοῦ Χριστῦ, quippe quum Jesus neminem majorem ac superiorem sua Christi persona habeat praeter Deum. Ex hac igitur parte emendatio Cotelerii, probabilitate non caret. Levissimam mutationem Genitivi in Nominativum aut alium casum, h. l. σου in συ, Catholici libris in sacris aliisque ecclesiasticis persaepe sibi indulsisse videntur, ex. c. Luc. 9: 20. τὸν Χριστὸν τῦ θεῦ, Copt. Pers. p. τὸν θεὸν. Luc. 2: 11. κύριος l. κυρίυ. Jo. 1: 18. υἱὸς θεὸς s. μονογενῆς θεὸς l. θεῦ. Vide varietatem lectionis ap. Griesb. Haud raro in Constitutt. Ap. μονογενὴς θεὸς, λόγος θεὸς l. θεῦ.

Versu 26. nostri carminis genitivus τῦ θεῦ percommode regitur a nomine Χριστός. Nam Deum patrem Christi Constitutiones Apost. 7: 42. regem πάσης αἰσθητῆς καὶ νοητῆς φύσεως praedicant; Christus autem ibidem 6: 30. ἀρχιερεὺς πάντων τῆν λογικῶν ταγμάτων vocatur, et ab Origene Tom. 1. in Joann. μέγας ἀρχιερεὺς ἐχ ὑπὲρ ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ παντὸς λογικῦ· Pontifex autem (Hebr. 5: 1) non est ὁμοούσιος aut ἴσος Deo, cujus est pontifex, sed ὁμογενὴς iis, super quibus est pontifex. Ergo qui pontifex, non idem est Deus πάσης γενητῆς φύσεως.

Postquam criticus opera sua perfunctus est in hoc carmine: succedat exegeta atque cum verba tum sententias exploret, an congruant cum libris sacris doctrinaque apostolorum!

Versus primus unum idemque sonat ac Luc. 2: 14. Sir. 47: 18.

Secundus conferatur cum Luc. 2: 14: Mos. 3, 26: 6. Ps. 128: 6. Jes. 57: 19.

Tertius cum Luc. 2: 14. Ps. 51: 20. Sir. 2: 17. 35: 14. i. q. *χάρις ἀγαθὴ*, Prov. 11: 27. Conf. Sir. 1: 27. *εὐδοκία θεῦ πίστις καὶ πραότης.* 35: 3. *εὐδοκία κυρίυ ἀποσῆναι ἀπὸ πονηρίας καὶ ἐξιλασμὸς ἀποσῆναι ἀπὸ ἀδικίας.* Hinc *εὐδοκία θεῦ*, nisi nos fallit, ea cogitanda, quae ex pace illa in terris nascitur, quam Christus condidit, Eph. 2: 14, 17. *Εὐδοκία* i. q. *ἐξιλασμὸς*, *καταλλαγή*. *Ευδοκία*, רָצוֹן, cum *ἐν*, sicut verbum רצה cum ב. Quam lectionem Vulgatus habet: *ἀνθρώποις εὐδοκίας*, hominibus bonae voluntatis, eam leviorem esse et argumento et ratione grammatica, cordatus quisque facile intelligit. *Ἄνθρωποι εὐδοκίας* nullo exemplo approbatur: nam נִרְצֶה et רָצוּי Hebraei dicere, Alexandrini autem *δεκτὸν* reddere solebant; eodemque modo Siracida 3: 17. *ὑπὸ ἀνθρώπυ δεκτῦ*, 35: 6. Christianae religionis summa his versibus, secundo tertioque, effertur, eademque causa Dei collaudandi quam maxime capitalis, cujus hoc munus erat, quo nihil majus dari potest.

Quemadmodum versibus 4, 5 et 6, ita Nehem. 12: 14. *αἰνεῖν* et *ὑμνεῖν*, Sir. 39: 35. Macc. 1, 4: 24. 13: 47. *ὑμνεῖν*, et *εὐλογεῖν*, Apocal. 7: 12. *εὐλογία* et *δοξολογία* junguntur. Contra *ὑμνεῖν* et *προσκυνεῖν* Chron. 1, 29: 30. *ὑμνεῖν* et *δοξολογεῖν* Jes. 42: 14. At vero *ὑμνεῖν* multo solemnius et crebrius Alexandrinis quam *εὐχαριστεῖν*, verbum in apocryphis tantum obvium, quod secunda recensio intulit. — Pectus laudatione quasi intumescens exuberat cantu; grati animi sensus in praedicandam Dei munificentiam erumpit; utroque afficimur ita, ut adoremus i. e. nos totos Deo dedamus ac libentissime in ejus fidem committamus.

Cum versu 9. conferatur Hebr. 4: 14. 13. 11.

Versu 10. *τὸν Ὄντα* nominis proprii vim et potestatem habet. *Δοκεῖ κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ θεῦ λεγομένων ὀνομά-*

*των εἶναι ὁ ΩΝ* etc. Damascen. Orthod. Fid. 1: 12. Vid. Suiz. Thes. Eccles. Sic Mos. 2, 3: 14. et Jer. 2: 47. apud LXX. Similiter Rom. 9: 5. *ὁ Ὤν* et Cor. 2, 11: 31. In Apocalypsi vero insolentius amplificari solet hoc nomen per tria tempora 21: 4 etc. Ubivis tamen Deo, Patri omnium, tribuitur. In Constitutt. Apost. 8: 5. ita orditur invocatio in ordinatione episcoporum: *Ὁ Ὤν, δέσποτα, κύριε, ὁ θεὸς παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἀγέννητος καὶ ἀβασίλευτος* etc.

Versu 11. nomen *ἀγέννητος* dignum est quod probe consideretur apud antiquissimos patres, Deum, patrem omnium, *χαραχτηρίζον, πατρὶ οἰκεῖον ἀξίωμα*, ut Alexander in epist. de Ario docet apud Theodoretum Hist. Eccles. 1: 3. Clem. Strom. 6: 7. *Ἓν μὲν ἀγέννητον, ὁ παντοκράτωρ θεὸς· ἓν δὲ καὶ τὸ προγεννηθέν — Εἷς γὰρ τῷ ὄντι ὁ θεὸς, ὃς ἀρχὴν μὲν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν, μηνύων τὸν πρωτόγονον υἱὸν — σοφία δὲ ἔτος εἴρηται.* Libro 5. laudatur ex Timaeo Platonis haec verba: *Μία ἀρχὴ ἀγέννητος· εἰ γὰρ ἐγένετο, ἐκ ἂν ἦν ἔτι ἀρχὴ, ἀλλ' ἐκείνη, ἐξ ἧς ἡ ἀρχὴ ἐγένετο.* Athenag. pro Christ. 4. *Ὁ λόγος ἡμῶν ἕνα θεὸν ἄγει τὸν τάδε τῶ παντὸς ποιητὴν, αὐτὸν μὲν ὑ γενόμενον (ὅτι τό Ὂν μὴ γίνεται, ἀλλὰ το μὴ ὄν), πάντα δὲ διὰ τῦ παρ' αὐτῦ λόγυ πεποιηκότα.* Conf. 19: 8, 23. „Fieri non posse intellexit Plato, ut gignant et gignantur Dii, quippe quum genita finis consequatur. Eodem modo Tatian. c. Graecos 21. *Γένεσιν ἂν λέγητε θεῶν, καὶ θνητὸς αὐτὸς ἀποφανεῖσθε* Hoc igitur antiquissimi ecclesiae doctores, quum polytheismum debellarent, quam maxime urgebant, neminem revera Deum nec habendum nec dicendum esse, qui non sit *ἀγέννητος*. Constitutt. Ap. 7: 41. haec verba insunt Baptizandorum carmini: Baptizor *εἰς ἕνα ἀγέννητον, μόνον ἀληθινὸν θεὸν παντοκράτορα*, patrem Jesu Christi, conditorem et opificem universorum, et *εἰς τὸν κύριον* Jesum Christum, unigenitum ejus filium, primogenitum omnis creaturae, et ibid. 42. „invocant ita *τὸν ἀγέννητον* Deum, patrem

Christi, τὸν βασιλέα πάσης αἰσθητῆς καὶ νοητῆς φύσεως „Patris proprietas est ἀγεννησία, filii γέννησις.“ Gregor. Naz. Nonnisi unum dari, qui ingenitus itaque Deus esse possit, non autem filius Dei, subtiliter disputat auctor Clement. Homil. 16: 16 sqq. Coll. Recognit. Clem. 7: 8. Hoc igitur epitheton Dei cum Arianis faveret, ut removeret Athanasius, callide praetexuit, ἀγέννητον haud esse nomen in libris divinis obvium; pietatem usum hujus nominis vetare, etiamsi cogiationibus nostris convenire videatur; sin minus: eo scriptura fuisset usa. Εἰ γέγραπται, λέγω· εἰ δὲ ὃ γέγραπται, ὃν ἔχω ἀνάγκην εἰπεῖν. Athanas. Dial. 2. de Trinitate. Utinam vobis, Orthodoxi, tanta religio per omnia foret, et commodo et incommodo vestro! tum jure meritissimo vocaremini Orthodoxi! Tum inaudita essent nomina Trinitatis, personarum, ὁμουσίας etc. Hoc tam certo constat, ut Tertullianus, inventor Trinitatis, ipse confiteatur, initio tertii seculi istud dogma neologiae crimine laborasse, majorique parti credentium offensioni fuisse atque polytheismi suspectum. „Simplices quique, inquit, ne dixerim imprudentes et idiotae, quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus Diis seculi ad unicum et verum Deum transfert, non intelligentes, unicum quidem, sed cum sua οἰκονομίᾳ“ (familia et quasi ministerio aulico), esse credendum, expavescunt ad οἰκονομίαν, numerum et dispositionem trinitatis, divisionem praesumunt (cogitant) unitatis“ etc.

Versu 12. Conf. Tim. 1, 6: 16, ubi quoque Deus discernitur a Christo. Versu 13. Ps. 138: 5.

Qua de causa Catholici versus 10—13. exterminaverint, incommodos dogmati suo de filii Deitate ac Trinitate, ex animadversionibus nostris satis superque elucet.

Versu 15. confer. Jes. 45: 5. Matth. 11: 25.

Versu 16. Am. 3: 13. Sam. 2, 7: 27. Epitheton παντοκράτωρ, quod in N. T. semel nonnisi per allegationem

Cor. 2, 6: 18, in Apocalypsi saepius occurrit, nonnisi Deo, Patri omnium, tribuitur. Tria nomina Domine omnipotens Deus in V. T. rite junguntur; nusquam in L. S. pater omnipotens. In Symbolo Apostolico sicut in nostro hymno: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, ubi nostra quidem sententia minus recte post Deum interpungi solet, sed comma post patrem poni debet, ut epithetou omnipotens ad Deum referatur. Videsis explicationem secundam Symboli ad Catechumenos, quae inter Augustini opera extat, Irenaeum 1, 1: 19. 4: 7. Origenem. Dial. 3, Theophil. ad Autolyc. lib. 1.

Vers. 17. Act. 3: 22. 7: 37. Luc. 1: 32. Matth. 4: 7, 10. 22: 37. Veruntamen, si verum quaerimus, Veteris Testamenti potius, quam Novi haec locutio videtur. *Κύριος, ὁ θεὸς*, יהוה אלהים, in Apocalypsi quidem non infrequens.

Versu 18: Cor. 2, 1: 8. Rom: 5: 16. Eph. 3: 14.

Versu 19, 20. Jo. 1, 1: 19. Petr. 1, 1: 19. Qui Deum colunt Christo magistro, Deum patrem invocant ipsum.

Versu 21. confer. Ps. 6: 10, etc.

Versu 22. Reg. 2, 19: 15. Ps. 80: 20. Jes. 37: 16.

Versu 23. Sam. 1, 1: 2. Jes. 30: 12, 15. Mos. 3, 11: 44, 45. 19: 2. 21: 8. Ps. 89: 19. Jes. 43: 15. Macc. 3, 2: 2. Luc. 1: 49. Jo. 17: 11. Pet. 1, 1: 16. Apocal. 4: 8.

Versu 25. *κύριος* distincte ab uno Deo patre appellatur Jesus Christus Cor. 1, 8: 6. 12: 3. Act. 2: 36. Rom. 10: 9. Eph. 4: 5, 6. Phil. 2: 11. etc. Versu 27. Jo. 1: 49. 12: 13. 18: 37. Versu 28. Ps. 29: 1. 96: 7. Sed *κύριος*, ut supra docuimus, Jesu Christi ille dicitur, cujus est unctus, cujus sanctus est I. X. Luc. 9: 20. 4: 34.

Antiquitas hujus hymni, sicut aliorum liturgicorum, quae constitutiones Apostolicae nobis prodiderunt, ex eo cernitur, quod originem atque indolem Hebraicam luculentissime referunt, ita ut e synagogis Judaeorum in ecclesias Christianorum mutatis mutandis transiisse videantur.

Alteram deinde ut recensionem sub censuram vocemus, versu 16. et duobus sequentibus consilium apparet, duas quoque reliquas personas trinitatis huic hymno inculcandi, ut pariter cum Deo adorentur, quamquam revera precibus unus filius sollicitatur, omisso Patre et Spiritu. Versu 19. locutio filius Patris inusitata est in N. T. neque unquam reperitur, quantum scimus, praeterquam in epistola secunda Joannis, quae in quintum usque seculum Christianis doctioribus jure videbatur apocrypha. Inanis et locutio filius patris, quum sui quisque patris est filius; nisi forte intellectum velis patrem summum universorum hominum et filium inter omnes unum hoc nomine dignissimum.

Quid est quod versu 19. ac sequentibus agnus Dei, tollens peccata mundi, ut misereri nostri velit, semel et iterum imploretur, tamquam aversissimae voluntatis, iratus, infensus, Jehovae Judaici instar Ps. 6: 2. etc. 123: 4. Miserere nostri Jehova! Jes. 30: 19. 33: 12. Amos 5: 15. Sir. 36: 11? ille, qui nostras preces incredibili amore et muneribus immensis anticipavit Jo. 1, 3: 16. Eph. 5; 2. Jo. 15: 3, ita ut nihil, nisi beneficiis jam praestitis pro eorum dignitate diligenter uti ac frui reliquum sit gratias laetissimas agentibus ei, qui supra omnia desideria votaque nostra servaverit nos ac juverit? Hunc igitur quasi vix ac ne vix quidem precibus Flectendum anxie sollicitare, simulantes merita ejus ne fando quidem nobis cognita esse factaque infecta, quid quaeso aliud est quam Tragoedias agere? — Et si quid hominum amantissimum offendere taedioque afficere potest, ut animum auresque avertat, eam vim talis simulatio habere videtur. Leprosorum, coecorum, hominum hoc illove malo laborantium omnino fuit Jesum, quem prophetam esse in terris credebant, ista voce: ἐλέησον ἡμᾶς identidem implorare; postquam vero salutare auxilium experti erant, misericordiam ejus fatigare precibus desierunt, sed gratias usque et animis habebant conceptas et quavis occa-

sione linguis agebant. *Νῦν δὲ ἠλεήθητε*, ait Apostolus Rom. 11: 30. 2 Cor. 2, 4: 1. Pet. 1, 2: 10, quod in omnes valet, qui munere Christi ad notitiam veritatis pervenerunt, atque in via salutis constituti, si modo sibi non desint, aeternam vitam tenent. Male dirimuntur versus 19 et 20. interposito *ὁ υἱὸς τῦ πατρὸς*.

Perbene contra in prima recensione agno epitheton est immaculato. Etenim propterea quod immaculatus extitit, Pet. 1, 1: 18. Hebr. 7: 26. 4: 15, quod nihil vitii in eo haesit Jo. 1, 3: 5, ita comparatus est, ut vitiositatem nostram tollat. Ibid. *Τὴν ἁμαρτίαν* recte singulari numero ex Jo. 1: 29. exhibetur. Non enim singula peccata sive male facta in se recipere, sed ipsam radicem malefactorum, vitiositatem e cordibus nostris evellere, hominibus ad *μετάνοιαν* perductis, hoc profecto est meritum Christi. Atque adeo pater hujus agni, qui ultro nos tantopere dilexit, ut legaret suum filium piacularem de peccatis nostris Jo. 1. 4: 10, qui *ὑπὲρ ἡμῶν παρέδωκεν αὐτὸν καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα χαρίσεται*, rite imploratur convenienterque rationi, non ut tandem aliquando misericordiam exercere velit, sed ut nostram supplicationem pro inenarrabili sua clementia nimium quantum imparem ex ista nostra humilitate, quamquam supra Cherubim sedens i. e. omni nostra intelligentia sublimior, ut pater Christi i. e. cujus amor et benignitas ex similitudine, quam Christus, imago paternae bonitatis, retulit, existimari potest, approbare, gratamque et acceptam habere velit.

Qua ratione autem Christus juxta patrem compellatus solus sanctus praedicatur? Ergone non solum Moses, sed etiam Jesus adeoque ipse Deus nos fallit, Patrem sanctum praedicans? Jo. 17: 11. Pet. 1, 1: 15, ubi Grotius sit annotat; „Deum indicari Sancti nomine ostendunt sequentia. Et saepe vocem Sancti sic usurpat Jesajas“ etc. Vide supra! Non ergo ille, *ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε*, solus est a se et

per se absolute sanctus, quamvis *ἐν τοῖς πᾶσιν ἡγιασμένοις ὑπὸ τῦ μόνυ ἁγίυ πρωτεύων.*

Operae profecto pretium fecisse nobis videmur, qua fieri potuit subtilitate specimen dedisse luculentissimum, quantum sint ausi Orthodoxi in sanctissimis monimentis primaevae ecclesiae ad suam opinionem depravandis, etiam in carminibus quae mentibus animisque fidelium concepta viva vox eorum quotidie reddere consueverat. Unde conjecturam facere licet, quam religiose pepercerint litteris mutis et omnis injuriae patientibus. Adulteratas esse consulto jam sua aetate Dominicas litteras ante finem seculi secundi Dionysius episcopus Corinthiorum, testatur apud Euseb. H. E. 4: 23. Prima autem aetate, quo minus adhuc vulgatae fuerunt, hoc facilius ac tutius vitiari potuerunt. Has igitur vetustissimas fraudes retegere critica interiore nonnisi licebit.

Ceterum, ubi semel homines in religiones grassari coepere, sacrilegium ex sacrilegio seri solet. Nam liturgia ecclesiae Romanae non contenta interpolatione illa Catholicorum Graecorum, exitum quoque carminis ad dogma penitus conformavit, ut Christus in gloria patris solus sanctus, solus dominus praedicaretur non in gloriam Dei patris, ita ut gloria ad Deum patrem referretur, sed in gloria patris, ut patris gloria in filium cederet. Probe quidem meminimus Jesum dicere, fore ut veniret *ἐν τῇ δόξῃ τῦ πατρὸς* Matth. 16: 27. quam dictionem Kuinoël inscite explicat ita: „majestate patris conspicuus, i. e. potentia Dei instructus", ita ut Christo veniente Deus remaneret sua majestate ad tempus certe exutus. Recte Grotius: „in patris gloria, quia est a patre, Jo. 17: 5. Atque ita forte (imo certe) interpretandum Jo. 1: 14. *δόξαν ὡς μονογενῦς παρὰ πατρὸς*, ut subaudiatur *δοθεῖσαν*. Cfr. Jo. 5: 44. Pet. 1, 1: 21. 2, 1: 17." Verum alia est majestas *τῦ ἐπὶ πάντων θεῦ* alia *τῦ κυρίυ, καθηγητῦ*; alia certe patris legatoris; alia filii legati; nec par et aequalis majestas data, derivata (Matth. 28: 18), et

majestas originalis, quam Deus a se et per se possidet, cujus communicatio ne cogitari quidem potest. Hoc modo Salomon occupavit thronum Jehovae Chron. 1, 29: 23, — Thronus, in quo Christus dominus sedet, a dextra quidem (Hebr. 8: 1. 12: 2), proximus throno Dei ad dextram, non est thronus ipsius Dei, sicut apostolorum throni diversi a throno Christi ad dextram scilicet et laevam, Matth, 19: 18, confer. 20: 21. Alia quidem res est Apocal. 22: 1, 3, confer. 3: 21, ubi Christus suos laboribus superatis victores in throno suo collocat, pariter ut ipse victor cum patre in throno ejus consedit. Ita uno eodemque throno non solum duo, Deus pater et Christus, sed simul cum iis cuncti cultores Christi τετελειωμένοι considunt. — Cogitemus modo thronum multis gradibus substructum, quibus in gradibus qui sedent amici regis, altiores, humiliores pro sua dignitate, in throno regali sedere dicuntur!

Missale Constantiense tandem interpolavit: tu solus altissimus, quod in Christum solum non magis cadit, quam: tu solus sanctus; atque versu 25. Jesu Christo socium adjunxit spiritum sanctum ut solus uterque sanctus, solus Dominus isque altissimus esset. Idem Missale versu 16, altissime, 19. benedictus allevit.

Postremo temperare nobis non possumus, quin fateamur, nobis haud exiguo taedio pudoriqve esse, quod ad nostram usque aetatem hic hymnus duplice et Graecorum et Latinorum depravatione foedatus, in Tigurinam liturgiam receptus eucharistiae celebrationem auspicetur. O quantam vel stupiditatem vel negligentiam vel superstitionem vel ignaviam in rebus divinis, quae tam falsa indignaque aut non aliquando sentiat aut non curet, aut adeo revereatur, aut abjecte tolleret! Vos autem Christianae sapientiae, modestiae, caritatis cultores ducere non possumus sed superbiae et ignorantiae nostro aevo indignissimae reos agimus, qui nescii fatorum hujus hymni, quam sit candidus et integer quamve

adulteratus et vitiatus, aliquem fratrum vestrorum, pro suo munere harum rerum ut curiosiorem sic doctiorem et intelligentiorem, in τῆς ἀσεβείας invidiam abducitis, quod quae falsitatis et futilitatis convicta habet, non dubitet e sacris ecclesiae exterminare eorumque inutilitatem et absurditatem omnibus modis denudare. Quin procul vos abitis ab ecclesia patria, ad majorem indies lucem adspirante, et auctorate studia vestra et artes τῇ ἐξουσίᾳ τῶ σχότους ad superstitionem et vanitatem quum veterem tum novam tuendam: nam tali auxilio ac propugnatoribus istis Tempus eget.

## De precibus ad Jesum Christum.

Compendium Catechismi Tigurini has ad interrogationes ita respondet: Quem precari fas est? Solum Deum. Quam ob causam unum Deum? Quia in Deo solo fidem collocamus, qui solus nos exorare et adjuvare potest. Cujus nomine par est Deum solum precari? Solo nomine sui filii, nostri Domini Jesu Christi. Quam ob causam solo nomine Domini Jesu Christi? Quoniam is unus est mediator Dei nosterque hominum.

Audiamus quosdam recentiores, Sailerum, qui ad precationes quas edidit ecclesiasticas hoc admonuit: „Dass am Ende der Collecten und Kirchengebether von Jesu Christo fast immer diese zwey viel sagenden Nahmen vorkommen: dein Sohn — unser Herr ist sehr gut, weil hierdurch das ganze Verhältniss Jesu zu dem Vater und zu dem Menschengeschlecht ausgedruckt wird: Er ist Gottes Sohn und Herr der Menschen.“ Schwerzel, in Theologia quam scripsit Pastorali: „Alle Gebether und Collecten sollen an Gott den Vater durch Jesum Christum in der Einigkeit des heiligen Geistes“ (in welcher die Christen mit einander stehen sollen Eph. 4: 3, 4) „gerichtet seyn. Daher die, welche ad Trinitatem gerichtet sind und mit per Christum Dominum nostrum geschlossen werden, mit

der alten Kirchen-Disciplin nicht übereinstimmen, so wie sie auch mit der Echtheit des Christenthums schwerlich vereinbar" (und vernunftwidrig) „sind." Ephemerides denique pro praeconibus Evangelii conscriptae 60: 3. sub titulo: Unterhaltungen über theol. Gegenstände: „Von Collecten oder kürzern Gebethsformeln, die der Gemeinde zum Anfange und am Schlusse des Gottesdienstes vorgesprochen werden, findet man einige Spuren schon in Justins und Tertullians Schutzschriften. Sie wurden in den ersten Zeiten einzig an Gott den Vater gerichtet, vielleicht weil man das Vaterunser bey allen diesen Gebethern zum Muster wählte, oder wie Erasmus in seiner Schrift von der Art und Weise zu bethen behauptet, weil in dar ganzen heiligen Schrift keine Spur von Gebeth an den Heil. Geist, und von Gebethern an Jesum nur ein einziges zu finden ist, das Stephanus vor seinem Hinscheiden sprach: Herr Jesu etc. Collecten an Jesum wurden später eingeführt, aber nie an den heiligen Geist. Bey jenen pflegte man statt: „durch Jesum Christum, deinen lieben Sohn", beyzufügen: „der du lebst und regierest in die Ewigkeit." Im 3ten Jahrh. war, wie Origenes in der 2ten Homilie über den Jeremias bezeugt, folgende Collecte sehr gewöhnlich: Allmächtiger, ewiger Gott, nimm uns auf in die Gemeinschaft der Propheten und Apostel deines Christ; gib, dass wir allezeit als Nachfolger deines Sohnes erfunden werden! Man hat in der Folge dieses Gebeth in den Ambrosianischen Lobgesang aufgenommen: Da nobis partem cum prophetis et apostolis."

Ex Antiquioribus Origenes inprimis copiose ac subtiliter de justa precatione disseruit in libro, qui inscriptus est: *περὶ τῆς προσευχῆς*, ubi secundum Timoth. 1, 2: 1. *δήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις εὐχαριστίαι* ita discernuntur, ut oratio sit indigentis de consequenda re quapiam rogatio rite prolata; precatio, rogatio, quae cum collaudatione et celebratione nominis divini de causa graviore ad coelum tollitur; petitio rogatio ho-

minis, qui majore cum fiducia certa beneficia flagitat; gratiarum actio, opis a Deo impretatae agnitio. Quae quidem definitiones nobis quidem parum convenientes videntur. Nam, si quid intelligimus, duo priora generatim loquuntur: δεήσεις enim confitetur, mortales propriis facultatibus et opibus minime contentos sed semper et ubique nobis praesidio et auxilio caelesti opus esse, quo salutem et felicitatem adipiscamur et obtineamus, itaque nostrae naturae imbecillitatem et fragilitatem contestatur; προσευχὴ numinis majestatem omni cogitatione majorem laudesque infinitas celebrat. Duo autem posteriora singulatim loquuntur: ἔντευξις enim Deo certam aliquam causam commendat, atque ut certae necessitati subveniat, certis rationibus nostris consulat et prospiciat, expetit; εὐχαριστία pro certis, quae impetravimus, bonis gratias persolvit. — Jam vero censet Origenes, Christo deberi gratiarum actionem; petitionemque adhibere fas esse exemplo Stephani Act. 7: 59, nec non orationem, quemadmodum pater lunatici Matth. 17: 14 fecerit. Quin adeo existimat, „petitiones et gratiarum actiones haud impar esse Sanctis offerri; nec Sanctis modo, sed hominibus quoque, orationem vero Sanctis tantum, sicubi reperiamus Paulum aliquem aut Petrum, ut nos juvent dignos reddendo, qui potestate ipsis commissa peccata remittendi fruamur. Nisi forte quis hominem non sanctum laeserit. Tum licitum est hujusmodi hominem quoque orare, ut nobis veniam det laesoribus. Sin autem hi honores sanctis hominibus deferre oportet: quanto justius est Christo gratias agere, qui secundum voluntatem patris tanta in nos beneficia contulit; adeoque etiam ex eo petere, ut Stephanus, qui dixit hunc in modum: Domine, ne imputes iis hoc facinus! Atque similiter ac lunatici pater orabimus ita: Domine oro! miserere filii, aut mei ipsius aut alius hominis, quicunque is est.„

„Si audiamus, ecquid tandem precatio (προσευχὴ) sit: cavendum est, ne ad quemquam natorum eam dirigamus,

imo ne ad ipsum quidem Christum, sed ad solum Deum universorum et Patrem, quem et ipse Soter noster precatus est et nos precari docet. Etenim, quum audisset: Doce nos precari! non docet, sese precibus orandum, sed patrem dicens: Pater noster qui es in caelis! Sin enim alter a patre filius secundum essentiam (ἕτερος κατ' οὐσίαν), ut alibi ostenditur, et patri subjectus: certe aut precandus est filius, non pater, aut ambo, aut filius solus. Illud igitur precibus orare filium, non Patrem, nemo non absurdissimum fatebitur, et effectu vanissimum". (Id quod Zinzendorfius diserte suos docuit, cum solo filio Christianis esse agendum; Christum solum, qui proprius eorum sit parens, precibus adorandum). „Sin autem ambo: manifestum est, ut petitiones pluraliter relaturi simus: Praebete, v. c. et benefacite et suppeditate et servate, et si quid horum simile inter precandum dictitantes quod etiam illico absonum apparebit, neque in sacris litteris ostendere quis possit abs quopiam narratum." Sic factum Wetstenius narrat (Prolegom. N. Test. pag. 203) suo tempore. „Cum anno 1722. Dec. 5. facinorosus ad locum supplicii extra Urbem (Basileam) duobus ministris de more comitantibus esset ducendus: alter eorum, tum pastor Huninganus, qui verba precantia praeibat, modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum S. invocabat, sed ita ut in fine perpetuo aberraret et a Patre incipiens desineret in formula: Exaudi per passionem, per vulnera et mortem tuam; a Filio vero et Spiritu S. exorsus clausulam adderet: Exaudi per filium tuum unigenitum, Jesum Christum. Postea a me admonitus agnovit errorem mihique gratias egit. Eundem tamen errorem erravisse alios non in precibus extemporaneis, sed in meditatis ac studio scriptis et in templo, audiente populo, — quotannis et frequenter deprehendi) „Docetur igitur, pergit Origenes, precibus orandum esse solum Deum, universitatis parentem, sed non sine summo sacerdote (Hebr. 7: 21). Quare Sancti in precibus

suis gratias solventes Deo per Christum deferendis eum profitentur. Quemadmodum autem eum, qui rationem precandi accurate callet (τὸν ἀκριβῶντα τὸ προσεύχεσθαι) non oportet precibus filium adorare, sed patrem, quem invocare docuit dominus noster Jesus Christus: sic non sine eo precatio quaedam facienda, ut ipse hoc diserte commonefacit, ita dicens: Amen, amen dico vobis etc. Jo. 16: 24."

„Si quis vero putans, ipsum Christum precandum esse (προσεύχεσθαι), quia sese confundit ex eo quem adorationis (προσκυνήσεως) vocabulo subjicit sensu, adducat nobis illud: Adoranto eum omnes angeli Dei etc. (Hebr. 1: 6) respondendum est illi, ipsam ecclesiam Hierosolymitanam prophetam dicere adorandam (Jes. 49: 23). Quomodo autem illud dictum: Quid me appellas bonum? Nemo bonus nisi unus Deus (Matth. 19: 17): nonne idem est ac si dixisset: Quid me precaris? Solum patrem precari oportet, cui et ipse preces fundo; quod quidem sacris litteris docti estis. Sacerdos enim constitutus a patre a vobis precibus orari non debet, sed per sacerdotem et paracletum precari oportet, qui possum vicem vestrarum aegritudinum misereri, tentatus per omnia pariter vobiscum (Hebr. 4: 15), sed propter patrem, qui hoc mihi dedit, tentatus absque peccato. Discite ergo, quam grande donum a patre acceperitis per regenerationem in me, spiritu adoptionis impertiti, ut filii Dei et fratres nuncuparemini. Legistis enim apud Davidem (Ps. 21: 22 a me editam de vobis ad patrem vocem: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio concionis laudabo te. Fratrem enim precibus orare consentaneum non est iis, qui uno ipsius patre digni existimati fuerint. Nam ad solum patrem meum et per me submittendae vobis sunt preces. — Haec igitur dicentem audientes Jesum per ipsum oremus idem sentientes omnes nec de precationis more discrepantes. At nonne discreparemus, si alii patrem, alii filium invocaremus precibus, et idiotarum delictum per magnam

inscitiam re non considerata et explorata, committeremus, filium sive cum patre sive absque patre precantium."

Sole igitur clarius est, quo seculo floruit Origenes, non ecclesiasticas fuisse precationes ad Jesum Christum. Unde certo certius efficitur, ut Jesus eo tempore nondum Deo par et aequalis creditus fuerit, ergo non Deus vera vi et plena potestate vocis. Nam qui verus Deus creditur, haud esse dubium potest, quin justis precibus invocari debeat.

## De Stephani precibus.

Apost. 7: 59.

Origenes prorsus nullum in sacris N. T. voluminibus reperit exemplum προσευχῆς ad Jesum Christum factae, ac ne invocationis quidem praeter Stephani Act. 7: 60. Ergo nullus Apostolorum, sed Stephanus ille diaconus isque unus et semel dominum Jesum invocavit. Quo tandem modo Stephani mentem subiit, quum Jesus discipulos uni Patri προσκυνεῖν et προσεύχεσθαι docuisset (Jo. 4: 23, 24. Luc. 11: 1, 2) παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ἔμαθεν, dominum Jesum invocare? Cum ratione potius arbitramur, Stephanum ambas suas preculas ex ore Jesu habuisse exceptas in cruce pendentis, quas idem Lucas solus tradidit (Luc. 24: 34, 46). Annon Stephanus ad Jesu exemplum Deum precaturus fuerat, tum quum δόξαν θεοῦ conspicaretur Jesumque stantem (id est ministri more apparentem Mos. 1, 41: 46. 5, 33: 2. Reg. 1, 10: 8. 22: 19. Prov. 22: 29. Dan. 7: 10) ἐκ δεξιῶν θεοῦ? num consentaneum est, vel supremum, proximum intimumque ministrorum, sub oculis domini precibus implorari, praetermisso ejus domino?

Non temere Lucae stilus diligens et solers adeoque elegans praeter alios N. T. scriptores adscribitur. Jam si quis Act. 7: 57—60. legerit attentius: primum non poterit non

offendi iterato verbo: ἐλιθοβόλουν; deinde videbit preces vss. 59 et 60 justum ordinem non tenere: nam ultima profecto moribundi haec vox est: Δέξαι τὸ πνεῦμα μου, post quam nullum ultra cogitatum optatumque in sua mente locum habebit; sicut Luc. 23: 46. inter voces Jesu de cruce missas haec: Pater in tuas manus spiritum meum depono, ultima legitur; omnium prima vero: Pater condona iis! rei et naturae convenienter. Confer. Matth. 6: 13, 14. Marc. 11: 25. Nam priusquam exorabilem precem pro nostra salute fundere possimus, inimicis et hostibus nostris condonasse adeoque veniam malefactorum adversus nos commissorum expetivisse debemus. Quam ob causam hic praepostere?

Tandem quid est, quod Stephanus primam precem stans fundit, ac secundam demum oraturus in genua procidit? Fortasse critices altioris contemtores, pariter ac vulpes illa pendentes altius uvas per simulatum contemtum dixit esse acerbas, me hunc locum critico cultro resecare suspicabuntur, quod meae sententiae officiat; sed sciant, Zieglerum, Wrn. K. L. Dr. Theol. plus viginti annis abhinc perspexisse, duas de Stephani nece narrationes in canonica quam habemus Actuum Apostolorum redactione sibi invicem implexas esse; alteram 7: 58, 60. 8: 2, 3, 4, alteram 7: 59. 8: 1, 5. Pure criticis argumentis hanc rem vir doctus egit; criticis ergo tantum argumentis ante omnia refelli debet. Ceterum ejusmodi interpolationem suspicari in Actis Apostolorum eo citius concedendum, ubi non singula verba, sed totos versiculos vel externa critice interpolationis convicit, ex. c. 8: 37. 9: 5—6. Accedunt rationes non dogmaticae quas interna critice affert.

Jam vero ut haec suspicio satis vel approbetur vel extenuetur, nescimus quid plus valeat quam Patres lustrare eos, qui antiquiores sunt omnibus reliquis codicibus, hunc versum addubitatum num uspiam laudent, praesertim ubi mens et consilium postularit ejus citationem, et ubi certo certius

ejus auctoritate usi essent, si eorum tempore jam extitisset in textu admodum noto.

Primus qui huc pertinet locus est in Recognitt. Clem. 6: 5. „Ipse magister quum ab his qui ignorabant, eum duceretur ad crucem, oravit Patrem pro interfectoribus suis, et: Pater, inquit, remitte eis peccatum: nesciunt enim quod faciunt. Imitantes quoque discipuli etiam ipsi quum paterentur, similiter pro interfectoribus suis orabant".

Alter locus est apud Irenaeum adv. Haer. 3: 13. „Stephanus haec docens, adhuc quum super terram esset, vidit gloriam Dei et Jesum ad dexteram, et dixit: Ecce, video caelos apertos et filium hominis ad [dexteram adstantem Dei. Et haec dixit et lapidatus est, et sic perfectam doctrinam adimplevit, per omnia martyrii magistrum imitans et postulans pro eis qui se interficiebant et dicens: Domine, ne statuas eis hoc peccatum. Sic erant perfecti, qui unum et eundem Deum ab initio usque ad finem variis dispositionibus adsistentem humano generi sciebant." Quum Irenaeus in eo esset [ut ostenderet, Stephanum martyrem per omnia magistrum imitatum esse, certe non praetermisisset imitationem in ea voce: *Δέξαι τὸ πνεῦμά μου*, si modo in suis codicibus extitisset. Praeterea probe animadveri debet, ab Irenaeo invocationem: Domine, ne statuas eis hoc peccatum! pro invocatione Dei acceptam esse, qui quidem a primordio rerum usque ad finem adsistat generi humano.

Tertium locum eumque gravissimum jam supra protulimus Origenis de Oratione.

Nullo modo credibile est, eam vocem quam quaerimus: *Κύριε Ἰησοῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου*, si medio seculo tertio in Actis Ap. extitisset, Origenem non fuisse citaturum, quippe quae expressior sententiae probandae magis idonea esset, quam citata: *Κύριε, μὴ στήσῃς* etc. Ceterum haud abs re est notare, ut jam Origenes in eo discrepet ab antiquioribus,

quod dominum Jesum, non dominum Deum ab Stephano invocatum esse putaverit, quum vociferaretur: *Κύριε μὴ στήσῃς* etc. Pari modo Theophilus Alex. in epistola sua Paschali circa annum 401. „Stephanus, genibus positis quum deprecaretur pro lapidantibus ipsum, filium oravit: Domine! non imputes iis peccatum!“ Hinc venit, ut alii Patres ad comma 60 (non 59) nomen adderent, ut Didymus Alex. circa annum 369. libro de Spiritu: Domine Jesu, et Caesarius circa 360. Homil. 7. Domine Jesu Christe.

Saepissime Patres hunc errorem commiserunt, hebraicae consuetudinis aut ignari aut immemores aut dogmati, si Deo placet, orthodoxo gratificati, ut nomine *κύριος*, *ὁ κύριος*, Jesum indicatum vellent, quod in scriptis N. T. sicut apud Hellenistas apostolici aevi, secundum consuetudinem normamque loquendi communem, par et aequale fuit hebraico אדני, יהוה. Ex. c. Cor. 2, 12: 8, ubi Paulus loquitur in hunc modum: *Τρὶς τὸν Κύριον ἐκάλεσα, τὸν Θεὸν* dixit. Tricies in ea epistola nomen *κύριος* occurrit, novies cum definitione *ἡμῶν Ἰ. Χριστὸς*; vicies et semel indefinite positum Dei est, non Jesu. Saepenumero autem librarii et commentatores ex ingenio vel intellectu falso affinxerunt hanc definitionem. Sed vide ad Cor. 2, 12; 8. Erasmum, Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum. Attamen hodieque Theologi magnae opinionis hoc in nomine idiotas se praebent, unde plurima in libris sacris interpretandis atque in dogmatum scientia confusio.

Falso, ut redeamus ad textum, Chrysostomus testis perhibetur pro integritate commatis 59. Nusquam enim in operibus *γνησίοις*, sed in homiliis tantum in Actus Apostolicos, quae judicio quidem Erasmi sunt Chrysostomo per errorem adscripti atque etiam ob diversam redactionem exiguae auctoritatis in genere critico, hoc vorbum reperitur. Neque apud Theodoretum est, sed apud Eutherium, cujus scripta Theodoreti

operibus adligari solent. Nequidquam adeo hunc locum apud Athanasium quaesiveris; in suppositis autem ei scriptis reperire licet.

Singulari modo Cosmas Indicopleusta, hoc dictum citat: „Domine, ne imputes iis peccatum, sed excipe tu ipse spiritum meum!“

Ergo si nemo Patrum quatuor primis seculis hoc dictum laudavit, ne tum quidem, quum res ipsa maxime tulit occasioque flagitavit, supra modum verosimile est quem quaesivimus locum interpolatori deberi. Sed per nos credat, si cui libet, ab ipso Luca sic scriptum esse, ut hodie extat: modo quaesumus doceat, qui solus Stephanus, id quod nullus ceterorum apostolorum ac discipulorum fecit, quantum e libris N. T. scimus, Jesum, ut Deum, quin Deo praetermisso, invocaverit. Quidquid tandem id est, regula Christianis tenenda erit, non haec una et sola exceptio a regula. Quam regulam Petrus (1, 5: 19) dedit: *Οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ὡς πιστῷ κτίστῃ παρατιθέσθωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ.*

Est varietas lectionis, v. 59. *ἐπικαλούμενον τὸν θεὸν* apud Chrysostomum, quam lectionem Bentlejus, Valkenarius et Klosius probarunt; Kuinoël autem rejicit, dictans, *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* repeti debere *τὸν κύριον Ἰησοῦν*. „Unde, quaeso? E vs. 56. Sed ibi Jesus est *υἱὸς ἀνθρώπου*, non *κύριος*; *ὁ κύριος* ejus est *θεός*, cujus a dextera stat Jesus, quod quidem convenit ministro. Jesu ergo dominum, Deum precari consentaneum fuit Stephano, ut sicut Jesu, spiritum suum quoque recipiat, qui eandem ob causam occidatur. Idem Kuinoël: „male inquit, nonnulli opinati sunt, Stephanum verbis *κύριε Ἰησοῦ* invocasse Deum Patrem eumque dixisse dominum Jesu. Haec ratio valeret, si legeretur *κύριε τοῦ Ἰησοῦ*.“ Quasi nusquam *Ἰησοῦ* sine articulo Genitivus esset cum nomine regente. Vid. Matth. 14: 1. Rom. 3: 26. Hebr. 10: 19. Apocal. 14: 12. *Ἰησοῦ* genitivusne

an Dativus, an Vocativus sit, e contextu cognoscitur sensu communi.

Jo. 16: 23, 24.

Jesus h. l. dicit, apostolos nihildum suo nomine orasse, atque exhortatur, ut ita orare auderent, adseverans, quidquid suo nomine oraverint, patrem iis esse praebiturum. *Ἐν ὀνόματί τινός τί ποιῶ* est alicujus causa, gratia quid facio *εἰς δόξαν τινὸς*, rationem officii alicui praestandi habens, pro ea quae mihi cum aliquo intercedit necessitudine. Sic Jesus venit *ἐν τῷ ὀνόματι τῦ πατρὸς* (Jo. 5: 43), hoc est, *ἵνα ποιήσῃ τὸ θέλημα τῦ πέμψαντος αὐτὸν καὶ τελειώσῃ αὐτῦ τὸ ἔργον, ἵνα δοξάσῃ τὸν πατέρα ἐπὶ τῆς γῆς.* Quum igitur, quidquid Jesus in votis habebat, ad consilia legatoris administranda et exsequenda pertinebat, certus erat praesentis auxilii, non destituere ipsum patrem, *ὅτι τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ἐποίει πάντοτε.* Post ipsius autem decessum discipuli, quod ipse inchoaverat opus profligare debebant, iisque jam pollicetur, quidquid non proprii commodi causa precaturi essent, sed ut rem ipsius augerent et amplificarent, quae nihil nisi res Dei erat, fore ut largiretur Deus. Confer. Jo. 14: 12, 13. *Ἐὰν μείνητε ἐν ἐμοὶ καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, ὃ ἐὰν θέλητε αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν.* Jo. 15: 7. Unde illa fiducia non apostolis tantum, sed omnibus piis certa, *ὅτι ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα τῦ θεῦ, τὰς ἐντολὰς αὐτῦ τηροῦντες καὶ τὰ ἀρεστὰ ἐνώπιον αὐτῦ ποιοῦντες, ἀκούει ἡμῶν.* Jo. 1, 5: 14. 3: 22. Nihil ergo minus promissum est quam, quidlibet homo si modo precibus formulam in nomine Domini nostri J. Chr. adjiciat, eum impetraturum; quae superstitio, voci magicam vim affingens, a Christi religione alienissima est. Sed rei natura quae petitur ac mens et voluntas qua petitur ratas preces faciunt, etiamsi nomen Christi taceatur. Lustra quotquot extant preces Apostolorum!

nullas reperire licet in hanc formulam finientes; omnes autem *ἐν τῷ ὀνόματι τῶ κυρίω* fusae cernuntur argumento suo. Male ad h. l. Heumannus: „Discipuli antea nondum satis perceperant, Jesum aeternum filium Dei esse, per quem mundus conditus fuerit. Hinc perfectam virtutem orationis nondum intellectam habebant, si Deum invocarent, fore, ut propter filium suum ipsos exoraret. Quamquam sine dubio oratione a Domino tradita assidue usi fuerant; non adjecerant autem: In tui filii nomine, in tui aeterni filii nomine, Te precamur. Jam, inquit Dominus, hunc in modum orate, vestrumque gaudium cumulatum erit, dum omnia, quae precabimini, vobis contingent." Recte autem idem: „Dominus affirmat, ipsos in munere apostolico, quidquid apostolica mente precari haberent, impetraturos fore". Euthymius: *ἐν τῷ ὀνόματι· ὡς Χριστιανοὶ* scil. *ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ.* Tholuck: „pro ea quae vobis mecum intercedit necessitudine „(auf Grund meines Verhältnisses zu euch)". Ex hoc, ni fallor, sequitur, ut si pro nostra nostrorumque salute et prosperitate rogamus, causasque nostras privatas Deo commendamus, falso diceremus *ἐν ὀνόματι I. Χρ.* Haud sane Christi exhortationem intelligunt, qui adjurationem Dei quandam in hac voce inesse opinantur, per quam Deus adigatur facere quidquid nos flagitamus. Quod si parum certi sumus, *κατὰ τὸ θέλημα τῦ θεῦ* esse quod oramus, *ἀγαθὸν καὶ καλὸν καὶ τέλειον*, atque Christum, loco nostro, idem oraturum fuisse, haud licet hac formula uti.

# UNUM DE ANTIQUISSIMIS MONUMENTIS HYMNOLOGIAE CHRISTIANAE.

## HYMNUS CATECHUMENORUM IN CHRISTUM APUD CLEMENTEM ALEXANDRINUM.

Merito quidem aevo nostso studia patristicae litteraturae recoluntur. Verum enim vero, si opera utiliter poni debet, nec multas fraudes et errores inde nasci volumus: primum critica diligens, subtilis et perspicax, perinde ut Classicis Latinis et Graecis, adhibeatur oportet Patribus; deinde peritia linguarum tam accurata quam copiosa rerumque scientia idonea et acerrima investigatio notionum et sententiarum, quibus virtutibus et artibus eo magis indigent, quo vetustiora sunt monimenta rerum Christianarum. Has necessitates, et qua ratione opera hujus generis aggredienda sint ac persequenda, isto specimine inter alia ostendere audebamus.

In Anthologia, quam Aug. Jac. Rambach congessit, carminum sacrorum ex omnibus seculis nominis Christiani 1817, proponitur hymnus tertio libro Paedagogi a Clemente Alexandrino subnexus, tamquam vetustissimum quod supersit Christianae Hymnologiae.

„Legentibus, judicio quidem Rambachii, hic hymnus nec pulcher neque idoneus videbitur ad animos pascendos, et apud eos qui peregrini sunt in figurato Orientalium sermone facile offensionem habebit".

Nostra autem sententia de poëtica elegantia multum evanuit in versione, quam Rambachius fecit, et passim aliquid falsi, pravi, inficeti obvenit, cujus culpa certe non est in

eo, qui hymnum sermone nativo pepigit. Quamobrem antiquitati venerandae ipsique rei hoc tribuendum putabamus, ut iis qui legere cupiunt, versionem praebeamus accuratiorem. Animadversiones monstrabunt, ubi et quo jure versionem Rambachianam haud parum mutaverimus.

Quoniam occasionem et consilium hymni cognitum habere ad verum intellectum ejus et justam dignationem valde conducit, inspicere ante omnia juvat, perorationem ejus, quem modo diximus, Paedagogi:

„Quod reliqnum est in tali panegyri Logi; Logum [1]) precemur: Propitius esto tuis, Paedagoge [2]), pueris [3]), pater, auriga *), fili [4]) et pater, unum ambo Domine! Faxis autem, ut nos tua sequentes praecepta similitudinem expleamus imaginis [5]), sentiamusque penitus bonum Deum judicemque non acerbum, et praesta ut cuncti in pace tua versantes, in tuam sese civitatem conferentes, quum nullo fluctu obruti vitiositatis vorticem trajecerimus, sereni spiritu sancto una feramur, sapientiae ineffabili noctem diemque in plenam lucem gratias agentes laudemus, laudantes gratias agamus [6]) soli, patri et filio, filio et patri, paedagogo et magistro, filio cum spiritu sancto. Omnia [7]) uni, in quo omnia, propter quem omnia unum, propter quem semper [8]), cujus membra omnes, cujus gloria aeones [9])! Omnia bono, omnia pulchro, omnia sapienti, justoque omnia, cui gloria et nunc et in aeonas! Amen. Quoniam autem paedagogus, qui nos in ecclesia constituit, ipse sibi commendavit, magistro et inspectori Logo, recte faciemus, si nos hunc locum nacti mercedem gratiarum actionis justae congruentem liberali paedagogiae laudem offeramus Domino. “

---

*) *Ἡνίοχε Ἰσραὴλ.* Nomen *Ἰσραὴλ* abest a Nov. adnotante Pottero, nosque hanc praeferimus lectionem. Pueros enim h. l. objectum est et in carmine ipso haec metaphora variis vocibus recursat, non item Israelis appellatio.

## Animadversiones.

1) Adoratio τῷ Λόγῳ apud Clementem prorsus consentanea videtur ejus notioni, per quam ὁ Λόγος attributum est essentiale Dei idque unum maximum nobis pro ea necessitudine, quae naturis rationis et cogitationis participibus intercedit cum Deo. Quam ob causam Joannes: Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ καὶ ἀπ' ἀρχῆς ὁ λόγος, dixit; Seneca: „Quid interest inter naturam Dei et nostram? nostri melior pars animus est; in illo nulla pars extra animum: totus ratio est". Idem: „Ratio diis hominibusque communis: haec in illis consummata est, in his consummabilis. Τῷ θεῷ λόγῳ λογικὰ πλάσματα ἡμεῖς. Clem. Protrept. Antiquissimi Patres perinde ac Stoici inter attributa Dei λόγον numerarunt, adeoque Tertullianus (adv. Prax. 5): „Rationalis, inquit, Deus, et ratio in ipso prius (quam mundus constitutus est), et ita ab ipso omnia, quae ratio (ὁ λόγος) sensus (ὁ νῦς) ipsius est". Conferatur Strom. V. 1: Ὁ τῦ πατρὸς τῶν ὅλων λόγος οὐχ ὅτός ἐστιν ὁ προφορικὸς, σοφία δὲ καὶ χρηςότης φανερωτάτη τῦ θεῦ, δύναμίς τε αὖ παγκράτης καὶ τῷ ὄντι θεία· ὀδὲ τοῖς μὴ ὁμολογῦσιν ἀκατανόητος, θέλημα παντοκρατορικόν. Est illa idea Platonis, ἐννόημα τῦ θεῦ, ὅπερ οἱ βάρβαροι λόγον εἰρήκασι τῦ θεῦ. — Προελθὼν δὲ ὁ λόγος δημιουργίας αἴτιος, ἔπειτα καὶ ἑαυτὸν γεννᾷ, ὅταν ὁ λόγος σὰρξ γένηται, ἵνα καὶ θεαθῇ. Ibid. haud longe post.

Deus ipse ergo est λόγος, αὐτολόγος, ut Origenis voce utar. Quidquid autem ἐν τῷ λόγῳ γέγονε (Jo. 1: 3, 4), sive λογικόν ἐστι, hoc est in Deo, ex Deo natum est, quia ὁ λόγος τῦ θεῦ ἐστιν ἐν αὐτῷ (Jo. 1: 1, 14). Ὁ λόγος autem τῦ θεῦ, πατρὸς μένων ἐν λογικοῖς κτίσμασιν αὐτῦ, est προελθὼν ὁ λόγος, filius; ille ἐξ ὃ προῆλθε, pater, ἓν ἄμφω. Nam, sicut τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τῦ θεῦ et τὸ πνεῦμα τῦ θεῦ (Cor. 1, 2: 10—12) unum, sic ὁ λόγος ὁ ἐκ τῦ θεῦ, ὁ ἔμφυτος λόγος, et ὁ λόγος τῦ θεῦ, ὃς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας (Jac. 1: 17, 21) est unum idemque. Qua de causa eam, cujus parti-

cipes sumus, rationem, quasi Deum subsequentes ad naturae perveniemus extremum (Cic. Fin. 5: 15). Nam, ut Jacobus ibidem dicit, ὁ ἔμφυτος λόγος δύναται σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν, sive ut Joannes (1: 12). ἐξουσίαν δίδωσιν τέκνα θεοῦ (immortales atque beatos) γενέσθαι τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ λόγου, rationem quasi Deum subsequentibus ejusque fiducia nitentibus ad spem beate vivendi (Cic. ibid. et Tusc. 5: 1).

2) Paedagogus est ὁ ἄγων τοὺς παῖδας ἐπὶ τὴν σωτήριον δίαιταν, praeparans τῷ διδασκάλῳ, τοὺς ὑπὸ καλῆς τετραμμένους ἀγωγῆς tradens edocendos. Re vera est unus idemque ὁ λόγος, tum lac infantibus, tum στερεὰ τροφή, βρῶμα, κρέας, οἶνος, adultioribus.

3) Pueri paedagogi dicuntur alumni; ipse pater. Nam πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμέν· — υἱὸς δὲ πᾶς ὁ παιδευόμενος καθ' ὑπακοὴν τοῦ παιδεύοντος. (Strom. 1: 1). „Qui ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur et ille ejus pater. Iren. 4: 79, et Chrysostomus: Οὐ τὸ σπεῖραι ποιεῖ πατέρα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ παιδεῦσαι καλῶς.

Ceterum ipse Christus patrem se vocari interdixit Matth. 23: 9. Et Chrysostomus: Πατήρ ἐστιν, inquit ἀληθέστατος πρῶτος ὁ τῶν ἁπάντων πατήρ· ὁ δεύτερος δὲ μετ' ἐκεῖνον ὁ τῆς πνευματικῆς καθηγούμενος πολιτείας. Sic ergo εἷς ἐστιν ὁ πατὴρ καὶ εἷς ὁ καθηγητής. Paedagogus autem pater est, si quidem nemo potest accedere ad τὸν καθηγητὴν sive διδάσκαλον, ἐὰν μὴ ὁ πέμψας αὐτὸν ἑλκύσῃ τὸν ἐρχόμενον. Basilius Magnus: „Nos Deo debere, quod vivamus; sapientiae, si bene vivamus, docuerunt sapientes antiqui. Sapientiae ergo plus deberemus quam Deo, si non sapientia munus Dei esset idque maximum et carissimum munus.“ Nam ὁ μεταδιδὼς ἡμῖν τοῦ εἶναι καὶ ζῆν, μεταδέδωκε καὶ τοῦ λόγου, λογικῶς τε ἅμα καὶ εὖ ζῆν ἐθέλων ἡμᾶς. Clem. Strom. 1. „Qui docet hominem scientiam, ut ait propheta, Dominus est, per os humanum Dominus operans. Id. Strom. 7. Christus ipse docuit, neminem ipsum accedere, nisi τοὺς διδακτοὺς τοῦ θεοῦ (Jo.

6: 44, 45)[a]. Quid quod ipse *ἦκουσε παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ ἐδιδάχθην*, quae doceret. Jo. 8: 26, 28, 40. 3: 32. 5: 30. 15: 15. Hac ratione Christus filius patris, *ἀληθεράτατα πρώτα* et *ὁ δεύτερος πατὴρ*, hoc est *μετ' ἐκεῖνον τῆς πνευματικῆς πολιτείας καθηγούμενος*. Hinc Christiani extremo hymno vocantur *Χριστογόνοι*.

Clemens ergo, si recte audis, nequaquam docet, Deum patrem universorum et Christum magistrum duo esse *πρόσωπα* sive *ὑποστάσεις* (personas) *ὁμοίας*; sed Christus est noster pater secundus eo quod post patrem primum verissimum *τῆς πνευματικῆς καθηγεῖται πολιτείας*, idemque filius patris; quippe *ἀκούσας παρ' αὐτοῦ καὶ διδαχθεὶς τὰ λαλούμενα*. Sed sancto spiritui pariter et filio laus et gratia deferenda est, spiritui ex Deo in nobis, sine quo capaces non essemus operae quam Christus magister et praeceptor nobis impenderit.

Pottero facile concedimus „h. l. extare amplissimum testimonium *τῆ ὁμοουσίᾳ* filii Dei ac Spiritus S. verae divinitatis contra Arianos testimonium, similiaque libro 1: 2 ab initio, et Protrept. 10. agnoscimus. Eadem autem non minus valent adversus Athanasianos. Nam quae de Logo praedicat, ad Christum, *υἱὸν τοῦ θεοῦ κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης*, pertinent; neque ad ipsum unum et solum, sed ad omnes homines, *ὅσοι πνεύματι τοῦ θεοῦ ἄγονται* et hoc ipso probi sunt filii Dei, quamquam ad Christum praecipue, quem unum maxime omnium spiritu Dei actum novimus; quo quidem jure caput est omnium, sui corporis omnes, ita ut in eo una simul *ἕνα καινὸν ἄνθρωπον* se praestent, *κατὰ θεὸν κτισθέντα*, *Χριστὸν ἐνδυσάμενοι*. Eph. 2: 15. 4: 24. Gal. 3: 27. Sic pervenitur ad mysticam illam Deificationem vel quasi Pantheismum, quod placitum Orthodoxi maxime detestantur. Tantum abest, ut in eadem sint sententia. Licet igitur in philosophia sacra Clementis aliqua verborum similitudo deprehendatur, non continuo tamen ei convenit cum systemate ecclesiae Catholicae. Qui Cle-

mentem Alex. aliosque scriptores primorum trium seculorum legit mysticas ideas allegorico sermone agitantes, vix satis cavere sibi potest, ne liberum motum ingenii, nulla terminologia circumscripti, nulla dialectica restricti, in formulas fixas catholici systematis posterioris coërcere velit. Ex alio prorsus ac diverso fonte dogmata Deitatis Christi ac trinitatis ab Justino, Irenaeo, Tertulliano derivata in ecclesiam Catholicam e verbis V. T. perperam intellectis et in sensum insanum detortis, atque e mythis et genealogiis ἀπεράντοις. Clementina vero e Platonicis ideis profecta cum ratione et intelligentia facile conciliari possunt, non item cum populari simplicitate Evangelii.

4) Filius est, ut jam vidimus, θεόδοτος ἡ σοφία, δύναμις ὅσα τῦ πατρὸς (Cor. 1, 1: 24, 30), ἐνεργὴς, pollens potensque in Christo.

5) Clemens discernit ὁμοίωμα et εἰκόνα. Haec imago in omnibus est hominibus; illam similitudinem imaginis boni tantummodo habent. Vid. Recogn. Clem. 5, 15: 23. Homil. Clem. 10: 7. Maximus, Sententiarum Cent. 3. n. 25. *Κατ' εἰκόνα μὲν πᾶσα φύσις λογικὴ ἐςι τῦ θεῦ· καθ' ὁμοίωσιν δὲ μόνοι ἀγαθοὶ καὶ σοφοί.*

6 Conferatur hymnus Cleanthis in Jovem, praesertim ultimi versus: *Ὅφρ' ἂν τιμηθέντες ἀμειβώμεσθά σε τίμῃ Ὑμνῦντες τὰ σὰ ἔργα διηνεκὲς, ὡς ἐπέοικε Θνητὸν ἐόντ'· ἐπεὶ ὅτε βροτοῖς γέρας ἄλλο τι μεῖζον Οὔτε θεοῖς, ἢ κοινὸν ἀεὶ νόμον ἐν δίκῃ ὑμνεῖν.* Hunc philosophum Clemens ipse saepius commemorat ejusque carmina citat. in Protreptico et Strom. 5: 3, 14.

7) *Τὰ πάντα* ea omnia, in quibus est indoles ad cognoscendum et colendum Deum, ad pietatem: omnia in civitatem Dei adsciscenda Eph. 3: 15, cujus conditor Deus, fundamentum est Christus, ἐν ᾧ igitur omnia sunt posita, et δι' ὃν omnia ἓν sunt, uno corpore continentur. Sic *τὰ πάντα* Cor. 1, 8: 6. Eph. 1: 10. Col. 1: 16 etc.

8) *Δι' ὃν τὸ ἀεὶ*, „per quem est aeternitas," ut Potterus

reddit. *Τὸ ἀεὶ* nobis videtur haud aliter ac *τὸ πάρος, τὸ πάλαι*, articulus esse cum adverbio (Vid. Viger. pag. 23), itaque accipimus hoc enunciatum: per quem scil. *τὰ πάντα* semper sunt, nempe *ἕν*; unde consequens: „cujus gloria sunt aeones."

9) Potterus angelos sive spiritus vocabulo *αἰώνων* significari putat; nos ita sumimus, ut Hebr. 1: 2. Eph. 2: 7. 3: 9, 11. Cor. 1, 10: 11, ubi *οἱ αἰῶνες, οἱ αἰῶνες οἱ ἐπερχόμενοι*, vel singulari numero *ὁ αἰὼν ὁ μέλλων* Hebr. 1: 2. 6: 5. tempora sive secula sunt ecclesiae Christianae per successiones et amplioris et candidioris.

---

| *ΥΜΝΟΣ* | *ΕΙΣ* | *ΧΡΙΣΤΟΝ ΙΗΣΟΥΝ* |
|---|---|---|
| *ΣΤόμιον πώλων ἀδαῶν* | Frenum pullorum rudium | Zaum der ungeschulten Fohlen! |
| *Πτερὸν ὀρνίθων ἀπλανῶν* [1]) | Tutamen avium implumium | Obhuth der unflücken Vögel! |
| *Οἴαξ* [2]) *νηπίων ἀτρεκὴς* | Gubernaclum infantium certum | Festes Leitband schwanker Kleinen! |
| *Ποιμὴν ἀρνῶν βασιλικῶν* [3]) | Pastor agnorum regalium! | Hirt der königlichen Schafe! |

---

1) *Ἀπλανῶν.* Sicher schwebenden. Rambach. — Quum hoc verbum sensu congruere debeat cum *ἀδαῶν* primi et *νηπίων* tertii versiculi; correctionis indigere videtur; nos quidem conjectamus *ἀπτίλων* sive *ἀπαλῶν*. *Πτερόν* eodem versu ala, qua foventur ac proteguntur fetus a volucribus; ergo praesidium, tutamen. Ps. 61: 5. 63: 8. 91: 4. 17: 8, 63: 8, Jes. 31: 5. Mal. 4: 2. Mt. 23: 37.

2) *Οἴαξ.* Steuer. R. — *Οἰάκιες, πηδάλια ἤτοι αὐχένια. Οἴαξ, πηδάλιον, ὁδηγός.* Scholiastae. Significatio navalis parum congruit, ad *νήπια*, unde Guil. Canterus inductus est ut rescriberet *οἴαξ νηῶν.*

3) *Ἄρνες βασιλικοί*, h. e. Dei. Ps. 100: 3. 95: 7. 77: 21, Jer. 3: 15. 23: 4. Ezech. 34: 23. Hebr. 13: 20. Jo. 10: 12. sqq.

| | | |
|---|---|---|
| *Τὰς σὰς ἀφελεῖς* | Tuos simplices | Deine schlichten |
| *Παῖδας ἄγειρον* | Pueros congrega | Kinder sammle, |
| *Αἰνεῖν ἁγίως* | Ad sancte laudandum | Heilig zu loben, |
| *Ὑμνεῖν ἀδόλως* | Sincere canendum | Truglos zu singen |
| *Ἀκάκοις* [1]) *ϛόμασι* | Insonte ore | argloses Mundes |
| *Παίδων ἡγήτορα Χριϛόν.* | Puerorum ductorem Christum. | Ihn, den Kinder-Führer Christus. |
| *Βασιλεῦ ἁγίων* | Rex Sanctorum | König der Heiligen! |
| *Λόγε πανδαμάτωρ* [2]) | Loge omnidomans | Logos allzähmender! |
| *Πατρὸς ὑψίϛου* | Patris altissimi | Vaters des Höchsten |
| *Σοφίας πρύτανι* [3]) | Sapientiae promus | Spender der Weisheit! |
| *Στήριγμα πόνων* | Firmamen laborum | Stärkung der Kämpfe, |
| *Ἀἰωνοχαρές* [4]) | Perennitate gaudens, | ewig labende, |
| *Βροτέας γενεᾶς* | Mortalis generis | Menschengeschlechtes |
| *Σῶτερ Ἰησοῦ* | Soter, Jesu | Heiland, Jesu! |
| *Ποιμὴν, ἀροτήρ* [5]) | Pastor, arator, | Hüther, Pflüger, |

1) *Ἀκάκοις ϛόμασι.* Mit geweihten Lippen R. Auguratos Catechumenos haud rite dixeris, qui post baptisma demum in *τοῖς πιϛοῖς, ἁγίοις* duci solebant. *Ἄκακοι* R. 16: 18. sunt innocui quidem illi, minime mali et experti malorum, sed idcirco faciles admodum ad decipiendum obnoxiique fraudum, ni custodiantur. Vid. Clem. Paed. 1: 5. *Ἐπὶ ταῖς καρδίαις τ. ἀκάκων χαίρειν ὑμολογεῖ ὁ ἀπόϛολος.*

2) Vid. Sap. 18: 15. *ὁ παντοδύναμός ϛου λόγος.*

3) *Πρύτανις, διοικήτης*, administrator, dispensator, promus. Vid. Sap. 13: 2. *Θεὸς ὁ τῆς ἀληθείας πρύτανις*, Gregor. Naz.

4) *Ἀἰωνοχαρὴς* idem fere quod *αἰώνιος*. Sic *ἰοχαρὴς, λιμνο — ὄρειο — ὑδρο — ψαλμο — χαρὴς* apud poëtas. Ergo firmamen *πόνων* i. q. *πονόντων*, quo nunquam destituuntur.

5) *Ἀροτὴρ.* Vater. R. Quasi legisset *πατὴρ*. Cfr. Cor. 1, 3: 6, 9.

| | | |
|---|---|---|
| *Οἴαξ ϛόμιον* | Manuductor, moderator, | Leiter, Zügler. |
| *Πτερόν*[1] *οὐράνιον* | Tutela caelestis | Himmlischer Schirm |
| *Παναγῦς*[2] *ποίμνης*, | Omnivagi gregis, | Allwärtiger Herde! |
| *Ἁλιεῦ μερόπων* | Piscator mortalium | Menschenfischer |
| *Τῶν σωζομένων*[3] | Patientum servari | Retten sich lassender, |
| *Πελάγυς*[4] *κακίας*, | E pelago nequitiae, | Aus dem Trichter der Bosheit! |
| *Ἰχθῦς ἁγνὺς* | Pisces castos | Reine Fische |
| *Κύματος ἐχθρῦ* | Ex aestu infesto | Feindlicher Woge |
| *Γλυκερῇ ζωῇ δελεάζον*[5] | Dulci vitae captans | Führ' entlockt zum ewigen Leben, |

---

Mt. 13: 3. *Ποιμὴν*, pastor, custos gregis, et *ἀροτὴρ*, agri cultor, bene concordant.

1) *Πτερόν*. Schwinge. R. Vid. quae supra adnotavimus ad vs. 2. *Πτερὸν* proprio sensu et *πολμνη* parum consonant.

2) *Παναγῦς*. Apud Rambach. *παναργῦς* sphalma typographicum, ni fallor, pro *παναγῦς*, quae lectio CD. Regii est. Der geweihten. R. At augurati nos possunt vocari Catechumeni, ut jam diximus; sed *ἅγνοὶ*, adhuc *ἄσπιλοι ἀπὸ τῦ κόσμυ*, *ἄκακοι*, quemadmodum supra et infra. — *Εὐαγὴς*, agilis ab *ἄγων*, eodemque modo *παναγὴς*, qui ubivis terrarum agitur, undecunque cogitur.

3) *Τῶν σωζομένων*. Erben des Heils. R. Male importatur Hebraismus in versionem, ubi nullus est in nativo sermone auctoris. Participum praesens pass. nonnunquam pro adjectivo verbali in *τός* usurpatur, ex c. Cor. 1, 1: 18. Contrarium *ἀπολλύμενοι*, *ἄσωτοι*, quos nec Salus si vult, servare jam potest, ut Plauti verbo utamur.

4) *Πέλαγος*, profundum maris; Trichter nostrates.

5) *Πελάγυς — δελεάζων*. Der du aus feindlicher Flut in der Bosheit Meer mit süssem Leben die reinen Fische fängst. R. *Πελάγυς κ.* construimus cum *σωζομένων*, quod ut verbum liberandi, sicut *παύειν*, *λύειν*, *ἀπαλλάσσειν*, *καταργεῖν*, *ἐλευθεροῦν*, Genitivum tenere

| | | |
|---|---|---|
| *Ἡγῦ προβάτων λογικῶν* | Duc oves rationales | Schafe vernünftige, |
| *Ποιμὴν ἅγιε* | Pastor sanctè | Heiliger Hirt! |
| *Ἡγοῦ βασιλεῦ* | Duc rex | Führe König! |
| *Παίδων ἀνεπάφων* | Pueros intemeratos | Unbefleckte Kinder |
| *Ἴχνια Χριςῦ.* | Vestigia Christi! | Christi Fussstapfen. |
| *Ὁδὸς οὐρανία* | Via caelestis | Himmlische Bahn! |
| *Λόγος ἀένναος* | Logos perennis, | Unversiegbarer Logos! |
| *Αἰὼν ἄπλετος* [1] | Aevi infiniti | Unermesslichen Aeons |
| *Φῶς ἀΐδιον* | Lux aeterna, | Immerwährendes Licht! |
| *Ἔλεος πηγὴ* | Clementiae fons, | Quell von Erbarmung! |
| *Ῥεκτὴρ* [2] *ἀρετῆς* | Rector virtutis, | Leiter der Thatkraft! |
| *Σεμνὴ βιοτὴ* [3] | Alme victus | Hehre Speise |
| *Θεὸν ὑμνέντων* | Deum canentium, | Gott lobpreisender! |
| *Ἰησοῦ Χριςὲ* [4] | Jesu Christe! | Jesu Christ! |

---

potest. In *κύματος* rogatur aptius unde? Fortasse *ἐκ* intercidit e textu. In *γλυκ. ζωῇ* quaerimus quo? in quid? Ergo i. q. *εἰς ζωήν.*

1) *Αἰών.* Geist. R. Ut *αἰὼν ἄπλετος*, sic Meleager *χρόνος ἄπλετος.* Sed *ὃ ταὐτὸν χρόνος, καὶ αἰών.* Clem. Paed. 1: 6. *Αἰῶνος ἀρχὴ τὸ ἀμέτερον τέλος*, Ibid. 12. Unde subvenit nobis emendare. *Αἰῶνος ἀπλέτου.* Nam qua ratione Clemens Logon aeona vocet, Valentinum et alios Gnosticos imitaturus qui multi fuerunt, in aeonibus confingendis et connectendis, nos quidem fugit; *φῶς* autem *αἰῶνος ἀπλέτου* Christum probabiliter dixerit. Ceterum si quis *αἰών*, sicut *ὁδὸς* metonymice accipiatur, non repugnamus.

2) *Ῥεκτὴρ ἀρετῆς.* Der Tugend Ursprung. R. *Ῥέκτηρ* apud Hesiod. factor. Conjectamus: *ῥυτὴρ*, quod proprie est lorum, quo *ζόμιον* supra semel et iterum dictum adducitur et remittitur, i. q. *χαλινός.* Nam *ἀρετὴ*, non honestas generatim, sed virtus angustiore sensu, fortitudo, *ἀνδρεία*, *δύναμις*, haec *ἀρετὴ* freni indiget, ut *τὸν σωφρονισμὸν*, sine quo bonum aequumque nullum datur, conservet.

3) *Βιοτὴ.* Leben. R. *Βιοτὴ*, sicut *βίοτος*, victus, i. q. *βρῶσις*, ac synonymum fere proximum *γάλα.*

4) *Θεὸν ὑμνέντων.* Hoc primis quidem seculis, dum Christiani Judaeis Gentilibusque intermixti degebant, nimis late dictum erat.

| | | |
|---|---|---|
| *Γάλα ἐράνιον,* | Lac caeleste, | Himmlische Milch, |
| *Μαζῶν γλυκερῶν* | Mammis dulcibus | Süssen Brüsten der Jung- |
| *νύμφης* | virginis | frau, |
| *Χαρίτων σοφίας* | Gratiis sapientiae | Hulden göttlicher Weis- |
| *τῆς σῆς* | Tuae | heit |
| *Ἐκθλιβόμενον* [1]) | Eliciendum! | Zu entschlürfen sich bie- |
| | | thend! |

Oportebat indicari, quem sive cujus Deum canerent. Hinc subvenit emendare *Ἰησοῦ Χριστῷ. Θεὸς τῷ Χριστῷ* appellatur Eph. 1: 3, 17. 3: 14. etc. Vid. Clem. Str. 6: 5, ubi Petrus in suo *κηρύγματι*: *Ἃ παραδίδομεν ὑμῖν, φυλάσσεσθε τὸν Θεὸν διὰ Χριστοῦ σεβόμενοι.* Nam qui Deum veneratur, Christi opera et munere, Christi praeceptionem et exemplum sequens, is veneratur Deum et patrem Christi eundemque Deum et patrem suum agnoscit ac profitetur. Secundis autem curis intelligimus Jesum Christum hic appellari victum eorum, qui Deum canant, quippe qui *τὴν διανοίαν* dederit iis cognoscendi Dei, *τὸ πνεῦμα, ἐν ᾧ κράζομεν· ὁ πατήρ.* Jo. 1, 5: 20. Jo. 17: 30. R. 8: 15. Gal. 4: 6. Hinc satis jam intelligi potest, quem Deum canant. Nec non liquet, hymno nostro Christum non adorari ut Deum vel pariter et aequaliter cum Deo, sed sicut Horatius hymnum in Augustum scripsit, quo ipso ante omnia praedicatur parens, qui res hominum ac Deorum, Qui mare et terras variisque mundum temperat horis; unde nil majus generatur ipso Nec viget quidquam simile aut secundum; Proximos illi tamen occupavit Pallas honores.

1) *Μαζῶν ἐκθλιβόμενον.* Den süssen Brüsten deiner holdseligen Magd, der Weisheit, entträufl. R. *Ἐκθλίβειν* id est quod infantes uberi materno appositi per instinctum naturae manibus labellisque suis faciunt, ut profluvium fiat lactis, non *αὐτομάτως* exstillantis. — *Γάλα*, ut paulo supra, *βιοτή*, Christus, lac pueris, catechumenis, ut *στερεὰ τροφή*, panis, caro, adultis. Sic noster Paedag. 1: 6. *Ἡμῖν αὐτὸς ὁ Χριστός ἡ τροφή, τοῖς νηπίοις, τοῖς ἀμέλγεσι τὸν λόγον τῶν ἀρωῶν.* — „*Ἡ τροφή, τουτέστι κύριος Ἰησοῦς, τουτέστιν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ — ἡ τροφὴ τὸ γάλα τοῦ πατρός, ᾧ μόνῳ τιτθευόμεθα οἱ νήπιοι.* — Per ipsum qui se contulerunt in fidem Dei, *ἐπὶ τὸν καθικηδέα μαζὸν τοῦ πατρός, τὸν λόγον καταφεύγομεν*; ille autem, ut est consentaneum, solus nobis infantibus lac amoris suppeditat.“ Christus ergo lac ex ubere Patris, divinae sapientiae. Hinc emendamus *Θεοῦ* pro *τῆς σῆς.* — *Νύμφη* nequaquam ancilla, sed Sapientiam et Hebraei et Graeci appellare

| | | |
|---|---|---|
| *Οἱ νηπίαχοι* | Vos infantes | Ihr Unmündigen, |
| *Ἁπαλοῖς* [1]) *ϛόμασιν* | Mollibus osculis | Lippen mit zarten |
| *Ἀτιταλλόμενοι* | Libantes | Nahrung entsaugend |
| *Θηλῆς λογικῆς,* | Uber rationale, | Uebersinnlicher Brust, |
| *Πνεύματι δροσερῷ* [2]) | Spiritu roreo | Thauiges Geistes |
| *Ἐμπιμπλάμενοι* | Qui implemini, | Euch erfüllend, |
| *Αἶνος ἀφελεῖς* | Laudes sinceras | Schlichte Loblieder, |
| *Ὕμνος ἀτρεκεῖς* | Hymnos rectos | Redliche Hymnen |
| *Βασιλεῖ Χριϛῷ* | Regi Christo | Christus dem König, |

soliti virginem sunt propter ejus *ἁγνότητα*. Hanc ideam deinceps in matrem carnis Jesu, Mariam, inscite transferebant Presbyteriani, postulantes virginitatem ejus ante, inter et post partum, quasi Maria Nazarena Sapientia Dei fuisset. — *Χαρίτων* tandem cum *νύμφη* construere, ut Rambachio placuit, ineptum est (tamquam si *νύμφη χαρίτων* idem sonet quod *παρθένος κεχαριτωμένη* Luc. 1: 8); sed *χαρίτων σοφίας* est appositio, per quam explicetur tropica locutio *μαϛῶν γλυκερῶν νύμφης*. *Χάριτες σοφίας*, gratiosa, alma sapientia.

1) *Ἁπαλοῖς — ἀτιταλλόμενοι*. Von zarten Lippen — gepflegt. M. *Ἁπαλὸς, νήπιος ἁπαλός, Ἀπαλὰς λέγει τὰς πώλους Ὅμηρος, ὡς τῶν τελείων ἵππων ταλάνων ὄντων. Ἀπαλοί οἱ μὴ ποιοῦντες.* Scholiastae. Est igitur praedicatum alumnorum, non nutricum. „ *Τὸν παῖδα ἁπαλόφρονα καλῆσθαι ἔθος· ἀπαλοὶ δὲ ἡμεῖς, οἱ ἄπαλοι πρὸς πειθὼ καὶ εὐέργαϛοι πρὸς ἀγαθωσύνην, ἄχολοί τε καὶ ἀνεπίμικτοι κακοφροσύνῃ καὶ σκολιότητι.* Illa enim generatio vetus, *σκολιὰ καὶ σκληροκάρδιος.*“ Cl. Paedag. 1: 5. *Ἀτιτάλλειν σημαίνει τὸ τιθηνεῖν, ἀναπαύειν καὶ ἁπαλῶϛ ἐκτρέφειν ἐκ τῶν νηπίων.* Hesych. Vernacule hoc reddimus azen, cujus causativum est äzen, quod verbum de avibus usurpatur, donner la becquée a ses petits. Genitivus *θήλης* est partitivus, sicut *ἀπολαύειν θήλης*, geniessen der Brust.

2) *Πνεύματι δροσερῷ*. Von lieblichem Athem. R. Parum sensit voces *πνεύματι* et *λογικῆς* in eundem sensum congruere. *Δρόσερον* dicitur *πνεῦμα*, sive cum rore comparatur, qui aerius, caelestis non conspicitur, dum irrigat, et tamen fecundior est pluvia.

| | | |
|---|---|---|
| *Μισθὸς ὁσίως* [1]) | Mercedes pias | Fromme Lohnungen |
| *Ζωῆς διδαχῆς,* | Pro vitae doctrina | Seiner Lebenslehre |
| *Μέλπωμεν ὁμῦ!* | Modulemur simul! | Lasst uns spielen allzumahl! |
| *Μέλπωμεν ἁπλῶς* | Modulemur candide! | Lasst uns spielen herzlich |
| *Παῖδα κρατερόν!* | Puero valido! | Ihn, den grossen Sohn! |
| *Χόρος εἰρήνης* | Chorus pacis | Reigen des Friedens, |
| *Οἱ χριστογόνοι* | Christigeni | Zöglinge Christi, |
| *Λαὸς σώφρων* [2]) | Populus modestus | Züchtiges Volk, |
| *Ψάλωμεν ὁμῦ* | Fidibus canamus simul. | Lasst uns harfnen allzumahl |
| *Θεὸν εἰρήνης.* | Deum pacis. | Dem Gotte des Friedens. |

Hic Hymnus totus et omnis Catechumenis est accommodatus, qui lactis adhuc indigebant, atque ut Origenes. c. Cels. l. 3. ait, tirones erant in fide. E canone 19. Synodi Laodicenae novimus, *εὐχὴν τῶν κατηχεμένων* usitatam fuisse,

1) *Μισθὸς ὁσίως.* Der heiligen Lohn. R. Xenophon discernit *τὸ ἀσεβὲς* et *ἀνόσιον*, et in hoc rursus *τὸ ἄδικον* et *αἰσχρόν*. Contrarius *ἐπιόρκῳ ὁ ὅσιος*. Panthea apud suum maritum laudat *τῦ Κύρυ τὴν ὁσιότητα καὶ σωφροσύνην*. Sic *εὐσεβὴς* esse videtur, qui officiis erga Deum ipsum fungitur; certos praestans honores; *ὅσιος*, qui propter Deum aequitatem ac benignitatem colit legi naturae satis faciens. *Δίκαιος*, qui leges humanas, civiles non migrat. L. 1: 75. Eph. 4: 24. Col. 5: 9. Thess. 1, 2: 10. Tit. 1: 8. Tales actiones sunt laudes, quas pro vitae doctrina reddere debemus; quemadmodum apostolus (Tim. 1, 2: 8.) jubet *προσεύχεσθαι ἐπαίροντας χεῖρας ὁσίως.*

2) *Λαὸς σώφρων.* Du heiliges Volk. R. Haud decet, nos tam prodigaliter usurpare attributum heilig (sanctus). *Σώφρων*, qui sanam sequens rationem et communem sensum modestiae et frugalitati operam dat.

quam Latini Missam Catechumenorum vocabant. Zonaras ad hunc Canonem: „Ad Catechumenos prius Episcopi sermones habebant eosque docebant; postea recitabatur super Catechumenos oratio (εὐχὴ), et iis egressis recitabatur altera oratio pro iis qui in poenitentia constituti erant. Apost. Constitutt. 8: 6. utique extat divina liturgia, in qua oratio pro Catechumenis, ibidemque cap. 9. pro Poenitentibus; atque in liturgia, quam Chrysostomi vocant, reperitur εὐχὴ κατηχημένων πρὸ τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς, ἣν ὁ ἱερεὺς λέγει μυστικῶς, de qua Chrysostomus copiosius Homil. 2. in alteram ad Cor. epistolam. Hoc vero discrimen attendendum est, quod in Clementinis Hymnis Catechumeni ipsi laudes canunt, in εὐχαῖς sacerdos deprecatur pro iis. Sed jam peroratione Paedagogi supra laudata optime edocti sumus de hujus hymni natura; quam si probe tenemus, multa liquent atque, quid sibi velint quamque deceant, pervidetur.

Probe quidem scimus, de gustibus non esse disputandum; nec vero magis aequum est dictare de iis. Rambachius ergo, ut ipsi sapiat hic hymnus, suo jure pronutiaverit; non autem quid alii sensuri essent lectores, pro certo affirmare. Nobis quidem hic hymnus prae multis, quae Rambachio arriserunt, εἰς οἰκοδομὴν esse videtur. Primum enim nihil eorum dogmatum inest, quibus ἐν ὑστεροῖς καιροῖς evangelicae fidei disciplina, pueritiae potissimum, est infecta et vitiata ad nauseam usque. Annon argumentum est utile, quo pueri instituuntur ad praedicandum, quid iis sit Christus, quam multa et magna ipsi accepta referant, et quales esse, quomodo se gerere debeant ejus alumni. Etiam facetus est hymnus, qui copia imaginum aetati puerili propinquarum et notarum teneros animos erigit atque oblectat. Nec sane vitio auctori vertendum est, si partim certe hae imagines ac figurae hodie in ecclesiastica poësi obsoluerunt, et nostri quidem seculi palato, non sensui pulchri nativo et integro displicent, sicut similia Homeri non pauca. — Non autem orientales, hebraicae, ara-

bicae, persicae sunt hae imagines; immo per omnes hominum linguas cursant, ut piscator hominum, cibus, lac, apud Hyperboreos tam faciles usu et intellectu, quam ad Jordanem et Euphratem. Scandala potius dixeris merito cantilenas Herrnhutianorum et similia, qui nugis et ineptiis amatoriis adeo Christum quasi ludicre tractant; hic autem metaphorae et metonymiae cuique vera, gravis et sublimis idea subest. Hunc hymnum tandem legibus aestheticis et poëticis parum satisfacere, ultro concedimus; veruntamen, si quis contulerit cum saoris hymnis Gentilium, ex. c. quos Orphicos dicunt, ei noster hymnus admodum probabilis videbitur; et sub initium seculi tertii, qui carmina Pindarica catechumenos Aegyptios docuisset, infantibus aptasset cothurnos.

Operae pretium fecisse videmur in hoc hymno, quantum fieri potuit, explicando, ut pateret, quo jure apud Euseb. 5: 28. scriptum legatur: „in libris quemadmodum Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, *θεολογεῖται ὁ Χριστός*“ Quod verbum est ambiguum. Potest enim sic accipi, ut Chrysost. *εἴδωλα θεολογεῖν*, Euseb. *ἥλιον*, Epiphan. *κτίσιν*. Verum *θεολογεῖν* latius patet, atque eorum est, qui de rebus naturisque divinis disserunt, quamquam eas ipsas non faciant Deos. Jam vero Christus, nempe Dei, sua notione divinus est, et quicunque Jesum pro Christo agnoverunt unquam, *ἐθεολόγησαν*, licet Jesum *ψιλὸν ἄνθρωπον τὸ κατὰ σάρκα* fuisse crediderint, antequam Christus itaque divinus extitisset. Ceterum ὁ *Χριστὸς, πρὶν Ἰησοῦν γενέσθαι, πρὸ καταβολῆς κόσμου ἦν παρὰ τῷ θεῷ, προεγνωσμένος*, quemadmodum *πρὸ τῆς τοῦ κόσμου καταβολῆς ἡμεῖς, οἱ τῷ δεῖν ἔσεσθαι ἐν αὐτῷ πρότερον γεγεννημένοι τῷ θεῷ τοῦ θεοῦ λόγου τὰ λογικὰ πλάσματα ἡμεῖς*, ut noster Clemens Protrept. pag. 3. ait. Sic nos, quamquam *ψιλοὶ ἄνθρωποι, ἄνθρωποι ἐξ ἀνθρώπων γενόμενοι, θεολογούμεθα* apud Clementem, nimirum ex eo quod nos fore oportet, non quod jam extitimus tales,

divini, ἅγιοι καὶ ἄμωμοι κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ (Eph. 1: 4). Sic Jesus non statim ab utero matris, ὁ γεγεννημένος ἐκ σαρκὸς, Christus fuit, sed factus est tum, quum didicit τὴν ὑπακοὴν, ac τελειωθεὶς demum ἐγένετο αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου, idem quod ὁ Χριστὸς. Jesum nimirum dicimus factum esse τὸν Χριστὸν, non autem Christum factum esse Jesum. Ἡ Χριστότης autem, ut ita loquar, qua impertitus est Jesus ἐκλογῇ γενόμενος εἰς τὸν Χριστὸν, κατὰ προκοπὴν ἀρετῆς δεδικαιωμένος, ut Ebionaei credebant (Confer. Tim. 1, 3: 16), ea dignitas divina manserat eum ab aeterno, haud secus quam τὸ πνεῦμα τὸ καταβαῖνον ἐπ' αὐτὸν καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, quod nec natum nec factum esse putatur.

Concedimus ergo facile, τὸν Χριστὸν θεολογεῖσθαι apud Clementem, non autem τὸν Ἰησοῦν, τὸν γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, cujus opinionis primum auctorem Justinum habemus.

Ex hoc hymno lucem quoque accipit locus ille Plinii Epist. 10: 97. de iis, qui Propraetori confessi sunt se Christianos fuisse quidem, sed desiisse. „Adfirmabant, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum in vicem.“ Hic omnino est cultus, collaudatio, celebratio Christi, sed non adoratio ut Dei. Ubi subtiliter animadvertit Gessnerus: „Si vim habere debeat hoc argumentum pro fide Antenicaena contra Arianos: ponendum est, Christianos ipsos Deum vocasse Christum, sed adjecisse hoc quasi Plinium. Dei enim appellationem multo latius constat apud Gentiles patere et longe humilioris fastigii naturas comprehendere.“ Nos autem simpliciter hanc vocem quasi Deo homines in quos inquisivit, elocutos ipsos esse, non addidisse Plinium, quod fideliter referentem non decebat. Ut Propraetor, de carminibus audiens, qui Christo dicerentur, ne induceretur ad credendum, Christum pro Deo haberi, dixerunt consulto quasi, quae particula similitudinis

aequalitatem, ταυτότητα excludit *). Notum est, Christianos in tertium usque seculum τῆς ἀθεότητος postulatos esse; quod crimen locum non habuisset, si Christum aut vocassent suum Deum, aut confessi essent, se Christum ut Deum colere. Vid. Athenag. Legat. c. 4. „Nobis, qui Deum a materia disjungimus ac docemus, aliud esse materiam, aliud vero Deum, idque longissimo intervallo; numen esse ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον —, nonne immerito atheorum nomen imponitur?“ Christiani igitur primorum seculorum Jesum Christum suum dominum confitebantur; attamen non suum deum; non filium Dei, ergo γεννητὸν, esse ipsum Deum, τὸν ἀγέννητον. Nam quod Athanasiani discrimen posuerunt inter ἀγένητον, infectum, et ἀγέννητον, innatum, hac in causa nullum est. Nam si Deus ἄναρχος, ὅτι ἀγένητός ἐστι (Theoph. ad Autol. 1: 4), vel si ex eo, quod ἄναρχον εἶναι est attributum essentiale Dei, ἐδέησε τῷ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον ἔσχε (Theodoret. H. E. 1: 3), eadem necessitate inde efficitur, ut sit ἀγέννητος.

Ceterum, quod Gessnerus monet, apud Gentiles multo latius nomen Dei patere, hoc in Christianos ἐξ ἐθνῶν praesertim multos primorum seculorum cadere videtur: nam, ut Paulus Cor. 1, 8: 7. ait, οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις. Confer. comma 5, 7. Ab Origene adhuc male intellectum Paulum, ex ejus Commentar. in Jo. 1: 34. elucet, ubi: Universorum Deus, inquit, primum quoddam honore genus rationale fecit, quod mea quidem sententia οἱ καλούμενοι θεοὶ; et secundum — θρόνοι, et tertium — ἀρχαὶ. Sic autem ratiocinatione descendendum ad ultimum rationale, quod non aliud fortasse fuerit quam homo“. Sed ne longius divertamur, hoc volebam docere Origenis exemplo, primorum seculorum Christianos adhuc secundariorum quorundam Deorum opinionem non

*) Sic Tusc. 5: 15. Cicero: „rationem quasi Deum ducem subsequens.“

inusitatam fuisse. Sicut Clemens supra Patrem primum et secundum discrevit, ita Origenes Commentar. in Jo. 1: 11. *τὸν μετὰ τὸν πατέρα τῶν ὅλων θεὸν* esse *λόγον*; qui idem contra Cels. 8. animadvertit, quosdam in multitudine credentium et discrepantiam admittentium praecipitanter statuere, Soterem esse *τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν*. „At nos nihil tale, qui credimus ipsi dicenti: Pater est major me". Dogma denique de generatione *τῆ Λόγῳ*, in qua Origenes multum desudavit, inextricabilem Dogmaticis importavit confusionem. Nos enim *τὸν Λόγον* non reperimus *γενόμενον* apud Joannem, sed *γεγονότας ἐν τῷ λόγῳ, σάρκα γενομένην τὸν λόγον*, homines in quibus est *ὁ λόγος*. Sic Jesus maxime omnium ut *πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, ἐν τῷ λόγῳ* fuit, *ἐν τῷ πατρί*. Nemo autem dixerit, Patrem in Christo generatum fuisse. Nec vero magis consentaneum videtur, *τὸν λόγον* scil. *τῆ θεῆ* in Jesu dicere generatum. Generatus autem, sive natus ex Deo, filius Dei, Jesus propterea, quod Pater, quod *Θεὸς λόγος* (Deus qui ratio est), sive quod re idem est, *ὁ λόγος τῆ θεῆ, τὸ πνεῦμα τῆ Θεῆ* in eo fuit *μένον, ἐνοικῶν*.

---

Est alius hymnus a Clemente adjectus *τῆ κατηχητῆ*, suus, auctoris librorum, quos Paedagogus inscripsit *εἰς τὸν Παιδαγωγὸν*, quem subjungere juvat, quo manifestum fiat, nec in hoc hymno *προσευχὴν* esse *πρὸς τὸν Ἰησῦν Χριστόν*.

*Σοὶ τόνδε κἀγὼ* [1]), *Παιδαγωγέ, προσφέρω*
*Λογοῖσι πλέξας ςέφανον ἐξ ἀκηράτου*
*Λειμῶνος, ἡμῖν ὃν παρέσχου τὰς νομὰς.*
*Ὡς ἐργάτις μέλιττα χωρίων ἄπο*
Tibi huncce ego quoque, Paedagoge! offero
Verbis nexam coronam e sincero
Prato, nobis cujus praebuisti pabula.
Sicut operatrix apicula de campis

Βλάσην τρυγῶσα, χρηςὸν ἐκ σίμβλων πόνον,
Κηρὸν δίδωσι τὸν γλυκὺν τῷ προςάτῃ [2]),
Εἰ καὶ βραχύς δ' ἐγώ τις οἰκέτης γε σός.
Δεῖ γάρ σε τοῖς σοῖς εὐλογεῖν θεσπίσμασιν. [3])
Ἄναξ βροτῶν μέγιςε, τῶν καλῶν δοτὴρ,
Ἐσθλῶν χορηγέ, καὶ τὸ πᾶν κτίσας πάτερ,
Ὃς ὠρανόν τε καὶ τὸν ὠρανῷ μόνος
Κόσμον τέθεικας ἁρμόσας θείῳ λόγῳ,
Ὁ δείξας αὐτὸς ἡμέραν τε καὶ φάος
Καὶ τὸν πολῶσιν ἄςροις νημερτῆ δρόμον·
Ἐν [4]) τῷ δ' ὅποι γῆ καὶ θάλασσα προσμένοι,
Τρόπων τε καιρὸν εὐζόχως δήσας κύκλῳ
Ἔαρ τε καὶ χειμῶνα καὶ θέρος πάλιν
Τό τε μετοπώρω τάξιν ἐξηρτισμένην· [5])
Ὅλον τε κόσμον ἐξ ἀκοσμίας κτίσας,
Ὕλης ἀμόρφω δὲ τὸ πᾶν καταρτίσας,
Αὐτὸς ζωήν τε καὶ καλῶς ἀεὶ βιῶν,

5. Flosculos legens utilem ex alveis laborem
Favum reddit dulcem regi,
Quamquam brevis utique ego quantillus famulus
Oportet enim te tuis praedicare oraculis (certe sum tuus.
Rex mortalium maxime, pulchrorum dator,
10. Honestorum largitor et universi opifex pater,
Qui caelumque et caeli solus
Decus condidisti aptatum divina arte,
Qui monstrasti ipse diem et lucem
Et rotantibus astris errandi nescium cursum,
15. In hoc ubi terra et mare consistat;
Troporumque tempestatem scite illigasti circulo
Verque et hiemem et aestatem rursus
Atque autumni agmen extremum,
Omnemque ordinem rerum ex indigesta condidisti
20. Mole materiae informis et universum instruxisti,
Ipse vitamque et honeste semper ut agam

*Χαρίν τε τὴν σὴν ἀσφαλῶς πάρασχέ μοι,*
*Ποιεῖν τε καὶ τὰς σὰς λέγειν θειὰς γραφὰς,*
*Αἰνεῖν ἀεί σε καὶ τὸν ἐκ σοῦ πάνσοφον*
*Τὸν σοι συνόντα καὶ παρόντα σοι λόγον*[6]).
*Μή μοι δὲ πενίαν μηδὲ μὴν πλοῦτον δίδου*
*Τάξιν δὲ τοῦ δέοντος αὐταρκεςάτην*
*Πάτερ παράσχου καὶ καλὸν βίου τέλος.*
Gratiamque Tuam perpetuo praebe mihi,
Utque factis dictisque tua servem scripta divina,
Laudem semper Te et omnisapientem ex Te
Tuam comitem et assiduam Tibi rationem.
Neque mihi inopiam nec vero da divitias,
Demensum autem necessitati maxime idoneum
Pater praebe et pulchrum vitae exitum.

1) *Κἀγὼ*. Etiam ego, Catecheta, quemadmodum Catechumeni.

2) *Τῷ προςάτῃ*. Reddidimus r e g i, ut apud Columellam rex *apum* dicitur.

3) *Τοῖς σοῖς εὐλογεῖν θεσπίσμασιν* eodem sensu, quo vss. 3. et 4. coronam nectere verbis e prato, cujus pabula praebuisti; ergo t u i s verbis. Nolebamus propterea reddere cum Pottero „tuas ob leges laudare“

4) *Εἰ τῷ δ'*. Recepta lectio. — „Forte *ἐνταῦθ'*.“ Fell. Nos leviore manu: *ἐν τῷ δ'* scil. *δρόμῳ*. Dum caelum cum astris circa suam axem usque versatur (*ἐν τῷδε* scil. *δρόμῳ*, sive *ἐν τῷδ'* i. q. *ἐν τούτῳ*): interea tamen terra et mare consistit. Qua conditione autem et lege hoc fiat, *ὅποι γῆ καὶ θάλασσα προςμένοι, ἔδειξεν ὁ κτίςης*.

5) *Τάξις*, h. l. non ordo sive series, sed locus, gradus ordine quodam autumno attributus inter anni tempestates. *Τάξις ἐξηρτισμένη*, agmen extremum, quo desinit annus.

6) Sic apud Ciceronem Leg. 1: 7. Parent huic caelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti D e o. Sic Seneca de Benef. 4: 7. „Quid est aliud natura quam D e u s et d i v i n a r a t i o“ etc. Sic precatur hymno in Jovem Cleanthes: *Ζεῦ — νόμου μέτα πάντα κυβερνῶν — — σὲ καὶ ὑμνήσω καὶ σὸν κράτος αἰὲν ἀείσω — ἐπεὶ ἅτε βροτοῖς γέρας ἄλλο τι μεῖζον Οὔτε θεοῖς ἢ κοινὸν ἀεὶ νόμον ἐν δίκῃ ὑμνεῖν*, quem *νόμον* eodem carmine *κοινὸν λόγον* appellat. Quem-

admodum ergo philosophi Graeci adjungunt Deo et quasi consociant νόμον sive λόγον, noster item facit, ita ut non sit opinio propria Christianorum, sed a Graecis philosophis commodata. Tum Judaistae hanc notionem, quae tota est νοητὴ, τῶ γράμματος τῆς παλαιᾶς διαθήκης auctoritate confirmare fabulisque historicam reddere moliti sunt, itaque ἐναρξάμενοι πνεύματι, σαρκὶ ἐπετέλεσαν. Repugnarunt Gnostici, unde illae lites funestae de Christi deitate ac de trinitate, quas non rerum humanarum divinarumque scientia, non sacrarum litterarum intelligentia, non denique candidum veritatis, caritatis, concordiae studium, sed Hierarchiae arbitrium in suam rem vertit, opibus alienis ἐκ τῶ κόσμω πάντα auxilio sumtis.

3 2044 069 644 011